






ORBE
NOVO
1587









ORBE
NOVO
1587


EX LIBRIS IOANNIS GRATIAN LAUSSAT
Baour fecit

in 8° — — 32802 4 lt

historia profana.

histor. americana seu indiarum occidentalium.



DE ORBE NOVO

PETRI MARTYRIS ANGLERII MEDIOLANENSIS, Protonotarij, & Caroli quinti Senatoris Decades octo, diligenti temporum obseruatione, & vtilissimis annotationibus illustratæ, suóque nitori restitutæ,

Labore & industria RICHARDI HAKLVYTI *Oxoniensis Angli.*

Additus est in vsum lectoris accuratus totius operis index.



PARISIIS,
Apud GVILLELMVM AVVRAY, via D. Ioannis Bellouacensis, sub insigni Bellerophontis coronati.
M. D. LXXXVII.
Cum priuilegio Regis.



ILLVSTRI ET MAGNANIMO VIRO, GVALTERO RALEGHO, *Equiti Anglo, Cornubiæ & Exoniæ stannifodinarum, omniúmque Regiæ maiestatis castellorum in iisdem prouinciis Præfecto Generali,* S. D.



INGENTI laude dignos arbitror, Eques illustris & magnanime, qui suis laboribus & vitæ discrimine latentes hactenus tot Antipodum myriadas nostris gentibus cognitas effecerunt. Illos verò qui ingenio pollentes eorum res præclarè gestas æternis literarum monumentis consignarunt, si non maiori, non multo sane minori in precio habendos, nec minus obseruandos existimo. Non immerito igitur illius summi viri PETRI MARTYRIS Anglerij Mediolanensis memoria bonis omnibus sacra & chara imprimis esse debet. Quicquid enim laude vel vituperio dignum in vastis Noui Orbis regionib⁹ partim detegendis, Castellanæ partim potētiæ subigendis, triginta & quatuor annorum spatio terra maríque Hispani præstiterunt, à primis in-

cunabulis hiſtoriam exorſus, particulari locorum deſcriptione, & temporum ſerie diligentiſsimè obſeruatis, vniuerſo orbi Chriſtiano Commentariis ſuis doctiſsimis commendauit. Neque verò carptim, vt plerique alij, neque lingua vt plurimùm doctis ignota, neque nudè aut frigidè res narrat geſtas, ſed immenſæ illius Americæ caput, collum, pectus, brachia, totúmque adeo corpus ſuo inſigni dextróque penicillo & viuis coloribus ingenioſiſsimè depingit, ornatu Latio eruditis familiari decentiſsimè induit, quotieſcunque etiam res ipſa poſtulat, latentes rerum cauſas ſcrutatur, arcanos naturæ effectus inquirit, & ex intimis reconditæ philoſophiæ penetralibus ſententias depromptas, vt ſplendidiſsima orationis lumina, gemmáſque pulcherrimas crebèrrimè admiſcet. Si ea reſpiciamus quæ in terra procreâtur, de viribus herbarum, fruticum fructibus, aromatum vigore, agrorum prouentu, præſtantia metallorum, quadrupedum coitu, generatione volucrum, natura piſcium, ortu, incremento, ætate, victu, proprietatibus omnium ferè animantium, nec Ariſtoteles, nec Theophraſtus, nec Columella, nec ipſe Plinius, doctius aliquid, aut accuratum magis, quàm noſter hic Martyr vnquam concinnarunt. Si vegetabilibus & brutis relictis ad homines & genus noſtrum diuertamus, gentium mores, vrbium ſitus, fundationes coloniarum, idolorum cultus, ſacrificandi ritus, ſtudia belli, armorum genera, vicinorum inimicitias, domeſticorum ſimultates, præliorum euentus, ſtatus regnorum & mutationes, quis

Cicero, quis Saluſtius, quis Cæſar, quis Tacitus, maiori ornatu, breuitate, candore, maiori grauitate aut fide perpoliuit? Vt alia taceam quæ ſatis per ſe manifeſta ſunt, luculẽtiſsimum de fide eſt hoc argumentum, quòd, longè amotis & poſthabitis, amicitiæ, ſpei, inuidiæ paſsionihus, & particularium minutis affectibus, cuique quod ſuũ eſt vbique tribuat, nullius vitia vel amiciſsimi diſsimulando, nec debitas cuiuſquam laudes minuendo. Laudat ille quidem multis in locis conſtantiam & inuictos Hiſpanorum animos, eorúmque in ſiti, fame, periculis, laboribus, vigiliis, crebríſque ærumnis tolerantiam ſummo cum applauſu celebrat. Sed idem ille eorundem auaritiam, ambitionem, cædes, rapinas, ſtupra, crudelitatem in nudas & innocuas gentes, interdum etiam armatorum clades & exercituum internecionesà Barbaris eiſq; inermibus perpeſſas paſſim cõmemorat, & ſine omni adulatione perpetrata flagitia acerrimè perſequitur. Piget hæc, inquit alicubi, referre, ſed oportet eſſe veridicũ. Iam verò ſi à terra in altũ prouehamur, de motu Oceani, de eiuſdem ſalſedine, de fluxu & refluxu, de gyris, de vorticibus, de circulari per Occidentem decurſu, de cæcis ſcopulis, de vadis, de ſyrtibus, ô quanta & qualia apud hunc ſubinde ſeſe offerunt rationum & obſeruationum pondera. Poſtremò ſi rectà in cœlos cõuolem⁹, climatũ diuerſitates, ventorum varietates, typhonum inſanias, temporum viciſsitudines, frigora, calores, ſiccitates, pluuias, occultos ſyderum motus & influentias, quis iſto diuinius vnquam deſcripſit?

Quamobrem quod olim Alexander Macedo de inuicto Achille dixisse fertur, ô fortunatum, qui Homerum tuarum laudum præconem inueneris, idem ego vere de gente Hispana effari possum, ô beatos & ter fœlices vos Hispanos, qui Martyrem, admirabilis ingenij virum, maximarum vsu rerum pollentem, iudicio maturũ, sciẽtiarum ferè omnium cyclopœdia exornatum, vestrorum apud Indos Hesperios laborum, rerúmque animosè ac fortiter gestarum ebuccinatorem consecuti estis. Vt enim Nasonem sequar imitãdo,

---Hesperios quis nosceret Indos,
Martyris æternum si latuisset opus?

Istius tanti & talis viri opus insigne plusquam dimidia parte mutilum, & à quibusdam magnis viris, quasi penitus sydere infausto periisset, vehemẽter deploratum, integrum, suóq; natiuo splẽdori, nisi fallor, restitutum, quanta potui maxima diligentia in lucem iam tandem edendum curaui. Præterquã enim quòd infinita errata, summa cum sollicitudine repurgauerim, quibus vndique scatebat Complutense exemplar, olim in Hispania semel tantum calchographorum typis mãdatum, (quo mihi necessariò vtendum erat, quia aliꝫ posteriores quatuor Decades nullubi quàm eo loci ederentur) annorum seriem diligẽter obseruatam, nonnulláſq; notationes apprimè necessarias ad margines apposui, indicémque amplum & accuratum in omnes libellos concinnatum adieci: nec his contentus, cartam Geographicam prꝫcipua operis loca continentem, vt perpendicularem appendicem adiunxi, memor illius quod ve-

re dicitur, Geographiam eſſe hiſtoriæ oculum. Cur autem onus hoc in me ſuſceperim rationes erant, partim ne viri docti & induſtrij tanto támque amplo bono fraudentur, qui nullam aut exiguam cognitionem habent linguæ Hiſpanicæ & Italicæ, quibus omnia fere huius argumẽti volumina, hoc vnico opere excepto, inuoluuntur: partim vt aliæ gentes maritimæ, noſtríque imprimis inſulares Angli, Hiſpanorum initia & progreſſus intuẽtes, ad parem fortitudinis imitationem incitari poſſent. Nam qui exterorum laudes proponit, ſuos, ſi non ſunt ſtipites, prouocat. Adde quod domeſticum & familiare hinc petere poſſunt virtutis exemplum. Hic enim legent Sebaſtianum Cabotum, Baccalaorum repertorem ter appellari, & eſſe in confeſſo, illum, Henrici ſeptimi prudentiſsimi & fœliciſsimi magnæ Elizabethæ noſtræ aui auſpiciis, anno ſexto & nonageſimo ſupra milleſimum & quadringẽteſimum, trecẽtis Anglis comitatum, vniuerſum illum tractũ ab Arctico polo ad latitudinem freti Herculei (quod gradu trigeſimo ſexto continetur) Cubæque inſulæ longitudinem, omnium Chriſtianorũ primum detexiſſe: eundémque ex Anglia à Fernãdo Catholico Rege in Hiſpaniam amplis muneribus vocatum Senatus Indici concurialem Martyri factum eſſe. Ex cuius ſummi viri è Britãnia noſtra diſceſſu quantum nobis damni illatũ fuerat, Henricus octauus rex inuictiſsimus à ſuis quibuſdam ſerò admonitus, facile, quo valuit iudicio, intellexit, ſtatímque clam domum reuocatum ampliſsimo perpetuóque ſtipẽdio ornauit,

cúmque, nisi mors inopinata impediuisset, munitisima classe, rebúsque omnibus necessariis instructum ad nouas illas terras, quas, ablatis inde tribus indigenis, non tamen satis accuraté inspexerat, diligentius explorandas quàmprimum dimisisset. Sed hæc, vt videtur, diuina prouidentia, tibi, Ornatisime Eques, reseruauit. Tibi igitur has meas vigilias condonatas & consecratas esse volui. Cui enim potius, quàm tibi has noui Orbis Decades offerrem, qui centum ferè millium ducatorũ impensa, nouis tuis clasibus regiones nouas, nouam iam tertiò ducendo coloniam, notas ex ignotis, ex inaccesis peruias, nouisimis hisce tẽporibus nobis exhibes? Cuius omnes curæ, cogitationes, conatus, huc spectant, hæc versant, in his inhærent. Cui cum Illustrisimo illo herôe, Carolo Hovvardo, altero Oceani maris Neptuno, Edoardi Staffordij, nostri apud regem Christianisimum oratoris prudentisimi sororio, eadem studia, eædem voluntates, iidem ad res magnas terra maríque aggrediendas sunt & fuerunt animorum stimuli. Cum vero artis nauigatoriæ peritia, præcipuum regni insularis ornamẽtum, Mathematicarũ scientiarũ adminiculis adhibitis, suũ apud nos splendorẽ posse cõsequi facile perspiceres, Thomam Hariotum, iuuenem in illis disciplinis excellentẽ, honestisimo salario iamdiu donatum apud te aluisti, cuius subsidio horis succesiuis nobilisimas sciẽtias illas addisceres, tuíque familiares duces maritimi, quos habes non paucos, cum praxi theoriã non sine fructu incredibili cõiungerẽt. Ex quo pulcherrimo & sapien-

tiſsimo inſtituto tuo quid breui euenturum ſit, qui vel mediocri iudicio valent, facilè proculdubio diuinare poterunt. Vnum hoc ſcio, vnam & vnicam rationem te inire, qua primò Luſitani, deinde Caſtellani, quod antea toties cum nõ exigua iactura ſunt conati, tandem ex animorũ votis perfecerũt. Perge ergo Spartam quam nactus es ornare, perge nauem illam pluſquam Argonauticam, mille cuparum fere capacẽ, quam ſumptibus plane regiis fabricatam iam tãdem fœliciter abſoluiſti, reliquæ tuæ claſsi, quam habes egregiè inſtructam, adiungere. Sinarum littora adhuc latentia & freta recondita nobis aperito: portas ab orbis initio præſcriptione temporum obſeratas tuis reſerato. Reſtãt adhuc tibi nouæ terræ, regna ampliſsima, gentes ignotæ, tibi, inquã, reſtant adhuc detegendæ, ſceptróque magnæ Eliſabetæ noſtræ, maris Oceani, Hiſpano confitente, imperatricis, fœlicibus tuis & armis & auſibus breui & facili negocio ſubigendæ. Sed quorſum currenti calcar addo, cur feſtinãtem à tergis incito? Quorſum ego te, vt in incœpto perſtes, hortor aut admoneo, qui, literis nuperrime ab aula ad me datis ſponte & vltro cõteſtatus es, à tuę VIRGINIAE ſuauiſsimis amplexibꝰ, quã nymphã pulcherrimã, licèt nondum ſatis pleriſq; bene cognitã munificentiſsima Regina in ſponſam tibi dedit, nullis terroribus, iacturis, infortuniis, poſſe aut vnquã velle amoueri. Hac ſi conſtantia pauliſper modò vſus fueris, nouos eóſque fœcundiſsimos partus breui emittet ſponſa tua, quibus te tuóſq; omnes mirificè beabit, illóſque ignomina & pudore aſ-

ficiet, qui illi temerè & impudenter sterilitatem ausi sunt toties obiicere. Quis enim illã VIRGINIAE tuæ Elysię maculã iure merito poterit inurere, cũ eius abstrusas opes & diuitias & pulchritudinẽ hactenus reconditã nemo adhuc penitus scrutatus fuerit? Valeant & abeant quo digni sunt socordes illi fuci, & pecudes ad ventrem & gulam tantum pronæ, qui inde nuper redeũtes, imitati sunt eos, qui à Mose dimissi vt terram melle & lacte affluentẽ inuestigarẽt, falsam de ea famam excitarunt. Iudex rerũ omniũ tẽpus, diligénsq; tuorum ministrorũ inquisitio, multa inopinata, quæ adhuc latent, modo Deus intersit, nobis aperiẽt: Deum autẽ adfuturũ nõ est cur dubites, quandoquidẽ de ipsius gloria, animarũ infinitarũ salute, Reipub. Christianę incremento agitur. Eia ergo age vt cœpisti, & æterna tui nominis ac famæ apud posteros, quæ nulla vnquã obliterabit ætas, relinque monumẽta. Nihil enim ad posteros gloriosius nec honorificẽtius trãsmitti potest, quàm Barbaros domare, rudes & paganos ad vitæ ciuilis societatem reuocare, efferos in gyrũ rationis reducere, hominésq; atheos & à Deo alienos diuini numinis reuerentia imbuere. Eóque magis hoc nostro miserrimo & plusquã calamitoso sæculo, quando in Mahumetęorũ cõmodum & incrementũ maxima pars Christianorum procerum domesticis dissidiis acerrimè intẽta ciuiles tumultus & tragœdias thyestęas quotidie idq; sine fine accumulant. Quod si ex tuis non vsq; adeo male auspicatis initiis hoc proxime elapso triẽnij spacio tanta accessio facta sit ad nominis tui existi-

mationem, vt non modo domi ſed & foris etiam à viris egregiis, interq; alios ab ornatiſsimo & doctiſsimo Baſanerio meo tuæ laudes certatim celebrẽtur: quid poſt hac quęſo futurum putabis, cum rebus tuis pręclarè gerendis amplam adeo ſcribendi materiam ingenio præſtantibus ſis indies magis magíſque prębiturus? Rumpatur Zoilus, nec te permoueant venenata iniquorum & inuidorum iacula, qui canem Aeſopicum imitati, nec ipsi commodo præſente fruuntur, nec aliis frui cupientibus acquieſcunt. Perge, inquam, perge quo pede cœpiſti, fortunæ ſinciput fortunatũ appręhende, immortalem tibi gloriam oblatam ne reſpue, tibíque Ferdinandi Corteſij Caſtellani, Nouę Hiſpanię Domitoris fortiſsimi res geſtę hic pulcherrime deſcriptæ ſemper in auribus canora voce reſonent, nec minus noctes inſomnes tibi reddant, quàm Themiſtocli glorioſa Miltiadis trophæa. Id modò præſtiteris, ſi non Homerũ, at Martyrẽ aliquẽ, id eſt, fœliciſsimũ aliquod ingenium tandem aliquando conſequeris, quod tuos conatus plane heroicos à vaſto obliuionis hiatu vindicabit. Interea huius laboris noſtri tu hęres eſto, eríſque poſthac, ſi quid in hoc ſcribẽdi genere à nobis laude dignũ perficietur. Conabimur autem, annuente numine, maritimos hominum noſtrorum commentarios ſparſos & hactenus ſquallore obſitos, diligenti temporum ſerie obſeruata, in ordinem redigere, & puluerę excuſſo, in lucem breui ſpectandos producere, quo poſteri maiorum ſuorum indices, quibus diu caruerunt, diligenter intuẽtes, hæreditario

ſuo bono frui cognoſcant, & ſerò oblatam rei bene gerendæ occaſionem arripiant. Hoc ſi præſtiterimus, diuturni noſtri deſiderij & voti exoptati compotes erimus; ſin minus, ſaltem iuuandi ſtudium nobis non defuiſſe teſtabimur. Vale vir magnanime, & nos, vt facis, ama. Pariſiis octauo Kalendas Martij. 1587.

Amplitudinis tuæ ſtudioſsimus,
Richardus Hakluytus,
Oxonienſis Anglus.



ILLVSTRISS. PRINCIPI CAROLO, REGI CATHOLICO, Petrus Martyr. S.



ERVAVIT diuina prouidentia, ex quo fabricare vniuersum cōstituit, immensæ vastitatis occidētalis oceani agnitionem ad nostra vsque tempora, in quibus tibi, potentissime Rex, maternorum auorum fœlicibus auspiciis, patefacta est. Eadem, nescio quo vrgente fato, ex natali patria Mediolano, mox ex vrbe Roma, vbi ferè decennium egeram, ad Hispaniam me videtur impulisse, vt hæc ego miranda nouáque particulatim colligerem, quæ fortè aliàs in voraces fauces obliuionis demersa latuissent, historicis Hispanis, egregiis quippe viris, de generalibus tantum harum rerum inuentis curam habentibus. Non tamē soli mihi huius sumpti laboris gratiam vendicare intendo: Ascanio Vicecomiti Cardinali vicecancellario prima debetur: qui me discedere iam volentem ex vrbe, vt Granatensi bello interessem, dissuasit abitum primò: mox videns id mihi animo fixum sedere, hortatus est, imo & rogans imperauit, vt quæcunque in Hispania emergerent, ad eum conscriberem. In Hispaniam cōcessi, expeditionis eius visendæ studio, quòd in hostes nostræ fidei sumpta esset, nilque mihi iuueni & rerum nouarū cu-

pido præberet Italia, vnde ingenium pascerem, ob eius principes discordes. Bello interfui: per epistolas diarias quæ gerebantur, à me Ascanius Cardinalis habebat. Fortuna eius ex altrice mutata in nouercam, cessi à scribendo. Purgata, stratis hostibus, Hispania, Mauróque malo gramine extirpato, ne labentes annos ocio indecenti contererem, in Italiam regredi meditabar. Amborum regis & reginæ catholicorum vita functorum singularis erga me benignitas, & simul ampla pollicita, post reditũ præcipue à legatione mea Babylonica, me detinuerunt. Fixisse tamen pedem haudquaquam pœnitet: tum quia nullibi terrarum hoc tempore æquè præclaras res fieri videbã, tum etiam quod ex Christianorum principum dissidiis ruere omnia in præceps, depopulari agros in vniuersa ferè Italia, & humano sanguine impinguari, atque vrbes hostiliter diripi, virgines, nuptasque, cum bonis patriis in prædam trahi, miseros innocentes viros ac genitores intra proprios lares inermes etiam & gratuitò crudeliter trucidari, querulis clamoribus non audiebam modò, sed pene sentiebam. Neque enim affinium & propinquorum meorum sanguis ab ea fera sæuitia immunis euasit. Dum sic morarer, Cardinalis Arragonius Frederici regis patrui sui nomine, sequentes primæ Decadis octo libellos epistolares, visis duobus Ascanianis, à me exegit. Vacuum omni cura demum de rebus oceaneis Apostolici nuncii viri celeberrimi nostri Summi Pontificis Leonis Decimi nomine (cuius fœlici consilio & autoritate, speramus ærumnosis tot calamitatibus Italiam aliquando finem imposituram) me dormientem excitarunt. Ad eius sanctitatem breuibus epistolaribus libellis compactas duas decades addidi primæ, quæ me inconsulto prælis fuit impressorum exposita, vti per sequentem præfationem constabit. Nunc ad te venio serenissime Rex, à quo parumper vagatus sum. Quod vniuersam tibi aui materni subdiderunt Hispaniam, angulo ex-

cepto, quod pulchram tibi, cum feracibus nostri maris insulis, Parthenopen reliquerint, magnum quidem, & ea nos per annales annotauimus: sed pace maiorum dictũ velim, quicquid ab initio mundi gestum scriptúmque reperio, meo iudicio parum est, si pensitauerimus quas tibi, Rex potentißime, nouas terras, quæ noua maria, quàm varias nationes & linguas, quales aurifodinas, quæ margaritarum viuaria, prouentibus aliis omißis, tibi pararunt. Quæ, qualia, quantáque sint, tres decades hæ patefacient. Veni ergo, veni Rex electe à superis ad nõdum ab hominibus intellectum rerum aliquod culmen: veni & propera. Aequinoctialem tibi circulum latentem hactenus, & furentem atque ardore solis adustam, antiquorũ opinione, Zonam, paucis exceptis, tibi paratam habemus, populis refertißimam, amœnam, vberem, fortunatißimam, auro & candentibus margaritis coronatas mille insulas, & vno putato continenti tres Europas offeremus. Veni nouum orbem amplexurus, nec tui nos desiderio vlterius macerato. Hinc, hinc, tenelle Rex clarißime, instrumenta, quibus totus tibi pareat orbis, comparabuntur. Valeat fœliciter tua Maiestas, cuius gustui si sapidas fore culturæ nostræ sationes intellexerimus, vberiorem indies illarum copiam plenis canistris offeremus. Qui sim, libellorum indices aperient. Ex Mantua Carpẽtana, vulgò Madrid, pridie Cal. Octo. Anno MDXVI.

AVTHOR.

Accipito hæc lector, breuibus compacta libellis,
Principib⁹ variis scripta. Hîc noua multa videbis:
Oceani ingentes terras, vasta æquora, linguas
Hactenus ignotas, atque aurea sæcula nosces,
Et gentes nudas, expertes seminis atri
Mortiferi nummi, populísque auróque feracem
Torrentem zonam: Parcat veneranda vetustas.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ maiestatis priuilegio cautum est, ne quis alius quàm Guillelmus Auuray, in alma Parisiensi Academia Bibliopola, *Petri Martyris Mediolanensis, Protonotarij Apostolici, Consiliarij Regij de Nouo Orbe Decades octo*, ante annos septem à die impressionis absolutæ, in suis regionibus imprimat, alibíve impressas importet, aut venales habeat, sub pœna confiscationis librorum aliáque illi, qui aduersus ea fecerit, indicta: Vt fusiùs Regio diplomate continetur.

Dat. Parisiis. 4. Februarij, anno 1587.

De Consilij sententia signato.

DE BEAVVAIS.



PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTArij Apoſtolici, Conſiliarij Regij, de nouo orbe Decadis primæ Caput primum, ad Aſcanium Sphorciam Vicecomitem, Cardinalem, Vicecancellarium.

Solebat grata vetuſtas pro diis habere viros, quorum induſtria & animi magnitudine, ignotæ Maioribus eorum terræ panderētur. Nobis autem, qui Deum habemus vnicum, ſub triplici perſona quem colamus, reſtat, vt huiuſmodi genus hominum ſi non coluērimus, admiremur tamen: reges verò obſeruemus, quorum ductu & auſpiciis datum eſt illis cogitata perficere: vtroſque etiam extollamus, & pro viribus illuſtremus iure merito. Quare de inſulis maris occidui nuper repertis & rei authoribus quid referatur, habeto: hoc ſiquidem tuis literis vehementer cupere videris. Ab ipſius ergo initio, nē ſim cuiquam iniurius, exordiri eſt animus.

Chriſtophorus Colonus quidam Ligur vir, Fernando & Elizabethæ regibus catholicis propoſuit & ſuaſit, ſe ab Occidente noſtro finitimas Indiæ inſulas inuenturum, ſi nauigiis & rebus ad nauigationem attingentibus inſtruerent: à quibus augeri Chriſtiana religio, margaritarum, aromatum, atque auri Chriſtophorus hic, Columbus cognominatur alias.

inopinata copia haberi facilè posset. Instanti, ex regio fisco destinata sunt tria nauigia: vnũ onerarium caueatum, alia duo leuia mercatoria sine caueis, quæ ab Hispanis Carauelæ vocantur. His habitis, ab Hispanis littoribus, circiter Cal. Septemb. anni secundi & nonagesimi supra quadringentesimum & millesimum à nostra salute, iter institutum, cum viris Hispanis circiter 220. Colonus cœpit. A Gadibus in alto Oceano Fortunatæ, vt multi putant, insulæ, quæ ab Hispanis Canariæ nuncupantur, iampridem repertæ, distant millia passuum mille & ducenta, secundùm eorum rationem: dicunt enim distare tercentum lequas: singulas autem lequas nauigationis periti, quatuor millia passuum continere suis computationibus aiunt.

Fortunatis insulis vndè nomen. Canariæ insulæ.

Fortunatas insulas ob cœli temperiem appellauit antiquitas: neque enim grauis vrget incolas hyems, neque atrox æstas. Sunt tamen qui eas velint esse Fortunatas, quas Capitis Viridis insulas, Portugalenses appellant. Canarias, ad hæc vsque tempora hominibus nudis, eô quòd extra omne clima Europæ ad meridiẽ, & sine vlla religione degentibus, habitatas, Colonus aquandi, & reficiendarum nauium gratia, priusquam se tam duro labori crederet, adiuit. Non insuaue futurum arbitror, quandoquidem in Canarias incidimus, si ex ignotis quomodo notæ, si ex incultis quomodò cultæ sint effectæ, narrauerimus: longa nanque annorum curricula incognitas iam obliuioni tradiderant. Hæ insulæ septem, Canariæ dictæ, anno circiter 1405. à Gallo nomine Betanchor, ex concessione reginæ Catharinæ, regis Ioannis filij sui, dum infans esset, tutricis, repertæ fortè fortuna fuerunt. Pedem ibi fixit per aliquot annos Betanchor, duásque ex illis occupauit ac redegit in cultum, Lancelotã & Fortem Venturam. Eo mortuo, hæres eius Hispanis viris precio insulam vtranque præbuit. Fernandus dehinc Peraria & vxor eius, Ferream & Gomeram inuaserunt. Nostris temporibus tres reliquas, Canariam magnam scilicet, Petrus de Vera nobilis Xerisij ciuis, & Michael de Moxica. Palmam autem ac

Tenerifen Alphonsus Lugo, sed impensa regia. Gomeria deinde ac Ferrea, non cum magno labore subditæ sunt. Sed Alphonsus Lugo duriusculè rem perfecit: gens enim illa nuda, siluestris, saxis & fustibus bella gerens, semel eius exercitum fugauit, trucidauitque circiter quadringẽtos: tādē eos deuicit. Ita Canariæ omnes ad Castellanam additæ sunt potẽtiam. Ab his igitur insulis Colonus, occidentem solem semper secutus, licet in læuā paulisper, tres & tringinta continuos dies, cœlo tantùm & aqua cõtentus, nauigauit. Hispani comites, murmurare primùm secretò cœperunt, apertis mox conuicijs vrgere, de perimendo, ductore suo cogitare: demum, vel in mare proijciendo, cõsulebatur: se deceptos fuisse ab homine Ligure, in præceps trahi, qua nunquàm redire licebit. Post trigesimum iam diem furore perciti, proclamabant, vt reducerentur: nè vlteriùs procederet, stimulabant hominem: ipse verò, blandis modò verbis, ampla spe modò, diem ex die protrahens, iratos mulcebat, deposcebat: proditionis quoquè taxandos esse à regibus, si aduersi quicquam in eum molirentur, & si parere recusarent, prædicabat. Optatum tandem terræ prospectum læti suscipiunt. Patefecit nauigatione hac prima, sex tantùm insulas, atque ex ijs duas inauditæ magnitudinis: quarum alteram Hispaniolam, Ioannam alteram vocitauit: sed Ioannam esse insulam, nõ pro certo habuit. Illarum quarundam littora cum abraderent, cantantem inter condensa nemora philomenam mense Nouembri audierunt. Dulcium aquarum ingentia flumina, natiuos portus, magnarū classium capaces, adinuénit. Ioannæ littora lambens, ad Occidẽtem à Septentrione recto latere non multo minùs octingentis millibus passuum percurrit (aiunt enim centum & octoginta leucas) continentem arbitratus, quod neque terminus, neque termini vllius signum in insula, quantùm oculis prospectus inseruiebat, appareret: retrocedere instituit: redire etiam illum pelagi tumores coègerunt: nā Ioannæ littora per varios inflexus tantum iam ad septentrionem se vertebant, & curuabantur,

*al. Teneriffen.

Philomenarū in Nouemb. cantus.

quòd Boreales flatus naues acriùs infestarent, quoniam hyems vigebat. Ad Orientem igitur proras vertens Ophiram insulam sese reperisse refert: sed Cosmographorum tractu diligenter considerato, Antiliæ insulæ sunt illæ & adiacentes aliæ: hanc Hispaniolam appellauit: in cuius Septentrionali látere tentare locorum naturam cupiens, terræ appropinquabat. Cùm in planam quandam & cæcam rupem aquis coopertam, carina grandioris nauis incidens, aperitur & perstat, saxi latentis planities fuit illis, ne submergerentur, adiumento: cũ reliquis igitur duabus properantes, viros omnes incolumes educunt. Ibi primùm ad terram egreßi, homines indigenas viderunt: qui venientem inauditam gentẽ conspicati, facto agmine, in condensa nemora omnes veluti à canibus Galicis timidi lepores, sese fugientes recipiunt. Nostri multitudinẽ insecuti, mulierem tantùm capiũt: hanc cùm ad naues perduxissent, nostris cibis & vino benè saturatam, atque ornatam vestibus (nam ea gens omnis vtriusque sexûs, nuda penitùs vitam ducit, naturâ contenta) solutam reliquerunt. Quũ primùm ad suos mulier conceßit (sciebat enim illa, quò fugientes diuerterent) ostendissétque mirum esse nostrorum ornatum & liberalitatem, omnes ad littora certatìm concurrunt, gentem esse missam è cœlo autumant. Aurum, cuius erat apud illos aliqua copia, ad naues natando portant: pro frusto aut paropsidis fictilis, aut vitrei cratéris aurum cõmutabant. Si ligulam, si tintinabulum, si speculi fragmentum, si quicquã aliud simile nostri impartiebantur: tantum auri, quantum petere libebat, aut vnusquisque eorum assequebatur, exhibebant. Cùm iam res ipsa ad familiare commercium deuenisset, & gẽtium mores nostri perquirerent, reges habere gentem illam per signa & coniecturas cognouerunt. E nauibus descendentes nostri, à rege & reliquis indigenis honorificè recipiuntur: nostris, omnibus quibus poterant & sciebãt modis, assurgebant. Sole ad occasum vergente, nostris, dato salutationis Angelicæ signo, genua Christiano ritu flectentibus, itidèm illi faciebant.

Crucem quocunque modo Christianos colere conspicerent, adorabãt. Ex naui quam saxo illisam diximus, nostros homines & quicquid in ea vehebatur, ità celeriter atque animo læto gens illa in terrã suis lintribus, quas Canóas vocant, eduxerunt, quòd affines affinibus apud nos nulli maiore misericordia tacti succurrant. Canóas autem illas, ex solo cauato acutißimis lapidibus ligno, longas, sed angustas, construunt: monoxyla propterea esse dicemus. Octoginta remigũ capaces plerasque se vidisse multi affirmant. Vsus ferri apud eos nullus inuenitur: propterea quomodo siue domos, quas mira arte laboratas videbant, siue alia quæcunque ad eorum vsum pertinentia fabricarent, maxima nostros detinuit admiratio: sed ex fluuialibus quibusdam durißimis lapidibus præacutis omnia apud illos diduci, certum est. Esse non longè ab illis insulis quorundam ferorum hominum insulas, qui carnibus humanis vescantur, fama didicêre: id esse causæ, quòd ità trepidi aduentantes nostros confugerent, posteà retulerunt, Canibales arbitrati: sic truculentos illos, siue Caribes, vocant. Horum obscœnorum insulas, itinere ferè in medio ad has insulas, ad meridiem reliquêre. Suas insulas ij mites à Canibalibus non aliter incursionibus crebris vexari perpetuò ad prædã cõquerũtur, atque per nemora venatores per vim & per insidias feras insectantur. Quos pueros capiunt, vt nos pullos gallinaceos, aut porcos, quos ad obsonia volumus pinguiores & teneriores educare, castrant: grandiores & pingues effectos comedunt: ætate autem iam matura cùm ad eorum manus perueniunt, peremptos partiuntur: intestina & extremas membrorum partes recentes epulantur: membra sale condita, vt nos pernas suillas in tempora seruant. Mulieres comedere apud eos nefas est & obscœnum: si verò quas assequuntur iuuenes, ad sobolem procreandam, non aliter atque nos gallinas, oues, iuuencas & cætera animalia, curant & custodiunt: vetulas ad obsequia præstanda pro seruis habent. Insularum, quas nostras iam possumus appellare, tam viri quàm fœ-

Admirãda hominum humanitas.

Incredibilis quorundam hominũ immanitas.

minæ, cùm Canibales aduentare præsentiunt, aliam quàm fuga salutem nullam inueniunt: sagittis arundineis præacutis licèt vtantur, ad Canibalium tamen vim & furores reprimendos parùm prodesse compercre: decẽ enim Canibales, centum ex alijs facilè, si cõcurrant, superaturos, omnes indigenæ fatẽtur. Quid vtraque gens, præter cælum atque eius lumina, adoret, non satis exploratum habuerunt. De reliquis insularium moribus, breuitas temporis atque interpretum inopia, plura noscere non permiserunt. Radicibus ij mites, nostris napis & magnitudine & forma, sed gustu dulci, castaneæ teneræ adhuc similibus, ad cibum vtuntur. Has, ages vocant ipsi. Est & aliud radicis genus, quam iuccam appellant, ex hac & panem conficiunt. Agibus verò magìs aßis aut elixis vtuntur, quàm ad vsum conficiendi panis. Iuccam verò sectam & compressam, succosa nanque est, finsunt, & in placentas coquunt. Sed mirũ hoc: aconito lethaliorem esse aiunt iuccæ succum, qui epotus, ilicò perimit: panem autem ex eius massa, sapidum & salubrem esse omnes experti sunt. Panem & ex frumento quodam panico, cuius est apud Insubres & Granatenses Hispanos maxima copia, non magno discrimine conficiunt. Est huius panicula longior spithama, in acutum tendens, lacerti ferè craßitudine. Grana miro ordine à natura confixa, forma & corpore pisum legumen æmulantur: albent acerba: vbi maturuerunt, nigerrima efficiuntur: fracta, candore niuem exuperant: maizium, id frumenti genus appellant. Et est apud eos aurum alicuius æstimationis: nam auricularum torulis & naribus perforatis insertum, in tenuißimas diductum laminas, ferunt. Cùm tamen neque ad eos commeare mercatores, nec ipsos alia littora noscere præter sua, nostri didicissent, quærere ab eis per signa cœperunt, vnde sibi id aurum compararent: quantùm signis colligere licuit, ex fluuiorum arenis ab altis montibus collabentibus id, neque magno labore lectum, in pilulas, priusquàm diduceretur in laminas, adstringebant. Non tamen in ea insulæ parte, quam rex ille tenebat: quod

Insularũ cibi.

postea patuit experimento: nam cùm inde iam dicessissent, fortè in flumen inciderunt, cuius arenam multo auro mixtam esse, cùm in terram aquandi & piscandi gratia exilissent, perpēderunt. Nullum animal quadrupes se vidisse dicunt, praeterquàm tria genera cuniculorum. Serpentes insulae nutriunt, sed minimè noxios. Anseres sylvestres, turtures, anates nostris grandiores, & cygneo candore, capite purpureo, repererunt. Psittacos, quorum alij virides erant, alij flaui toto corpore, alij similes Indicis, torquati minio, vtì Plinius ait, quadraginta tulerunt, sed coloribus viuacissimis & laetis maximoperè. Alas habent versicolores, viridibus enim & flauis pēnis, quasdam habent ceruleas & purpureas mixtas: quae varietas parit delectationem. Haec volui de psittacis, illustrissime princeps, recitâsse: quamuis huius Christophori Coloni opinio, magnitudini sphaerae & opinioni veterum de subnauigabili orbe, videatur aduersari, psittaci tamen inde absportati, atque alia multa, vel propinquitate, vel natura solum Indicum has insulas sapere indicant: cùm praecipuè Aristoteles circa finem libri de caelo & mundo, Seneca, & alij non ignari Cosmographiae, ab Hispania, Indica littora per Occidentem non longo maris tractu distare attestentur. Masticis, aloës, gosampij, atque aliarum huiuscemodi rerum copiam, suapte natura tellus illa producit. Ex arboribus, veluti apud Seres, vellera colliguntur. Grana quaedam rugosa diuersorum colorum, Caucaseo pipere acutiora: ramalia etiā ex concisis arboribus, cinamomi forma, gustu autem & odore acrem Zingiberim, & medulla & superiore libro imitātia, tulerunt. His igitur inuentae nouae telluris & inauditi alterius terrarū orbis signis contentus, prospero reditu, flantibus Zephyris iam, propter nostrum ver propinquum, redire constituens, octo & triginta viros apud eū regē, de quo suprà memorauimus, reliquit: qui locorum & temporum naturam, donèc ipse reuerteretur, inquirerent. Is rex ab incolis dicebatur Guaccanarillus: cum quo icto singularis amicitiae foedere, de vita &

Psittaci miris coloribus insignes.


Guaccanarillus Rex

salute ac tutela eorum, quos ibì relinquebat, quibus potuit modis, egit. Misericordia contactus rex erga nostros, quòd alienis terris desererentur, lachrymas effudisse visus est, atque omnem opem pollicitus. Sic alter alterum complexi, ad Hispaniam Colonus rediturus, vela dari imperat: secum decem viros ex illis abducens, à quibus posse omnium illarum insularum linguam nostris literis Latinis, sine vllo discrimine, scribi compertum est. Vocant enim cœlum, turéi: domum, bóa: aurum, cáuni: virũ bonum, tayno: nihil, mayáni. Reliquáque omnia vocabula nõ minùs liquidè proferunt, atquè nos Latina nostra. Hæc habes, quæ de prima eius nauigatione memoratu digna existimauerim. Rex autem & regina, quorum omnes cogitatus vel dormientium, in religionis nostræ augmento sunt siti, sperantes ad Christi legẽ tot nationes & simplices gentes facilè trahi posse ijs auditis commouentur. Colonum aduenientem honorificè, vti pro talibus ausis merebatur, tractant. Sedere illum coram se publicè, quod est maximum apud reges Hispanos amoris & gratitudinis, supremíque obsequij signum fecerunt. Præfectum, marinum vocari deincèps Colonum imperant. Is Almirantus Colonus apud Hispanos nuncupatur. Fratrem etiam ipsius Bartholomæum Colonum rei marinæ & ipsum peritum, Præfecturæ insulæ Hispaniolæ titulo ornârunt. Hunc magistratum vulgò Adelantatum appellant. Almirantum igitur & Adelantatum, ac nauigiorum præsentia nomina, cætera etiam huiuscemodi, data opera suis aliquandò vulgaribus appellabo nominibus, quò apertiùs intelligar. Nunc ad institutũ redeamus. Ex insulis, vti in initio Colonus ipse, iam Præfectus marinus, pollicebatur, maxima eorum, quæ mortales omnes totis viribus sequimur, commoda prouentura, creditum est. Duabus igitur his causis commoti sanctißimi hi duo consortes. XVII ad secũdam expeditionem nauigia parari iubent, tria oneraria caueata magna, XII id genus nauium, quas dici apud Hispanos Carauelas scripsimus, sine caueis. Eiusdem generis duas aliquanto

Paratur secunda nauigatio.

grandiores, atque ad sustinendas caueas propter malorum magnitudinem aptas. Huius claßis parandæ curam Ioanni Fonsecæ, viro genere nobili, decano Hispalensi, ingenio atque animo pollenti, tradunt. Vltra ducentos & mille armatos pedites illi imperant conduci, inter quos omnium mechanicarum artiũ fabros & opifices innumeros stipendio accersiri iubent: equites quosdam cæteris armatis immiscent. Ad fœtus procreandos equas, oues, iuuencas, & plura alia cum sui generis masculis, legumina, triticum, hordeum, & reliqua iis similia, non solùm alimenti, verumetiam seminandi gratia, Præfectus apparat. Vites & aliarum nostratium arborum plantaria, quibus terra illa caret, ad eam important: nullas enim apud eas insulas notas arbores inuenêre, præter pinus palmásque, & eas altißmas, ac miræ duritiei & proceritatis ac rectitudinis, propter soli vbertatem: atque etiam ignotos fructus alias plures procreãtes. Terram aiunt esse, terrarum omnium quas ambiunt sidera, vberrimam. Instrumenta omnia fabrilia, ac demùm alia cuncta, quæ ad nouam ciuitatem in alienis regionibus condendam faciunt, vnicuique artifici imperat. Ex fidis regijs clientibus plures hanc nauigationẽ, & rerum nouarum studio, & Præfecti authoritate promoti, sua sponte aggreßi sunt. Secundis igitur velis, VII calẽd. Octobris, anni III & nonagesimi supra quadringẽtesimum & millesimum à salute nostra, à Gadibus mouit. Fortunatas insulas calend. Octob. tetigêre. Ex Fortunatis vltima, dicitur ab Hispanis Ferrea, in qua nulla est alia potabilis aqua, præterquàm ex rore de arbore vnica in insulæ supremo dorso stillante aßiduè, & in lacunam manu factam cadente. Ab hac insula vela in altum Oceanum, tertio idus eiusdem, cœpit protendere. Hæc nobis intra paucos dies ab eius discessu renunciata fuerunt: quicquid succedet, accipies. Vale felix. Ex Hispana curia, idibus Nouemb. M.CCCC.XCIII.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOlici, Regiíque consiliarij, Oceaneæ Decadis primæ caput secundum, ad Ascanium Sphorciam Vicecomitem, Cardinalem, Vicecancellarium.



Repetis, illustrißime princeps, cupere te quæ accidunt in Hispania, de orbe nouo cognoscere: placuisséque tibi, quæ hactenus de prima nauigatione scripserim, insinuâsti. Accipe, quæ successerunt.

Methymna Campi celebre oppidum est in Hispania, respectu vestri, vlteriore: & in ea parte, quæ Castella Vetus dicitur, à Gadibus circiter quadraginta millia passuum distans. Ibi curia cõmorabatur, cùm circiter nono caled. Aprilis huius anni nonagesimiquarti, cursores ad Regem & reginam missi, aduentâsse XII ex insulis nauigia, retulerunt, Gadésque prospero reditu appulsa esse: sed nihil aliud se velle Regi & reginæ ductor ipsarum nauium per nuncios significare ostendit, præterquàm Præfectum marinum cũ quinque nauigiis & nongentis hominibus, vestigandi causa, in Hispaniola permansisse: cætera se coràm recitaturũ scribit. Pridiè igitur Nonas Aprilis, dux ipse claßis, frater nutricis primogeniti regij, à Præfecto marino legatus aduenit: ab eo cæterisque simul fide dignis hominibus, quæ mihi per ordinem interroganti fuerunt enarrata, vt tibi gratum faciam, recensebo: accepi etenim ego quæ dederunt: quæ autem dederunt, cognoscito. Tertio Idus Octobris ex insula Ferrea, Fortunatarum vltima, ab Hispanis littoribus discedentes, cum classe nauium septendecim in altum, vnum & viginti æquos dies, priusquàm insulam vllam attingerent, consumpserunt: ad læuam multo magis, quàm itinere primo, aqui-

lonem secuti, data opera vertere proras: propterea in Canibaliũ siue Caribium insulas, de quibus fama tãtùm apud nostros erat notitia, inciderunt. Insulam arboribus ità consitam, quò neque vlnam quidem aut nudi, aut lapidei soli, conspicere licuerit, primùm viderunt. Hanc quoniam die Dominico sors obtulerat, Dominicam placuit vocari: nulla ibì mora contracta, quòd desertam esse præsenserunt progrediũtur. His vno & viginti diebus octingentas & viginti leuquas sese arbitrati sũt percurrisse: adeò prosperi illos venti aquilones, à pupi secuti sunt. Post breue spatium æquoris, occurrerunt insulæ, diuersis arboribus, vimine, trunco, radicibus & folijs, aromaticos & suaues odores emittẽtibus, refertæ. Neque homines, neque vlla se ibì animalia vidisse, præterquam inauditæ magnitudinis lacertos, referunt, qui in terram scrutandi gratia descẽderant: Galánam hanc appellant, Ex eius insulæ promontorio quodam monte à longè viso, discessere. At triginta millibus passuum ab hoc monte fluuium descendentem, magni fluuij latitudinis signũ, prospexisse visi sunt. Hanc primam à Fortunatis, terram habitatã inueniunt: obscœnorum esse Canibalium, de quibus fama priùs acceperant, nunc experimento, & his interpretibus, quos primo itinere ad Hispaniam Prefectus duxerat, cognouerunt. Insulam peragrantes, innumeros, sed XX tantũ aut XXX domorũ singulos vicos inueniunt. Ordinem plateæ, tugurijs in gyrum circa plateam cõstructis, seruant. Quandoquidem de illorum domibus in sermonem incidimus, haud absurdum mihi fore videbitur, si, quales eas esse audiuerim, enarrauero. Ligneas omnes, & sphærali forma fabricatas esse, aiunt. Ex arboribus sublicibus altißimis terræ affixis, circumferentiam primùm domûs construunt: alijs postmodùm ab interiore parte curtis trabibus appositis, quæ exteriores altas, nè labantur, sustineant. Altarum cacumina in tentorij castrensis formam coniungunt ità, vt acuta culmina domus illæ omnes habeant. Tegunt deindè palmarũ & quarundã aliarũ similium arborum folijs, contextis modo tutißimo à pluuia.

Insula Dominica.

Galana insula.

Atrabibus curtis postmodū ad trabes interius deductis funibus gossampinis, aut ex quibusdam radicibus sparto similibus contortis, lodices ex gossampino superimponunt. Goßipium nanque nutrit insula suapte natura, sic lectis pensilibus ex rudi goßipio, quod Hispanum vulgus algodonum, Italum bombasium appellat, vel stramine superiniecto vtuntur. Atriū habent, quod vulgares aliæ domus circumeunt, in quod omnes lusuri conueniunt. Domos vocant boíos, media acuta. Duas ligneas statuas, rudes tamen, singulis anguibus ipsis inhærentibus eleuatis, conspicati, simulacra quæ colerent, arbitrati sunt: sed ad decorem ibi posita, postmodùm didicerunt: nā vtì suprà memorauimus nihil adorare præter cœli numen creduntur, quamuis ex goßipio texto laruas, in pictorum lemurū, quos se noctū videre prædicant, similitudinem, cōficiant. Sed vndè digreßi sumus, redeundum est. Aduentare nostros incolæ sentientes, domibus derelictis, tā viri quàm fœminæ profugerunt. Ex pueris & mulieribus captiuis, quos ex alijs insulis prædati fuerāt, vel obsequij vel epularū gratia seruatis, ad nostros circiter XXX confugiunt. Domos ingreßi, habere vasa fictilia omnis generis, fidelias, orcas, cantharos, & alia huiuscemodi, à nostris non multùm dißimilia: atque in eorū coquinis elixas cū psittacis & anserinis carnibus carnes humanas, & fixas verubus alias assandas, cōperère. Penetralia & domorum latibula quæritando, tibiarum & brachiorum humanorū ossa accuratißimè apud omnes, ad cuspides sagittarum conficiendas, seruari cognitum est: ex oßibus enim illas, quòd ferro careant, fabrefaciunt. Cætera ossa, exesis carnibus, proijciunt. Inuenère etiam caput nupèr occisi iuuenis trabi appensum, sanguine adhuc madidum. Quæsitādo verò insulam internè, septē alia flumina, præter id grandius, quod esse Bæti vbì Cordubam lambit, nostro autem Ticino latius aiunt descendere per insulam mira riparum amœnitate, inuenerunt. Hanc vocant Guadalupeam insulam, à montis Guadalupi similitudine, vbì intemeratæ virginis mirabile

Ossa humana in sagittarum vsū seruantur.

colitur simulachrum: Carucuêriam incolæ appellant: est Caribium primaria habitatio. Tulerunt ab hac insula septem psittacos phasianis grandiores, qui ab alijs psittacis colore longissimè absunt: habent enim totum corpus & ventre & tergo purpureum: ex longioribus plumis illis ab humeris lena depēdet super purpureas breues, modo quo apud nostros ruricolas sæpenumerò capones habere ego ipse animaduerti: alarum autem pennas versicolores tenēt. Sunt enim earum glaucæ aliæ, aliæ purpureæ, flauis immixtæ. Psittacorum non minor est in omnibus insulis copia quàm apud nos passerculorum, aut aliarum auiū nostratium. Vtì nostri picas, turdos, & alia huiuscemodi ad delicias nutriunt, ità illi, quanuis eorum nemora psittacis plena sunt psittacos educant, illos tamen deindè comedunt. Mulieres, quas ex captiuis ad nostros concessisse suprà dictum est, munusculis donatas ad Canibales adducendos, ire per signa Præfectus imperat: nec enim illæ, vbi laterent, ignorabant. Hæ apud viros illa nocte commemoratæ, manè sequenti Canibalium plurimos, spe munerum commotos, adducunt. Hi, nostris visis, vel terrore, vel scelerum consciētia permoti, inter sese exorto murmure, alter in alterum oculos flectētes, cuneo facto ex insperato, celerrimè, vt multitudo auium, concitati, ad nemorosas valles pedem referunt. Nostris igitur, qui insulam inquirendi gratia aliquot dies pererrauerāt, in vnum collectis, sine vllo Canibale, fractis eorum lintribus vniligneis, pridiè Idus Nouembris ex Guadalupea ancoras eleuant. visendorum comitum, qui primo itinere in Hispaniola vestigādæ telluris gratia superiore anno relicti fuerant desiderio, Præfectus permotus, à dextera læuáque plures insulas nauigādo quotidiè postergabat. Apparuit à septentrione grandis quædam insula. Et qui prima nauigatione in Hispaniā vecti fuerāt, & qui à Canibalibus redēpti, vocari insulā ab incolis Madannina, affirmârunt, quā solæ mulieres inhabitant. Ad nostrorū aures primo itinere de hac insula fama deuenerat. Ad eas haud secùs Canibales certis āni tēporib⁹ cōcedere credi-

tum est, atque ad Amazonas Lesbicas transfretasse Thraces, retulit antiquitas: & eodem modo filios ad genitores mittere ablactatos, fœminas autem apud se retinere. Has mulieres subterraneos grandes cuniculos habere aiunt, ad quos, si alio quàm constitutò tempore quisquam ad eas proficiscatur, confugiant. Vndè, si aut per vim, aut per insidias tentare aditum sequentes audeant, sagittis sese tueantur, quas certissimas iácere creduntur. Hæc dant: hæc accipito. Ad hanc insulam, propter boreã ab ea flantem, non licuit peruenire: Vulturnum enim iam sequebantur. Inter nauigandum à conspectu Madaninæ ad quadraginta millia passuum, non longè ab alia, quam vecti indigenæ populosissimam, & rerum omnium victu necessariarum copia pollentem, esse aiebant, præterlabuntur: quoniã altis mõtibus instructa esset, Mõtem Serratum, illã vocant. Inter cætera quæ ab ijs quos vehebant, tum verbis, tum signis colligere inter loquendum potuerunt, ipse Canibales plerunque venatum, vescendorum hominum gratia, supra mille millia passuum à suis littoribus, didicêre. Altero die quandam aliam vident: cui, quòd sphærica esset, sanctæ Mariæ Rotundæ nomen indidit Præfectus. Ne moram traherent, aliam iterùm sequenti ab isto die, quam sancti Martini nomine placuit vocitari, prætermisit. In tertium indè diem aliam, cuius diametrale latus ab Oriente in Occidentem, centum & quinquaginta millia passuum esse iudicârunt, extrinsecùs conspexêre. Esse has insulas omnes miræ pulchritudinis & fertilitatis accipiunt. Hanc vltimam, Beatã Virginem Antiquam dixerunt: à qua, pluribus alijs relictis, ad quadraginta millia passuum, cæteris omnibus grandior alia quædam occurrit, quam Ayay ab indigenis vocitatam, sanctæ Crucis nomine appellari voluêrunt. Ancoras è proris iácere Præfectus, aquandi gratia, in hac imperat: triginta ibi viros in terram descendere naui qua ipse vehebatur, iubet, qui loca tentarent: ibi canes inuenêre, quatuor in littore. Iuuenes ac fœminæ totidem statim protentis in supplicum modum lacertis, quasi

In mulieribus sagittandi peritia.

auxilium,& à manu gentis nefandæ libertatem expetentes,obuÿ nostris efficiũtur:multo meliorem sortem sese consecuturos, quæcunque illa foret,existimantes. Canibales autem eodem,quo apud Guadalupeam, modo fugientes, se ad syluas receperunt. Biduũ ibi commorati,& stantibus intereà nostris triginta viris in insidÿs , eccè venientem à longè canóam è caueis specularibus conspexêre, qua octo viros cum totidem fœminis vectari aduertentes, dato signo, canóam nostri adoriuntur. Appropinquantes nostros viri simul & mulieres sagittis mira celeritate & crudelibus ictibus transfigere cœperunt: ità priusquàm sese scutis contegere potuerint, vnum ex nostris, qui Cantaber erat, quædam ex mulieribus peremerit,atque aliũ illa eadem,alia sagitta acri vulnere transegerit.Venenatas sagittas medicamenti quodam genere illinitas esse aduerterunt, acie ipsarum circuncisa,qua medicamen,ne discurreret, retineretur.Erat inter reos fœmina quædam, cui vti per coniecturas percipere fas erat, cæteri obtemperabant,atque veluti reginæ assurgebãt. Hanc filius iuuenis,toruus, robustus, ferocissimi intuitûs,leoninæ faciei, comitabatur. Nostri ergò, nè grauius malũ à longè vulnerati perferrent, multo satiùs esse manum conserere ducentes,remis agitata nostra nauicula qua vehebantur,Canóam impetu maximo inuertunt: ea in profundum missa, neque pigriùs, neque rariùs natando, tam viri quàm fœminæ, spicula in nostros dirigebant. Ad saxum quoddam aqua coopertum recepti, strenuè dimicãtes, tandem capiuntur, vno interempto,& reginæ filio duobus vulneribus confosso. In Præfecti nauim adducti, non magis feritatem ac vultûs atrocitatem deponebant, quàm Libyci leones, cùm sese in vincula detrusos esse præsentiunt. Hos nullus est qui videat, quin scalpi sibi horrore quodam præcordia fateatur:adeò atrox tartareusque est illis à natura & immanitate insitus prospectus: à meipso,& reliquis qui vnà mecum plerũquè ad illos intuendos Methymnæ confluxerunt,coniecturam facio. Ad iter redeo.Indiès magis atque magis procedentes,iam vltra quinque

Horribilis in facie atrocitas.

& quingenta millia passuum ad Aphricum priùs, deindè ad Fauonium, posteà ad Argestem protenderant, cùm pelagi quãdam vastitatem immensam, insulis innumeris & miris modis inter se differentibus paßìm contextam, intrârunt: harum alias nemorosas atque herbidas & amœnas, alias siccas & steriles ac lapidosas altißimorum montium saxeorum, transeundo videbant: quarum aliæ purpureos in nudis saxis colores, aliæ violaceos, aliæ candidißimos ostendebant: metallis & gemmis esse conditas, non desunt qui existiment. Sed nè illic naues firmarẽt, & obstitit maris intemperies, & frequentia insularum metus, nè fortè naues maiores saxo aliquo illuderentur. In aliud igitur tempus harum insularum inuestigatione dilata, quas ob multitudinem & confusam intermixtionem numerare non licuit, iter suum prosequuntur: sex tamen & quadraginta cum leuioribus quibusdam nauigijs, quibus non magno opus erat fundo, intersecuerunt, maioribus nauibus ab alto scopulorum metu iter peragentibus. Archipelagus, Contexturam hanc insularum vocauêre. Ab hoc tractu procedentibus, itinere in medio iacet insula dicta ab indigenis Burichéna: hanc sancti Ioannis insulam appellauit. Indè sese plures ex ijs, qui à Canibalibus liberati fuerant, oriundos aiebant: populosißimam, cultam, portuosam nemorosamque esse insulam fatebantur: eiúsque incolas summa cum Canibalibus odia atque inimicitias semper exercuisse. Non habent ipsi nauigia, quibus, à suis finibus ad littora Canibaliũ poßint transfretare: sed si Canibales eorum terras prædæ gratia incursionibus infestantes profligauerint, vt interdùm contigit, quòd belli euentus sint incerti vices reddunt easdem: alterum enim ante oculos alterius secant, assant, & rabiosis dentibus lacerant & vorant. Hæc omnia per interpretes indigenas vectos in Hispaniam primo itinere, discebant. Hanc insulam, ne morã traherent, prætermisêre. Attamen in eius vltimo ad Occidentem angulo, aquandi solùm gratia pauci in terram descendêre: vbi more gentis eius domum inuenêre magnam & conspicuã,
quam

quàm vulgares aliæ duodecim, sed desertæ, circuibant: an quòd pro anni temporibus nunc ad montana, ratione caloris, nunc ad planities, quando frigescit aër, transmigrent: an Canibalium timore domos penitùs dereliquerint, non planè constitit. Regē habet vnicum vniuersa insula, cui imperanti mira pârent reuerentia. Circiter ducēta millia passuum huius insulæ meridionale latus, quod abraserant, protenditur. In mare noctù duæ mulieres & vnus adolescens ex liberatis à Canibalibus transiliētes, sese natando ad natale solum receperunt. Cum reliquis deinde optatam Hispaniolam, à prima insula Canibalium quingentas lequas distantem, intra paucos dies attingunt: sed infelici euentu, quòd omnes socios ibi relictos, interemptos repererint. Est in huius insulæ Hispaniolæ initio regio, Xamana ab incolis nūcupata. Ab ea ad Hispaniam prima nauigatione Præfectus rediturus cum decem illis indigenis, quos suprà memorauimus, vela tetendit, è quibus tres tantummodò superstites erant: reliquis, contraria terrarum, aëris & ciborum mutatione, defunctis. De tribus cùm primùm Sancteremus Xamanæ latus, ab eo sic appellatum, attigit, vnum solui iubet: alij duo noctù sese in mare furtìm deijciunt, natando profugiunt. Id Præfectus, octo & triginta hominum, quos superiore anno paulò interiùs in insula reliquerat, miserandæ necis ignarus, non multùm ægrè tulit: interpretes sibi non defuturos existimans, quam ob causam hos non magnifaciebat. Vlteriùs aduectis nostris parumpèr, Canóa oblonga multorum remigum occurrit. In ea fráter Guaccanarilli eius regis, quem sibi adstricto fœdere, discedens ab insula, deuinctum amicitia Præfectus reliquerat, cui etiam nostros maximoperè commendauerat, vno tantùm comitatus vehebatur. Is ad Præfectum düas imagines aureas, nomine fratris, dono ferens: de nostrorum morte, vti posteà per rei aduentum cognitum est, suo idiomate egit: sed quoniam interpretes defuerant, eius colloquia non perpenderunt. Cùm autem ad castellum ligneum eis

casas, quas sibi aggere circunducto nostri construxerant, peruenissent, omnia in cinerem versa, & silere omnia cognouerunt. Ea res Præfectum marinum cæterósque viros graues deturbauit. Viuere tamen aliquem, etsi malè coniectarent, existimantes: tormenta & balistas igni supposito, vnà omnes exonerant, vt grauibus tonitruis, littoribus & altis montibus latè concußis, si qui inter homines, aut inter ferarum latebras fortè metu perculsi degant, aduentásse nostros per hæc signa persentirent. Id incassum, viuebat enim nullus. A Præfecto posthæc mißi ad regem Guaccanarillum nuncij, hæc dicta, quantùm potuêre percipere, retulerunt: Esse in ea insula maiores se reges, quòd miræ sit magnitudinis, plures ait: horum duos, maximis copiis suo more comparatis, fama nouæ gentis commotos aduentásse, bellóque victos nostros omnes trucidâsse, repagula casásque simul & eorum supellectilia combußisse: & se, quòd nostris esse auxilio conatus fuerit, ab eisdem fuisse sagitta vulneratum: crus vitta gossampina ligatum ostendens, retulit: propterea non iuisse ad Præfectum, quod maximoperè cupiebat. Varios ibi esse reges, hósque illis, atque illos his, potentiores inueniunt, vti fabulosum legimus Aeneam in varios diuisum reperisse Latium, Latinum putà Mezentiúmque ac Turnum & Tarchontem, qui angustis limitibus discriminabantur, & huiuscemodi reliqua per tyrannos dispartita. Sed Hispaniolos nostros insulares illis beatiores esse sentio, modò religionem imbuant: quia nudi, sine ponderibus, sine mensura, sine mortifera deniquè pecunia, aurea ætate viuentes, sine legibus, sine calomniosis iudicibus, sine libris, natura contenti vitam agunt, de futuro minimè soliciti. Ambitione & isti tamen imperij causa torquentur, & se inuicèm bellis conficiunt: qua peste auream ætatem haudquaquàm credimus vixisse immunem: quin & eo tempore, Cede, Non cedam, inter mortales pererrauerit. Ad rem, à qua digreßi sumus, redeamus. Altero die r. [illegible]

Felicissimum vitę genus.

ſus à Præfecto Melchiorius quidam Hiſpalenſis vir, (apud pontificem ſummum, pro rege & regina functus oratoris officio, quo anno Malaca venit in eorum poteſtatem) neque vulnus, neque vulneris vllius cicatricem, vitta ſublata, ſe vidiſſe retulit: lecto illum tamen aduerſa valetudine ſimulata, iacentem reperit, cuius cubiculo ſeptem concubinarum pellicum lectuli adhærerent: vndè peremptos eius concilio noſtros ſuſpicari cœpit: re tamen dißimulata, cum Guaccanarillo egit Melchiorius, vt poſtero die ad viſendum Præfectum ſeſe ad naues conferret. Naues igitur, vtì pactus fuerat, ingreſſus, noſtris ſalutatis, atque auro donatis primoribus ad mulieres à Cambalibus ereptas conuerſus, in vnam, quam Catharinam noſtri vocabant, oculos ſemifractos conijcere viſus, eam blandè allocutus eſt: atque ſic vrbaniter ac lepidè à Præfecto veniam petens, aſpectu equorum & aliarum rerum illis incognitarum admiratus, diſceßit. Fuêre qui Præfecto conſulerent Guaccanarillum detinendum, fore vti ſi eius conſilio noſtros peremptos fuiſſe comperirent, pœnas daret. Sed irritandi animos indigenarum non eſſe tempus Præfectus ratus, eum dimiſit. Nota. Poſtridiè eius diei, regis frater ad naues ſe conferens, vel ſuo, vel fratris nomine, mulieres ſeduxit: nam ſequenti nocte intempeſta, Catharina ipſa vt ſeſe, & quaſcunque poſſet, in libertatem vendicaret, aut regis & fratris eius pollicitationibus ſubornata, multo maius facinus aggreſſa eſt, quàm Cloëlia Romana, quæ Tybrim, ruptis vinculis Porſenæ imperium fugiens, cum reliquis obſidibus virginibus enatauit: illa enim fluuium equo, hæc cum ſeptem alijs mulieribus ſuiſmet lacertis confiſa, circiter tria millia paſſuum, atque etiam maris non benè tranquilli, traiecit, tantum enim à littore claßis, omnium opinione, diſtabat: Illas inſecuti cymbis leuioribus noſtri, eodem lumine, quo in littore viſo mulieres regebantur, duce, tr.s aſſecuti ſunt: Catharinam cum quatuor reliquis ad

Audax mulierũ facinus.

Guaccanarillum euasisse creditum est: nam vbi eluxit, missi à Præfecto nuncij, aufugisse cum omni supellectile Guaccanarillum simul & fœminas ipsas, cognouerunt. Id non iniuria, fuisse nostros eius consensu interemptos, suspitionem adauxit. Hunc deindè Melchiorius, de quo suprà, tribus armatis centurijs acceptis quæritans, (centuriam, centum virorum numerum appello: licèt me non lateat, constare centuriam ex viris centum viginti octo, quindecímque décuriam) in fauces quasdam retortas, quinque collibus erectis munitas, incidit: fluuij alicuius grande ostium arbitratus. Portum ibì valdè commodum ac tutum adinuenit, Portum Regalem propterea nominandum censuerunt: falcatum eius ingressum, atque adeò in arcum dispositum ferunt, quòd siue in læuam, siue in dextram introductas naues flectant, vndè donèc ad ostium reuertantur, ingressi fuerint, non facilè dignosci possit: quanuìs tribus simul paribus proris onerariæ naues procedere valeant. Hinc atque indè sublati colles littorum loco, venientes frangunt ventos. In eius medio sinu promontorium nemorosum, psittacis, atque aliarum volucrum ibì nidificantium multis generibus refertum, suauissiméque concinentium erigitur. Duo in portum hunc flumina non mediocria defluere cognouerunt. Dum inter vtrumque terram explorant, altam à longè domum vident. Ibì latére Guaccanarillum rati, accedunt. Adeuntibus nostris, vir quidam fronte rugosa & elato supercilio, centum hominibus comitatus, efficitur obuius: arcu, sagittis & lanceis præacutis, sudalibus omnes armati, minantibus similes, accurrunt: se Tainos, id est, nobiles esse, non Canibales, inclamitant. Signo pacis à nostris dato, arma simul & feritatem illam deposuére & singulis accipitreis tintinnabulis acceptis, statìm cum nostris adeò strictam amicitiã iniêre, vt in nostrorum potestatem sese sine vlla mora in naues ex altis fluuij ripis demiserint, & suis posteà muneribus nostros donauerint. Domum illam, qui eam dimensi sunt, duorum

& triginta magnorum passuum à circunferentia ad circunferentiam, (erat enim sphærica) iacto diametro, fuisse asserunt, XXX. alijs popularibus circunseptam: lacunaribus arundineis versicoloribus superinductis, mira arte intertextis. Interrogati, quibus modis moliùs dabatur, de Guaccanarillo, responderunt, non esse Guaccanarilli, regionis huius, sed eius qui aderat, imperium. Sensisse sese fatebantur, quòd Guaccanarillus à littoribus ad montana secesserit. Icto igitur cum hoc Cacico, id est, rege, fraterno fœdere, ad Præfectum, quæ viderant renunciaturi, rediêre. Diuersos intereà centuriones exploratum longiùs: suis centuriis comitatos, Præfectus emittit: inter quos Hoiedam & Gorualanum nobiles iuuenes, & animosos ambos: horum alter quatuor flumina, alius alia parte tria ab iisdem montibus collabentia comperêre: in quorum omnium arenis aurum, nostris præsentibus, indigenæ qui eos comitabantur, hoc modo collegabant: Arena manibus effossa ad scrobem vsque lacerti profunditate, ex imo scrobis plenas arena sinistras dehinc extrahentes, dextra auro delecto, sine vlteriore industria, in manus nostrorum grana porrigebant: quorum se vidisse multa ciceris craßitudine, plures fatentur. Vidi ego ipse posteà allatum rudem fluuiali petræ similem globum, ponderis vnciarum IX, ab ipso Hoieda repertum. His signis contenti, rem ad præfectum referunt. Iusserat enim Præfectus (vt mihi relatnm est) pœna etiam proposita, ne quid vlteriùs, præterquàm de locis & locorum signis, curarent. Fama etiam increbuit, esse quendam regem montium, à quibus flumina illa decidunt, quem Cacicum Caunabóam vocant, id est, dominum domûs aureæ: boam enim, domum dicunt: cáuni autem, aurum: & cacicum, regem: vti iam dictum est. Nullibì aquarum pisces inueniri posse illis præstantiores, saporosiores, aut minus noxios. Et aquas illorum fluminum omnium, esse saluberrimas aiunt. Diem esse apud Canibales mense Decembri noctibus æqualem Melchiorius ipse mihi retulit: sed id sphæræ ratio non patitur: quãuis

Decẽbri nidificãt volucres

eo mense auium aliæ nidificarent, aliæ filios iam natos in nidis haberent, & calor vigeret non mediocris. Abscondi totum Plaustrum sub arctico polo, atque occidere custodes Canibalibus, mihi de altitudine poli ab horizonte diligentiùs scrutanti, enarrauit. Cui de iis major sit fides, quàm huic, adhibenda, nullus hoc itinere rediit. Si ergò fuisset Astronomiæ peritus, diem ferè noctibus æqualem dixisset: nullibi enim terrarum æqua est versùs solstitia nox diei: ipsi verò æquinoctialem nunquam tetigêre, quandoquidem arcticum polum semper habuêre ducem, & ab horizonte semper eleuatum. Sunt enim alij neque literarum aut rerum experientia periti. Propterea breuibus nunc & in composita epistola, quæ colligere potuerim, accipito: propediè m, vtì spero, à me cætera, quæ detegentur habiturus. Scripsit enim ad me Præfectus ipse marinus, cui sum intima familiaritate deuinctus, sese mihi latißimè, quæcunque sors ostenderit, significaturum. Ipse propinquum portui cuidam editum locum, ad ciuitatem condendam elegit: ibíque intra paucos dies domibus, vt breuitas temporis passa est & sacello erectis, eo die quo trium Regum solennia celebramus diuina nostro ritu (in alio potest dici orbe tam extero, tam ab omni cultu & religione alieno) sacra sunt decantata tredecim sacerdotibus ministrantibus. Tempore, quo iam sese ad regem & reginam missurum fuerat pollicitus, appropinquante, & prospera nauigatione se offerente, non vltra cunctandum ratus Præfectus, X I I. has Carauelas, quas aduentasse diximus commeauit, non mediocri molestia nostrorum internecione confectus: quorum morte, multa quæ iam de illorum locorum natura cognosceremus, adhuc nos latent. Vt pharmacopolis, syro phœnicibus & aromatariis accitis, poßis quid regiones illæ ferant, quam calida sit earum superficies, dignoscere, ex granis omnis generis, ex libro & medulla earum arborum, quas Cinnami esse autumant, ad te mitto: siue ex granis, siue ex animulis quibusdam, quas ex ipsis granis decidisse conspicies, siue ex

ligno gustare volueris, illustrissime princeps, tenuiter admoto labello pertingito: sunt enim, quanuis non noxia, ob nimiam tamen caliditatis acuitatem, acria, & linguam, si in ea diù morentur, expungunt: sed statim, si forte eius degustatione lingua concoquatur, epota aqua, asperitas illa tollitur. Ex frumento etiam quo panem conficiunt, grana quædam alba & nigra tabellarius meo nomine dignationi tuæ dabit. Ligni, quod aloës esse dicunt, truncum affert: quod si iusseris scindi, suauem senties ex eo odorem emanare. Vale, ex Hispana curia, tertio calendas Maij, M. CCCC. XCIIII. Ann. 1494.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, regiique consiliarii, ad Ludouicum Aragonium Cardinalem, in Oceaneę Decadis primę caput tertium, Pręfatio.

PETIS itèrum, vt Phœbeos currus ineptus Phaëton gubernet. Ex nudo silice suaues liquores exhaurire contendis. Nouum, vt ita dixerim, terrarum orbem, catholicorum Fernandi & Elisabeth regum tibi patruorum ductu, ab Occidente, qui hactenus latitabat, repertum, vt ego describam, Frederici regis inclyti patrui tibi, mihi literas de hac re ostendens, imperas. Preciosum hunc lapillum, plumbo ineptè circundatũ, ambo accipietis. Sed cum eruditos amicè, detractores inuidè, mordaces rabidè, in nostras formosas Nereides Oceaneas, spumãtia tela detorquere præsenties: quam breui spatio, inter rerum angustias & valetudinariũ, hos me conscribere coëgeris, ingenuè profiteberis: scis nanque me tanto

celeriter ex Præfecti ipsius marini Coloni archetypis pauca hæc delegisse, quanto tuus à manu famulus, qui me dictante scribebat, poterat exarare. Infestabas nanque me quotidiè tuum discessum obiiciens, vt nostri regis sororem Parthenopæam reginã, tibi amitam, quam huc fueras comitatus, in patriam reduceres. Singulis interdùm diebus, singulos me libellos cudere adegisti. Duos in prima fronte: alieno comperies nomine signatos: quos, dum ista quærebantur, ad infelicem ego Ascanium Sphorciam, tibi affinem, Cardinalem, vicecancellarium, scriptitare inceperam: quo cadente, cecidit & mihi animus à scribendo: quem tu nunc, tuíque inclyti patrui regis Frederici literæ, ad me directæ, excußistis. Rem, non picturam, degustate. Vale, ex Granata, 9. Calend. Maij. Anno 1500.

OCEANEÆ DECADIS primæ caput tertium.



Canibalium littora Colonum Præfectum marinum percurrisse, ad Hispaniolámque insulam cum integra classe quarto Nonas Februarij anni tertij & nonagesimi, appulsum fuisse, superiore libro descripsimus. Nunc autem quid de insulæ natura explorans repererit, quid ve posteà, finitimam insulam continentem, vti credit, terram percurrens, inuenerit, enarremus. Insula hæc Hispaniola, quam ipse Ophiram, de qua legitur Regum tertio, esse asseuerat, latitudinis est graduun australium quinqne: eleuatur enim à septentrione gradus septimus & vigesimus: à meridie verò, vt ipsi referunt, vigesimus secundus: longitudo autem ab Oriente in Occidentem passuum millia octoginta super septingenta. Ex ipsius Præfecti Coloni comitibus non desunt, qui vtramque insulæ mensuram producant ab Oriente ad Occidentem. Distare à Gadibus insulã gradus prædicant aliqui nouem & quadraginta,

Hispaniolę, de sciiptio.

alij amplius: neque enim certam adhuc rationem reperêre. Insulæ forma, castaneæ folium æmulatur. Super edito igitur colle, à septentrione ciuitatem erigere decreuit: quòd huic loco mons eminens & saxifodinis ad ædificandum, & calcem concoquendam aptissimus, adiaceat. Inhæret prætereà huius montis radicibus vasta planities, longitudinis milium passuum circitèr sexaginta: latitudinis verò, duodecim alicubì: alibì, vbì angustior, sit, sex: vbì verò amplior, viginiti. Planitiem salubrium aquarnm flumina interluunt plura: sed eorum maius, & id nauigabile, in portum qui vrbi subiacet, ad stadium dimidium cadit. Quanta sit eius vallis vbertas, quanta soli benignitas, eorum relatu aduerte. In huius fluminis ripa hortos colendos limitibus concluserunt: ex quibus de omni olerum genere, vt putà raphanorum, lactucarum, caulium, boraginum, & aliorum huiuscemodi, intra diem à iacto semine sextumdecimum, vulgo matura euulsa sunt. Melones, cucurbitas, cucumeres, & alia id genus, in diem sextum & trigesimum carpserunt. Sed nusquàm se meliores vnquàm comedisse aiebant. Hæc hortentia, toto anno habent recentia. Mira soli vbertas. Cannarum radices, ex quarum succo saccarum extorquetur, sed non coagulatur succus, cubitales cannas intra quindecimum etiam diem emiserunt. De plantatis propaginibus aut sarmentis itidem aiunt, & secundo à plantatione anno, suaues ex eis vuas comedisse: ast ex nimia vbertate racemos edunt perpaucos. Rusticus prætereà quidam tritici parumpèr circiter Calend. Februarij seminauit, (res miranda) in omniũ conspectu maturum spicarum manipulum tertio Calend. Aprilis, qui eo anno erat vigilia Resurrectionis Dominicæ, secum ad vrbem tulit. Legumina quæque quotannis maturescunt bis. Scripsi, quæ omnes vno ore indè redeuntes, de eius terræ fœtura retulerunt: nonnulli tamen ferunt, tritici non esse terram feracem in vniuerso. Intereà dum ista agerentur triginta viros, qui Cipangi, aliâs Cibaui, regionem explorarent, per diuersa

dimisit Præfectus. Est autem hæc regio montosa, saxea, & medium totius insulæ dorsum, in qua maximam esse auri copiam incolæ signis ostendebant. Missi à Præfecto, de regionis opibus mira referentes reuertuntur. Ex illis montibus quatuor ingentia flumina defluunt, quæ totam insulam, reliqua suis alueis suscipiendo, memoranda naturæ industria in quatuor ferè partes æquales diuidunt. Tendunt enim, vnus rectà ad orientem qui ab accolis Iunna vocatur: ad Occidentem alius, huic terga vertens, qui Attibunicus: tertius ad septemtrionem, quem Iachem appellant: vltimus ad meridiem, quem Naibam. Sed redeamus ad condendam vrbem. Fossis & aggeribus vrbe circumuallata, (Vt si eo absente prælium incolæ tentarent, sese, qui relinquebantur, tutari possint) pridiè idus Martij cum omnibus equitibus, peditibus autem circiter quadringentis, ipsemet ad auriferam regionem rectà ad meridiem proficiscitur: fluuium præterlabitur, transgreditur planitiem: montem qui aliud planiciei latus cingit, superat. In aliam conuallem, quam flumen priore maius, aliaque multa mediocria interluebant, incidit: exercitum traducit. Hac valle, quæ priore nulla parte inferior est, superata, tertium montem facit peruium, qui hactenus fuerat inuius. Descenditque in aliam conuallem, quæ iam Cibauæ est initium: per hanc flumina & ex omni colle riui currunt, in quorum omnium arenis aurum reperiebatur. Cum iam secundum & septuagesimum ab vrbe lapidem intra regionem auriferam profectus fuisset, in magni cuiusdam fluminis ripa eminenti super colle condere arcem instituit, vt interioris regionis secreta indè tutò paulatim scrutarentur. Hanc arcem sancti Thomæ nomine insigniuit. Dum interea arcem ædificaret, eius regionis incolæ, tintinnabulorũ & aliarum rerum nostratium cupidi, quotidiè moram trahentem adibant: Præfectus vero marinus se illis, quæ peterent, libentissimè daturum, si aurum ferrent, insinuat. At illi, dato tergo ad hæc promissa, ad ripã propinquiorẽ currentes, intra breue temporis spatiũ onustis

Iunna.
Attibunicus.
Iaches.
Naiba.

auro manibus redibāt. Grandæuus incola duos auri calculos pōderis vnius ferè vnciæ, tintinnabulum tantummodo petens, attulit: qui cū nostros calculorum magnitudinem admirari conspiceret, eorū admiratione admiratus, eos esse paruos ac nullius momenti calculos innuebat, captisque manu quatuor lapidibus, quorum minor nucem, maior autem grande aureum æquabat malum: adeo magnos auri globos in solo natali suo, quod ad dimidiam indè diætam distabat, passim reperiri aiebat, nec apud vicinos suos magnæ curæ esse aurum colligere. Cognitum enim est, illos aurum, inquantum est aurum, nō magnifacere, sed tanti illud æstimare: quanti artificis manus in formam cuique gratam diducere aut conflare didicerit. Quis rude marmor, aut ebur incultum comparat magno? nullus equidem: sed si Phidiæ aut Praxitelis dextra fabrefactum, in comatam Nereidem aut Hamadryadem pulchrè formatam prodierit, nusquam emptores deerunt. Præter hunc senem, accesserunt & alij plures, qui decem & duodecim drachmarum calculos attulerunt, ausique sunt fateri, vbi aurum illud collegerunt, auri globos pueri caput, quem ostendebant, æquantes, fuisse aliquando repertos. Dum ibidem dies aliquot moraretur, Luxanum quendam iuuenem nobilem cum paucis armatis, regionis partem exploratum misit: hic etiam maiora sibi ab incolis fuisse dicta, retulit, nihil tamen attulit: ex Præfecti putant mandato ita fieri. Aromatibus, sed non iisdem quibus nos vtimur, habent plena nemora, quæ pari modo colligunt vt aurum: tantum scilicet vnusquisque, quantum permutando aliquid sibi gratum à finitimarum insularum incolis assequantur: vt puta paropsides, sedilia & huiuscemodi, quæ in aliis insulis ex nigro quodam ligno, quo ipsi carent, conficiuntur. Rediens ad Præfectum Luxanus circiter idus Martij, labruscas in syluis maturas inuenit, optimi, vt ait, saporis. Sed nulla est insularibus de his cura. Est hæc regio, quanuis saxea, (nam eorum lingua Cibauū, id quod saxosum sonat) arborifera tamen & herbida. Immo & aiunt herbā eorum montium, quæ solū gramē est, si secetur, quatuor dierum

Auri magna copia.

intercapedine tritico altiorem crescere. Frequentes in ea pluuias cadere referunt, hinc esse riuos & flumina adeò crebra: quorum cùm sit arena vbique auro commixta, ex montibus illud aurum detrahi per torrentes autumant. Gentem constat esse ociosam: nam interdùm hyeme vrgente tremunt in montibus frigore: nec quum sint illis nemora goßipio refertißima, vestes sibi laborare student. In vallibus autem vel campestribus locis minimè frigescunt. His ita in initio regionis Cibauæ diligenter perquisitis calend. Aprilis, quem diem Resurrectio sequebatur, ad Isabellam, id est vrbis nomen, reuertitur. Vndè in eius & totius insulæ gubernationem fratre suo & Petro quodam Margaritæo, regio antiquo familiari, relictis: ad discurrendam quam arbitrabatur continentem terram, quæ indè septuagesimum tantùm lapidem distabat, sese accingit: regij imperij memor, qui illum admonuerat, vt percurrere noua littora festinaret, nè rex alius quisquam prius suæ ditioni terras illas subdere studeret. Rex enim Portugalliæ publicè sua interesse, latentia illa detegere, aiebat. Summus verò Pontifex Alexander sextus, regi & reginæ Hispaniarum per plumbatas conceßit bullas, nè quis princeps alius incognitas illas regiones pertingere auderet: à septentrione ad austrum linea recta extra parallelum insularum, quæ dicuntur Caput Viride, proiecta (vtdißidij causa tollatur) leuquas centum, ex composito demum ter centum. Credimus has insulas esse Hesperides: hæ sunt regis Portugalliæ: & indè sui nautæ noua littora quotannis detegentes, semper in læuam à tergo Africæ, per Aethiopum maria, ad Orientem vertebant proras, neque ab Hesperidibus vnquam ad Meridiem aut ad Occidentem Portugallenses adhuc nauigauerant. Cum tribus igitur nauigiis discedens ad eam regionem, quam prima nauigatione insulam existimans, Ioannan vocitârat, breui tempore peruenit: vocauitque eius initium Alpha ω, eô quòd ibi finem esse nostri Orientis, cùm in ea sol occidat: Occidentis autem, cùm oriatur, arbitretur. Con-

Nota.

stat enim, esse ab Occidēte principiū Indiæ vltra Gāgē: ab Oriēte verò, terminū ipsius vltimū. Neque enim absonum penitùs est, quū Gangetidis Indiæ terminos indiscretos Cosmographi reliquerint: nec desint qui ab Hispanis oris non longè Indica littora discedere sentiāt. Cubā incolæ hanc partē vocant. In cuius prospectu, in Hispaniolæ angulo extremo portū reperit cōmodissimū: sinū enim in se recipit latū in ea parte ipsa insula. Hunc portū, sancti Nicolai nomine insigniuit, à quo vix viginti lequas recedit Cuba. Trāsfretat igitur & Cubæ meridionale latus capiens, ad Occidentē vergit. Incipiunt illi, quo vlteriùs procedebat, tanto magis littora in latum protendi, & ad meridiem curuari. In Cubæ latere ad meridiem, primùm reperit insulam quam incolæ Iamaicam vocant. Hanc insulam Sicilia longiorem latiorémque prædicat, vno tantùm monte contentam, qui ab omnibus suî partibus à mari incipiens, paulatim vsque ad insulæ medium eleuatur, atque ità leniter sese in dorsum extendit, vt ascendentes vix se ascendere sentiant. Tam in littore, quàm in internis: feracissimam & populis plenam esse asseuerat: incolásque eius cæteris insularibus ingenio acutiores, ac mechanicis artibus magis deditos, bellicosioréśque, finitimi fatentur: nam pluribus in locis volenti Præfecto terram capere, armati ac minitantes occurrerunt, pugnásque sæpiùs attentârunt: sed victi semper, amicitiam omnes cum Præfecto iniêre. Iamaica igitur relicta, ad Occidentem prospero ventorum flatu septuaginta dies nauigauit: séque non longè ab aurea Chersonesso nostri Orientis vltra Persidem initiò perrexisse per inferiorem nobis terræ ambitum arbitratur: credit enim se duas tantùm solis horas de duodecim, quæ nobis erant incognitæ, reliquisse. Dimidiū enim solis cursum veteres intactum reliquerant: cùm eā tantū terræ superficiem, quæ à Gadibus vsque ad Gangē, vel ad aureā vsque Chersonessum, discussam habeamus. Hoc itinere in currentia more torrentis maria, in vadosos gurgites, in angustias innumeras propter insularum adiacentium multitudi-

Iamaica

nem, quotidié incidebat: omnia tamen hæc pericula parui faciens, tantum procedere instituit, donèc, an insula esset Cuba, an terra continens, certior fieret. Nauigauit igitur eius semper littora abradens, ad Occidentem duas lequas & viginti supra bis centum, vt ipse ait, hoc est, millia passuum circiter tercentū & mille: Septingentisque insulis nomē imposuit, in læuā plusquam tribus millibus passim, vt ipse dicere audet, relictis. Sed ad ea, quæ memoratu digna inter nauigandum reperiebat, reuertamur. Cum iam per Cubæ latus locorum naturam adnauigans perquireret, ab Alpha a, id est, ab eius initio, non magno tractu, portū multarum nauiū capacem reperit, falcat⁹ enim est eius introitus, promontoriis vtrinque veniētes vndas recipientibus inclusus: int⁹ autē ingēs spatiū & immensa profunditas. Portus littora ambiens, casulas vidit nō procul à littore culmeas duas, pluribusquè in locis ignem accensum: demittit è nauibus viros quosdā armatos qui casulas adeant. Descendunt, neminē reperiunt: verubus tamen ligneis appositas ignibus pisciū libras circiter centum, duosque octipedales serpentes cum piscibus ipsis inuenêre. Admirati, si quos incolas videat, circunspiciūt: cū nemo illis in toto prospectu sese offerret, (veniētibus enim nostris sese ad montana pisciū domini receperant) discūbūt, & captis alieno labore piscibus læti fruūtur: serpētes relinquūt, quos nihilo penitus ab Aegyptiis crocodilis differre affirmant, præterquā magnitudine: nam crocodilorū, ait Plinius, aliquos fuisse repertos duodeuiginti cubitorum: horum autem maiores, octipedales. Propinquum nemus postmodum iam saturi ingredientes, ex iis serpentibus, arboribus funiculis alligatos plures comperêre, quorum ora alii funibus adstricta, dentes alij euulsos habebant. Cū deinde portus vicina scrutarentur, circiter LXX homines in cuiusdā altæ rupis culmine viderunt, qui nostris adeuntib⁹, profugerant: vt indè, quid sibi vellet hæc noua gens, perdiscerent. Nutibus & signis blanditiisque nostri illos adducere conabatur: munerum oblatorum à longe spe motus accessit vnus, sed in

propinquam rupem tamen, timenti ſimilis. Almirantus autem qui ſecum habebat Didacum quendam Colonum, inter ſuos educatum, iuuenem prima nauigatione abductum ex inſula Cubæ vicina, nomine Guanahaini, Didaco interprete, cuius lingua patria fere horum linguæ quadrabat inſularem qui propius venerat, alloquitur: metu depoſito adit incola, cæteriſque vt tuto venirent, nec vererentur, perſuadet. Nuncio habito, ex rupibus ad naues circiter ſeptuaginta deſcendunt: amicitiam ineunt, muneribus à Præfecto donantur. Eſſe piſcatores, à rege ſuo, qui ſolẽne conuiuiũ alteri regi parabat, piſcatũ miſſos, Præfectus cognouit. Quod piſces ignibus appoſitos Præfecti gẽs comederit, æquo libẽtique animo paſſi ſunt, quandoquidẽ ſerpentes reliquêre: neque enim quicquã eſt inter edulia, quod tãti faciãt, quanti ſerpentes illos: popularibus eos comedere minus licet, quã apud nos phaſianos aut pauones. De piſcibus autem ſe totidem ea nocte capturos dicunt. Interrogati, cur piſces quos regi ſuo laturi erant coquere pararent, vt recentiores & incorruptos illos afferre poſſent, reſponderunt. Ita dextris in amicitiam iunctis, ad ſua quiſque proficiſcitur. Sequitur Almirantus, vt inſtituerat, ſolẽ occidentem, à principio Cubæ, quod Alpha ω, vocatum ab Almiranto, diximus. Littora ad hunc portum media, quanuis arboribus conſita, aſpera tamen & montoſa. Ex arboribus floridæ erant aliæ, & ad mare ſuaues ex ſe odores emittebant: aliæ vero fructibus onuſtæ. Vltra portum autem terra eſt feracior populoſiorque: cuius incolæ cæteris mitiores, rerumque nouarum cupidiores: nam ad littora omnes, viſis noſtris nauibus, certatim cõcurrebant: panẽ quo ipſi veſcuntur, & cucurbitas aqua plenas, noſtris offerentes, vt in terram deſcenderent, inuitabant. Habẽt hæ inſulæ omnes arboris quoddam genus, vlmos æquãns magnitudine, quæ cucurbitas gignit pro fructu: ad aquæ vſum illis vtuntur, ad eſum minimè: medullam nanque ipſius felle amariorem eſſe aiunt, sed cortice teſtudineam æquare duritiem: Idibus Maij ex altera cauea in læuam ad auſtrum

Serpentes in deliciis habentur.

ſpeculatores proſpicientes, denſam inſularum multitudinem viderunt inter nauigandum, herbidas, virides arboriferas, vberes, & habitatas eſſe animaduerterunt. Incontinenti littore in fluuium incidit nauigabilem, aquarum adeò calidarum, quòd manum in ipſis ferre diù nemo poſſet. Altero verò die piſcatorum canóam à longè videns, nè noſtris viſis piſcatores aufugerent, veritus, vt illos tacitis cymbis intercipiant, imperat. Illi autem intrepidi noſtros expectant. Audi nouum genus piſcationis. Non aliter, ac nos canibus Gallicis per æquora campi lepores inſectamur, illi venatario piſce piſces alios capiebãt. Piſcis erat formæ nobis ignotæ, corpus eius anguillæ grãdiori perſimile: ſed habens in occipite pellem tenaciſsimam, in modum magnæ crumenæ. Hunc vinctum tenent in nauis ſponda funiculo, ſed tantùm demiſſo, quantùm piſcis intra aquam carinæ queat inhærere: neque enim patitur vllo pacto aëris adſpectum. Viſo autem aliquo piſce grandi, aut teſtudine, quæ ibi ſunt magno ſcuto grandiores, piſcem ſoluunt: ille quum ſe ſolutum ſentit, ſagitta velociùs piſcem aut teſtudinem, qua extra conchyle partem aliquam eductam teneat, adoritur, pelléque illa crumenaria iniecta prædam raptam ità tenaciter appræhendit, quòd exóluere ipſam, eo viuo, nulla vis ſufficiat, niſi extra aquæ marginem paulatim glomerato funiculo extrahatur: viſo enim aëris fulgore, ſtatim prædam deſerit. Præda igitur iam circa aquæ marginem euecta, in mare ſaltat piſcatorum copia tanta, quanta ad prædam ſufficiat ſuſtinendam, donèc è naui comites eam appræhendant. Præda in nauim tracta, funiculi tantum ſoluunt, quantum venator poſsit ad locum ſuæ ſedis intrà aquam redire: ibíque de præda ipſa per alium funiculum eſcas illi demittunt. Piſcem incolæ guaicanum, noſtri Reuerſum appellant, quòd verſus venetur. Quatuor teſtudines eo modo captas, quæ nauiculam illis ferè implebant, noſtris dono dant: cibus eſt enim apud eos non illotus: noſtri autem è conuerſo gratis muneribus donatos, alacres eos reliquêre. Interrogati nautæ

Nouum piſcandi genus.

de terræ illius ambitu, non habere finem ab Occidente significárunt: institerúntque, vt Almirantus aut descenderet, aut suo nomine salutatum suum Cazicum, id est, regem cum eis mitteret, Cazicum nostris multa munera daturum si adirent, pollicentes. Præfectus autem, nè ab incepto detineretur, morem illis gerere recusauit: petiêre tamen nomen eius, suíque Cazici nomen nostris dederunt. Vlteriùs indè procedens ad Occidentem semper, intra paucos dies monti adhæsit altißimo, habitatoribus ob vbertatem referto. Ad naues panem, goßipium, cuniculos, & volucres ferentes incolæ confluebant. Ab interprete, an è cælo gens ista descenderet, miro affectu sciscitabantur. Rex horum & alij plures, qui illi adstabant viri graues, non esse insulam terram illã innuebant. Aliam insulam posmodum, ex his quæ in læua huic terræ abdærebant, ingreßis, comprehendere quenquam non licuit: fugêre enim omnes viri fœmínæque, nostris adeuntibus: quatuor canes in ea, sed non latrabiles, adspectûs fœdißimi, quos comedunt vti nos hædos, comperêre. Anseres, anates, ardeas, hæc insula gignit innumeras. Gurgites demùm inter insulas & continentem adeò angustos ingressus est, quod vix vertere retrò nauigia fas esset: adeóque vadosos, quod arenam carina interdùm verreret. Horum gurgitum per quadraginta milliaria erat aqua lactea, spissaque, ac si farinam toto illo pelago sparsissent. In amplum æquor quum tandèm euaßissent, ad octogesimum milliare mons alius altißimus sese illi obtulit. Aquandi lignandíque gratia hunc adit. Inter palmeta pinetáque altißima, fontes natiuos dulcium aquarum duos reperit. Intereà dum ligna scinduntur, cadi implentur, ex nostris sagittariis vnus venatum syluam ingreditur: ibi vir quidam alba tunica amictus, adeò improuisus sese illi offert, quod prima facie esse quendam fratrem ordinis sanctæ Mariæ Mercedis, quem

secum Almirantus pro sacerdote habebat, existimauerit: sed hunc statim ex nemore alij duo sequuntur: deindè à longè vidit agmen veniens circiter triginta hominum vestibus contectorum. Tunc verò terga vertens ac proclamans, ad naues quàm celerrimo potest cursu profugit. Tunicati autem illi applaudere, & nè vereretur, persuadere omnibus modis nitebantur. Sed nihilominùs noster fugiebat. His Præfecto renunciatis, alacer quòd gentem cultam inuenerit, statim armatos in terram misit cum mandatis, vt si opus fuerit, quadraginta milliaria intra insulam pergerent, donec aut tunicatos eos, aut alios incolas omni studio quæsitos inueniant. Nemus transgreßi, vastam planitiem herbidam, in qua nec semitæ vestigium vsquam apparuit, offenderunt: per herbas proficisci conantes, adeò sese implicuerunt, quòd vix milliare processerint: erat enim herba nostris segetibus spicatis nihilo minor. Feßi igitur reuertuntur, non reperta semita. Postero die quinque & viginti armatos dimittit, quibus imperat, vt quæ gens terram incolat, diligenter explorent. Hi cùm non lõgè à littore magnorum animalium vestigia quædam recentia comperissent, inter quæ leones esse arbitrati sunt, metu perculsi redeunt. Inter veniendum syluam reperiunt, serpentibus per altas arbores paßim vitibus suapte natura productis arboribusque alijs plurimis aromaticos fructus parturientibus, consitam. Racemos tulêre ponderosos ac succi plenos in Hispaniam: de fructibus autem aliis quos ferebant, cùm in nauibus passari non commodè possent, nullus allatus est, putruerunt enim omnes, & corrupti, in mare proiecti sunt. In pratis eorum nemorum, gruum agmina, nostratibus duplo grandiorum, se vidisse retulerunt. Inter nauigandum cùm ad alios quosdam montes vela dirigeret, in duabus casulis in littore visis, vnum tantùm reperit hominem: hic ad naues ductus, terram quæ trans illos montes iacebat, esse populosissimã capite, digitis, & quib⁹ aliis poterat modis, significabat. Ap-

plicanti se ad ea littora Præfecto, multæ canóæ obuiàm prodeunt: inuicèm se placidißimè per signa compellârunt: neque Didacus ille, qui in Cubæ initio incolarum linguam intellexerat, hos intelligebat. Varia enim esse idiomata in variis Cubæ prouinciis, perpenderunt. Incoleréque regionis interna potentißimum regem: qui se indueret, ostendebant. Hunc tractum omnem summersum & aquis coopertum, littoraque cœnosa arboribus referta, vt nostras paludes, ait. Ibi tamen cùm aquandi gratia in terram descendisset, conchylia ex quibus vniones habentur, vidit. Nec eo magis moram traxit: erat enim eius intentus non alius tunc ex præcepto regum, quam, quotquot posset, maria discurrere. Vlterius igitur procedentibus, omnia littorum culmina, vsque ad alium montẽ, qui se ad octoginta millia passuum ostendebat, fumigabant. Nulla erat specularis rupes, ex qua fumus non egrederetur. Nec an incolarum essent ignes, benè constitit, ad necessitatem parati: an, vti suspectis bellorum temporibus fieri solet, per eos fumos signa vicinis darent, vt se in tutum reciperẽt aut vt in vnum conuenirent, si quid nostri contra eos moliri tentarent: aut fortè, quod magis consonum videtur, vt tanquam ad rem mirandam, nostra nauigia inspecturi, concurrerent. Littora iam Præfecto modò ad Austrum, modò ad Africum siue Libym, curuabantur: mare verò vbiquè insulis implicitum. Hinc igitur carinæ, quæ terram sæpius propter vadosa maria verrerant, quassatæ: rudentes, vela, & reliquum amplustre, iam putrida: alimentaque per rimas malè stipatarum nauium madefacta, sed præcipuè panis biscoctus, corrupta, vertere retrò proras Præfectum coëgerũt. Hãc vltimam existimati continentis oram, quam ipse attigit, vocauit Euangelistam. Retrò vela vertens, inter alias insulas continenti non ita finitimas, in pelagus incidit, testudinibus magnis adeò condensum, quòd naues aliquandò detar-

darent: gurgitemque posteà ingressus est albidarum aquarũ, vti alium reperisse suprà scripsimus. Ad crediti continentis tandem littora, quâ venerat, reuersus est, insularum vada pertimescens: ad eumque (cùm neminem veniens molestia affecisset) hilari vultu, posito omni timore, vtriusque sexûs incolæ dona ferebant: psittacos alij, alij panem, aquam, cuniculos, sed præcipuè palumbes nostris grandiores, quos sapore & gustu perdicib⁹ nostris meliores fuisse, Præfectus ait: quare cũ sensisset inter comedendũ spirare ex eis aromaticũ quendam odorem, iussit de recenter interemptis quibusdam iugulos aperire. Plena illis odoratis floribus reperit guttura: indè gustum eum in palumbibus nouum emanare arguerunt: nutrimenti enim naturam sorbere carnes animalium, æquum est credere. Dum in littore rem diuinam Præfectus audiret, eccè primarium quendam octogenarium, virum grauem, nec eo minus nudum, multis illum comitantibus. Hic, donec sacra peragerentur admiratus, ore, oculisque intentus adsistit: dehinc Præfecto canistrum, quem manu gerebat plenum patriæ fructibus, dono dedit: sedensque apud eum per interpretem Didacum Colonum, qui id idioma, cùm propiùs accessissent, intelligebat, orationem habuit huiuscemodi:

Ad mortaliũ mores formandos efficax oratio.

Terras omnes istas hactenus tibi ignotas, manu potenti te percurrisse, renunciatum nobis fuit, populisque incolis metũ non mediocrem intulisse. Quarè te hortor moneóque, vt itinera duo, cùm è corpore prosiliunt, animas habere scias: tenebrosum vnum ac tetrum, his paratum, qui generi humano molesti infensique sunt: iucundum aliud & delectabile, illis statutum, qui pacem & quietem gentium viuentes amârũt. Si igitur te mortalem esse, & vnicuique pro præsentibus operib⁹ futura merita obsignata memineris, nemin͂e infestabis.

His & aliis pluribus per interpretem insularem Præfecto, admiranti tale hominis nudi iudicium, relatis, respondit: Cõ-

pertißima sibi esse quæcunque dixerit de animarum è corpore exeuntium variis itineribus ac præmiis: immò & existimâsse hactenùs illa ipsi, & reliquis earum regionum incolis, fuisse ignota, cùm ita viuant natura contenti. Ad cætera verò, se à rege & regina Hispaniarum, vt eas omnes orbis oras hactenùs incognitas pacaret, missum respondit: vt scilicet Canibales & reliquos scelestos homines indigenas debellaret, debitisque supplicijs afficeret: innoxios autem, ob eorum virtutes tutaretur & honoraret: quarè nè ipse, aut aliꝰ quisquã, cui nõ sit animus nocẽdi, vereantur: immò si quid fortè à vicinis iniustì sibi aut aliis bonis illatũ fuerit, aperiat. Seni Præfecti dicta adeò placuerunt, vt se iturum, quanuis ætate iam grauescentem, cum Præfecto libentißime prædicaret: cõfectumque id fuisset, nisi vxor & filij obstitissent. Attamẽ quod alterius imperio hic subiaceret, summoperè admiratus est, sed tunc multo magis, quando relatum illi fuit per interpretem, qualis & quanta esset regum pompa, potentia, ornatus, bellorum apparatus, quantæ vrbes, qualia oppida, obstupuit. Subtristis igitur, prostratus ante pedes eius, abortis lachrymis, vxore & filiis, honoratus senex permansit: iterũ, atque iterũ an cœlũ esset ea terra, quæ tales tãtosque viros gigneret, interrogãs. Compertum est apud eos, velut solem & aquam, terram esse communem, neque Meum aut Tuum, malorum omnium semina, cadere inter ipsos. Sunt enim adeò paruo cõtenti, quod in ea ampla tellure magis agri supersint, quã quicquam desit. Aetas est illis aurea: neque foßis, neque parietibus aut sepibus prædia sepiunt. Apertis viuunt hortis. Sine legibus, sine libris, sine iudicibus suapte natura rectum colunt. Malum ac scelestum eum iudicant, qui inferre cuiquam iniuriam delectatur. Maizium tamen & Iuccam Agesque isti colũt, vti diximus in Hispaniola fieri. Inde igitur redituros discedens, in Iamaicam iterum ab ipsius latere

Admirãda vitæ innocentia.

meridionali incidit, ab Occidentéque ad Orientem totam percurrit. Ex cuius ab Oriente vltimo angulo, cum à septentrione montes altos ad læuam sibi conspiceret, nouit tandem esse meridionale latus Hispaniolæ insulæ, quod nondùm percurrerat. Quare portum eius insulæ in Calend. Septembris, qui sancti Nicolai dicitur, ingressus, nauigia reparabat hoc animo, vt iterū Canibaliū insulas deuastaret, canóasque eorū omnes cōbureret, nè nocere vlterius lupi rapaces finitimis ouibus possint. Sed obstitit, nè id exequeretur, aduersa valetudo quæ illum præ nimia vigilia oppresserat. Semianimis igitur à nautis ad Isabellicam ciuitatē ductus, inter fratres quos ibi duos habebat & reliquos familiares, pristinam tandèm valetudinē recuperauit. Nec eo magis Canibales infestare, ob exortas inter Hispanos, quos in Hispaniola reliquerat, seditiones licuit, De quibus infrà dicemus. Vale.

Seditio Hispanorum

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, consiliariique Regii, Oceaneæ decadis primæ Cap. quartum, ad Cardinalem Ludouicum Aragonium, nostri regis nepotem.

EX continenti, vt ipse arbitratur, Indico, Colonus Præfectus marinus rediens, fratrem Boilum & Petrum Margaritem, veterem regis familiarem, virum nobilem, atque alios plures ex iis, quos ad regionis gubernationem reliquerat, ad Hispaniam corrupto animo discessisse comperit. Quapropter vt

apud reges, si quid horum relatu malè sentirent, se expurgaret: necnon vt viros peteret alios, eorum loco qui redierant, sufficiendos: tum etiam vt prouideret alimentorum penuriæ, vt putà tritici, vini, olei, & aliorum huiusmodi, quibus Hispani vesci solent, cùm insularibus cibis non facilè assuefieri possent: redire ad curiam, quæ tunc Burgis, vrbe celebri in Castella Veteri, morabatur, constituit. Sed quæ prius confecerit breuitèr enarrabo. Insulares reguli qui hactenùs suo paruóque contenti, tranquillè quietéque vitam duxerant, cùm nostros in eorum solo natali pedem figere conspicerent, grauiter id ferebant: nihil magìs quàm funditùs eos indè detrudere, aut euertere penitùs, & omnem eorum memoriam abolere, cupiebant. Nam ea gens, quæ Præfectum in ea nauigatione secuta fuerat, maiori ex parte indomita, vaga, cui nihil pensi esset, libertatem sibi, quoquo modo posset, quæritans, ab iniuriis minimè se abstinere poterat, Insularium fœminas, ante parentum, fratrum, & virorum oculos raptans, stupris rapinísque intenta, animos omnium incolarum perturbârat. Quamobrem pluribus in locis, quotquot imparatos è nostris incolæ reperiebant, rapidè, & tanquam sacra offerentes Deo, trucidauerant. Pacandos igitur perturbatorũ animos, eósque qui nostros interfecerant, puniendos esse priusquam indè discederet, ratus, eius conuallis regem, quam esse in radicibus montium Ciguanorum, superiori capite descripsimus, in colloquium adducit. Hic vocabatur Guarionexius: cui vt Præfecti amicitiam arctiùs sibi conciliaret, placuit Didaco Colono, homini apud Præfectum à teneris educato, quo interprete in Cubæ discursu vsus fuerat, sororem dare in vxorẽ. Ad Caunabóam deinde, Cibauorum montium, id est, aureæ regionis, dominum, (cuius ditionarii Hoiedam cum quinquaginta armatis intra arcem sancti Thomæ obsessum triginta dies tenuerant, nec obsidionem vnquàm soluerant,

Impietate militum offensi insulares.

donec aduentare Præfectum ipsum cum magna manu persenserint) Hoiedam ipsum oratorē mittit. Hoieda apud Caunabóam moram trahente, à diuersis regionis regulis legati mittuntur, qui Caunabóæ persuadere nitantur, ne figere pedē in insula Christianos patiatur, seruire nisi mâlit, quā imperare: fore enim, vt nisi Christicolæ ab insula penitùs eliminētur, insulares omnes serui sint illorū futuri. Alia parte Hoieda cum Caunabóa agebat, vt ad Præfectum ipsemet proficisceretur, cum eóque fœdus & amicitiam inīret. Regulorum legati ad eam regionèm capessendam se suaque omnia offerebant. Hoieda cædem perniciemque suorum, si bella quàm pacē cum Christianis mâllet, minitabatur. Caunabóa igitur hinc atque indè, tanquàm scopulus diuersis fluctibus in medio mari conflictatus, etiam conscientia scelerum agitatus, quòd viginti ex nostris hominibus per dolum incautos obtrūcâsset, quamuis pacem cupere videretur, adire tamen Præfectum verebatur. Tandem fraude pensitata, Præfectum & reliquos sub pacis specie, si sors offerret, peremptur us, cum omni familia sua, pluribusque alijs suo more armatis, ad Præfectum mouet. Interrogatus, cur adeò magnas hominum cater uas secum duceret: respondit, tantum regem, quantus ipse sit, pergere iter domoque incomitatum exire, non decere. Sed aliter longè, quàm cogitauerat, euênit: decidit nanque in laqueos quos parauerat. Blanditijs enim & pollicitationibus, sui erroris inter eundum quòd domo discessisset pertæsum, Hoieda tandem ad Præfectum illum ducit: capitur, in vincula coniicitur. Nec nostrorum animæ diu inultæ sine corporibus quieuerunt. Caunabóa cum omni familia eius capto, insulam percurrere Præfectus instituit: sed significatum ei fuit, tanta fame insulares vrgeri, vt quinquaginta millia hominum amplius iam perierint, cadantque quotidiè passim, tanquàm morbosi gregis pecudes. Quod illis sua peruicacia ac-

Magna ex neglecta cultura fames

cidisse, scitum est. Cùm enim videbant nostros in insula velle sibi sedem eligere: existimantes posse eos indè propellere, si insulares commeatus deessent, non modò non seminare, plantaréque vlterius statuerunt, sed etiam vtrumque panis genus, de quo primo libro mentionem fecimus, seminatum perdere euellereque in sua quisque regione cœpit: sed inter Cibauos siue Cipangos montes præcipue, cùm aurū quo ea regio abundabat, causam esse potißimam, quæ nostros in insula detineret, cognoscerent. Decurionem intereà cum armatorum turba, qui latus meridionale insulæ exploraret, dimisit. Tunc omnes regiones quas percurrerat, panis penuria adeò laborare fassus est, quòd nihil vnquàm sexdecim dierum spatio comederint aliud, quàm herbarum palmularumque radices, aut arborum natiuos montanos fructus. Guarionexius, cuius regnū non æquè ac reliqua premebatur, nostris edenda quædā impartitus est. Intra paucos dies, vt breuiora essent itinerum spatia, vt ve crebriores ac plures nostri receptus haberent, si qua vis insularium aliquandò ingrueret, ab Isabella vrbe ad arcem sancti Thomæ, in finibus regni huius Guarionexij intra Cibauæ terminos, super cliuo salubrium aquarum scaturientium celebri, arcem aliam erexit, quam Conceptionem appellauit. Tum verò cùm noua indiès insulares ædificia surgere, cùm in portu nostras naues iam putridas ac semifractas conspicerent, ab omni spe libertatis decidere cœperunt, subtristes, an essent ex insulis Christiani discessuri, sciscitabantur. Ex arce demùm Conceptionis, Cibauorum montium interna vestigantes, auri rudem massam in tophi natiui similitudinem concauam, pugillo grandiorem, ponderis viginti vnciarum, à quodam regulo non in amnis illius ripa, sed in sicco tumulo repertam, habuerunt. Hanc ego ipse in emporio Castellæ Veteris Methymna Campi, vbì tunc curia hyemabat, vidi, manibusque captam admirans libraui, attrectauíque.

Vidi & electri puri, quo campanæ, pharmacopolarúmque mortaria possunt, & alia huiuscemodi, veluti ex ære Corinthia conflari, frustum adeò magni ponderis vt illud vix non modo non eleuare ambabus manibus è terra, sed aut læuorsum, aut dextrorsum mouere sufficerem: librarum octuncialium trecentarum pondus superasse massā aiebant. Eam in cuiusdam reguli atrio à Maioribus relictam repererant. Sciebant tamen ipsi, quanuis nullius insularis viuentis ætate electri quicquam eductum fuisset, vbi electrifodina esset: sed ab eis locus eius vix potuit extorqueri: adeò iam stomacho pleni in nostros viuebant. Ostenderunt tandem, sed dirutam, & lapidibus ac terra superiniecta obcæcatam: tametsi leuius, quàm in ferrifodinis ferrum, fodiatur. Eam electrifodinam si opifices fossoresque ad id ministerium apti adeant, reduci posse arbitrantur. Non longè ab eadem arce Conceptionis, in iisdem montibus succini copiam non paruam, alibique stillare in speluncis glaucum colorem, quo pictores vtuntur, non vulgarem inuenerunt. Nemora prætergradientes, syluas immēsas, quæ arbores nullas nutriebant alias, præterquàm coccineas, quarum lignum vestri mercatores Itali verzinum, Hispani brasilum appellant, reperêre. Hîc forte, princeps Illustrißime, tecum ipse anceps contemplaberis dicésque tecum: Veluti ex coccineis arboribus naues quasdā onustas Hispani aduexerunt: velut ex auro parùm, ex goßipio modicum, ex succino aliquid, ex aromatibus pauca: cur nō auri cæterarúmque rerum eam copiam, quam, vti tu prædicas, polliceri tellus illa videtur, attulerunt? Ad hæc, quæ dederunt, respondebo. Præfectus ipse Colonus super his interrogatus, Hispanos, quos secum duxit, somno, ocióque magis fuisse, quàm laboribus, deditos, seditionúmque ac nouarum rerum studiosiores, quàm pacis aut quietis aiebat. Ab eo enim pars maior defecit. Præter-

Succinum.

Hispani desidię notati.

eà non potuisse priùs insulares vinci aut domari refert, eorúmque vires frangi, ad imperium insulæ liberè capessendum. Hispani, se imperia eius sæua iniustáque ferre nequiuisse, multáque in eum commenti sunt. Propter quos obices, hactenùs vix impensæ lucrum respondisse voluit. Hoc tamen anno primo & quingentesimo, quo hæc tuo iussu scribo, intra duorum mensium spatium, circiter ducentas supra mille octunciales libras auri collegerunt. Sed ad inceptum redeamus: hæc enim quæ per digressionem leuiter tetigimus, suo loco diffusius aperientur. Quum anxios igitur perturbatísque animis incolas Præfectus videret, nec à vi & rapinis, donec inter eos versarentur, prohibere nostros posset: pluribus ex finitimarum regionum primoribus conuocatis, conuenerunt, vt Præfectus vagari per insulam suos non sinat: sub prætextu enim auri & aliarum insularium rerum quærendarum, nihil intactum aut impolutum relinquebant. Ipsi verò incolæ Præfecto se daturos viritim à quartodecimo anno vsque ad septuagesimum, de suæ quisque regionis prouentibus tributum quod vellet, seruaturósque quod ille statueret, omnes pollicentur. Id fœdus ita ictum est: Cibauorum montium incolæ, vt singulis tribus mensibus, quos illi à luna lunas denominant, mensuram quandam illis obsignatam, plenam auro ad ciuitatem mittant. Qui verò terras incolunt, vbi aromata aut goßipium suapte natura oriuntur quantitatem quandam per capita tribuant. Placuit fœdus: confectúmque esset, vt pars vtraque promissa seruâsset: sed fames improba hæc omnia rescidit: vix enĩ illis satis corpora ad victũ per nemora quæritãdũ sufficiebãt, herbarũ radicibus & syluestriũ arborũ fructibus lõgo tẽpore contẽti. Plerique tamẽ cũ ditionariis suis reguli inter eas egestatis angustias promißi vectigalis partẽ attulerũt: petẽtes à Præfecto supli-

ces, vt ærumnæ eorum misereretur, ignosceretque, donec insula ad statũ pristinũ restitueretur: fore vt quæ nũc deficerẽt, reintegrẽtur in duplũ. Ex Cibauẽsibus pauci fœdera seruârũt: laborabant enim acriore fame quàm cæteri. Hos moribus & lingua non aliter ab incolentibus plana differre aiunt, ac in cæteris regionibus ruricolæ montani, sunt à curialibus diuersi: licet eodem genio viuant omnes, rudi scilicet ac simplici agrestique, aliquod tamen est inter eos discrimen. Ad Caunabóam captum redeamus. Ille cùm se coniectum in vincula videret, tanquam leo Libycus dentibus frendens, die noctuque, quo modo se indè liberaret, animo versans, suadere Præfecto cœpit, vt, quandoquidem Cipangi regionem sibi assumpsit in ditionem, præsidia Christiana, quæ ab incursibus veterum hostium suorum finitimorum eam tueantur, mitteret. Significatũ enim sibi fuisse ferebat, eam quotidiè grassatione infestari, in prædamque bona suorum cuncta trahi. Sed hoc excogitato dolo, existimauit fore, vt frater eius qui erat in regione cum cæteris propinquis, aut per vim, aut per insidias tot ex nostris caperent, quot ad se redimendum permutatione suppeterent. Præfectus autem intellecta fraude, Hoiedã mittit, cum ea armatorum copia, quæ Cibauensium arma, si arma mouerint, superare posset. Vix intra regionem nostri venerant, cùm Caunabóæ frater, conuocatis circiter quinque millibus suo more armatorum: nudi enim, sagitis sine ferreis cuspidibus, sudibusque & clauis quibusdam bella gerunt: intra quandam domunculam eos circunsepsit obseditque. Hic Cibauus, tanquam vir disciplinæ bellicæ non ignarus, ad vnius stadij distantiam exercitum in quinque acies diuidit, cuique in gyrum per æquos tractus locum statuens: suam autem aciem è regione nostris opponit. Indè cùm diligenter omnia instituisset, ex acie sua, vt omnes æquis passibus vnà gradian-


tur, paulatim signa dari iubet, pedetentimque vt vnà omnes vocibus sublatis pugnam vndiquè ineant, manusque conserant, imperatum omnibus ordinibus reliquerat: nè nostrorum quisquam ità circunuallatus posset euadere. Sed nostri cum vna acie confligere satiùs esse rati, quam eum impetum expectare, in aciem grandiorem per apertos agros venientem irruunt, eò quòd equestri prælio committendo ea pars commodior esset. In eos igitur sese equites præcipitant, equorum pectoribus eos prosternebant: leuiter profligantur, perimuntur quicunque expectárunt. Cæteri metu perculsi, in fugam conuertuntur, ad montanasque rupes asperas, relictis domibus, se recipiunt, indeque, vt eis ignosceretur, precabãtur, se quodcunque imperatum libenter subituros, si intra natales suos eos viuere patiantur, attestantes. Caunabóæ fratre tandèm capto, popularium quenque in sua remiserunt. His actis, regio illa pacata est. Inter eos montes vallis, quam Caunabóa incolebat, Magóna vocatur, amnibus auriferis & fontibus fortunatißima, fertilisque maiorem in modum. Eo anno mense Iunio inauditum ab Euro turbinem, eleuatis vsque ad sidera rapidis vorticibus, exortum fuisse prædicant, qui quascunque maximas arbores offendebat, radicitùs euerteret. Is typho quum ad ciuitatis portum iam peruenisset, tres naues, quæ solæ in ancoris stabant, ruptis rudentibus, sine vlla maris procella aut fluctu circumactas ter aut quater, in profundũ mersit. Creuisseque eo anno præter solitum intra terram, & extendisse se mare plusquam cubiti mensuram, ferunt. Gentem hanc perturbâsse elementa, atque portenta hæc tulisse, immurmurabant insulares. Has aëris procellas, vti Græci typhones, furacanes isti appellant: crebrò nanque surgere in ea insula inquiunt: sed furacanes nunquam æquè violentos aut furibundos: neque enim viuentis vllius ætate

Turbo violentus.

Inundatio aquarum magna.

aut memoria Maiorum extabāt, similem unquàm turbinē, qui & grandiores arbores euelleret, ad eam insulam ruisse: neque mare ibi tempestatem ullam fuisse unquam perpessū constat: immò neque maris æstuaria pati: ubicunque enim littora planitiem aliquam attingunt, prata florida littoribus proxima reperiuntur. Caunabóam repetamus. Caunabóa rex & frater eius, cùm ad reges in Hispaniam ducebantur, dolore animi confecti, in itinere moriuntur. Præfectus autem, summersis fero turbine nauigiis, se interceptum uidens, duas statim Carauelas iussit fabrefieri: omnium enim artium magistros secum habebat. Intereà dum hæc fierent, fratrem suū Bartholomæum Colonum, ipsius insulæ more Hispano Adelantatum, cum metallariis quibusdam armata manu ad aurifodinas, quas ad lequas ab Isabella saxaginta ante Cipangas, ductu insularium repertas, ire tentatum iubet. In eis effossos ueterum tempestate profundos puteos inueniūnt. Præfectus inde ingentes thesauros sibi illos, de quibus ueteri testamento agitur, Salomonem Solymorum regem per sinum Persicum comparâsse contendit. Sit, an non, non est meum diiudicare: sed longè abest meo iudicio. Metallarii diuersis in locis superficialem terram aurifodinarum circiter sex millia passuum durantium cribrantes in sicco, tantam ibi auri copiā iacere demersam censuerunt, ut mercenarius quisque fossor ad id conductus, tres auri drachmas singulis diebus facilè
An. queat effodere. His ita indagatis, Adelantatus simul & me
1495. tallarij Præfecto rem per literas significant: quibus habitis quinto idus Martij anni quinti & nonagesimi, naues, quæ iam peractæ erant, statim ad reges uenturus alacer conscendit: prouinciæ gubernandæ fratri Bartholomæo Colono Adelantato, omni potestate relicta.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOlici, Regiique Consiliarii, Oceaneæ decadis primę cap. quintum, ad Cardinalem Ludouicum Aragonium, nostri regis nepotem.



DELANTATVS autem ipse Bartholomæus, ex sui fratris discedentis consilio, arcem in aurifodinis erigit. Hanc arcem Auream appellat: quoniam ex terra quæ ad muros construendos ferebatur, calones & muratores inter pinsendum, aurum deligebant. Tres menses ad instrumenta, quibus aurum lauari & colligi posset, conficienda consumpsit: sed rē imperfectam, fame compulsus, reliquit. Ad sexagesimum indè milliare, quò ipse cum armatis pluribus concessit, panis insularis portionem quādam à prouincialibus habuit, permutatione rerum nostrarum. Attamen morari diutius illic nequiuit. Relictis igitur ad eius arcis præsidium decem hominibus, cum ea panis insularis portiuncula quæ supererat: relictóque illis venatorio cane ad capiendum genus id animalis quod apud eos esse suprà diximus cuniculo nostro simile, nomine Vtias, ad Conceptionem reuertitur. Erat præterea is mensis, quo Guarionexius rex, & alius illi finitimus, Manicauexius nomine, tributa erant ei laturi. Ibi totū Iunium immoratus, vectigalia in integrum ab his duobus regibus, & victui necessaria sibi & iis quos ductabat, qui erant fortè quadringēti, exigit. Circiter calend. Iulij, tres cū escariis rebus, tritico, oleo, vino, suillis, vaccinisque carnib⁹ salsis, Carauelæ aduenerūt: ea viritī pro cōstitutione ex Hispania lata diuidūtur: quāuis ex his aliqua madida corruptáque vecta esse cōquererentur. Per has naues à regibus & fratre Præfecto, qui iam multa anteà de hac re apud reges egerat, vt ad meridionale insulæ latus habitationem traducat, in mand tis

Bartholomæus gubernator habuit: erat enim ea pars aurifodinis propinquior. Imperatumque etiā illi est, vt regulos eos qui Christianos peremisse reperirentur, cum suis ditionariis errati participibus, vinctos in Hispaniam mitteret. Tercentum insulares cum suis regulis captos mittit. Post explorata diligentius meridionalia littora, transportat habitationem, arcemque ibi super edito colle apud portum bene tutum condidit: quam arcem sancti Dominici, quoniam die Dominico eô appulsus est, vocitauit. Amnis salubrium aquarum & variis piscium generibus optimis refertissimus, in portum amœnis vtrinque ripis defluit. Miras esse fluminis naturæ dotes referunt: quacunque enim fluat, omnia iucunda, vtilia omnia, palmeta, frutetáque insularia omnis generis, nauigantibus ramos floribus, fructibusque onustos in caput interdum declinabant, æquamque soli eius, vel beatiorem Isabellica, vbertatem prædicant. In Isabella valetudinarios tantum, nauiumque magistros quosdam, qui duas, quas inceperant, Carauelas perficerent, reliquit. Cæteros ad sanctum Dominicum ad meridiem traducit. Post arcem conditam, relicto in ea viginti hominum præsidio, cum reliquis ipse, occidentales insulæ partes internas, hactenus nomine tantum notas, exploraturus, sese accingit. Ad triginta inde lequas, id est, milliaria nongenta, in fluuium Naibam, quem a Cibauis montibus ad meridiem recta per insulæ medium descendere memorauimus, incidit. Hoc amne superato, cum singulis armatorum hominum quinque & viginti turmis, decuriones duos ad regulorum terras, quorum nemora ex coccineis arboribus constant, per diuersa dimittit. Læuorsum isti tendunt, syluas inueniūt, ingrediuntur, scindunt, cadunt altæ intactæque hactenus preciosæ arbores: singulas insulares casas decuriones singuli coccineis implent truncis: vbi, donec nauigia ducantur, quæ illos abducant, seruentur. Adelantatus autem dextorsum iter capiens,

Fluuius amœnitate & fructuū vbertate felix.

Syluæ coccineæ.

capiens, non longè à ripa fluminis Naibæ potentem quendam, nomine Beuchium Anacauchóam, regem castris positis, contra Naibanses incolas in armis esse, reperit, vt illos suæ ditioni, veluti plures alios insulares regulos, subijceret. Huius potentis regia, occidentalem versus insulæ calcem sita Xaragua, à flumine Naiba triginta lequas distans, montosa aspera: sed quicunque reguli medium tenent, huius imperio parent. Omnis ea regio, à Naiba ad vltimam Occidentis oram auri expers est. Nostros, depositis armis, datóque pacis signo, placidißime, incertum, metu an humanitate, suscipiens, quidnam sibi vellent, interrogauit. Adelantatus inquit: Vt quēadmodum & reliqui huius insulæ principes, Præfecto marino fratri meo, Hispanorum regum nomine, vectigalia præstes. Cui ille: Quomodò id à me potestis exigere, cuius nulla regio de multis, quæ mihi imperanti auscultant, aurum gignit? audierat enim gentem exteram, quæ aurum auidè quæritaret, ad insulam aduentâsse: sed quòd aliud, quàm aurum cuperet, minimè arbitrabatur. Tunc Adelantatus: Absit vt cuiquam tributa iniungimus, quæ persolui facilè non poßint, quibus ve regiones careant. Gossampij, canabi, & aliarum huiuscemodi rerum copiam, regionem producere compertum habemus: ex quibus prouentibus vt nobis aliquid impartiaris, petimus. At ille, his auditis, hilari fronte, sereno vultu, se, quantum voluerint accipere, de his daturum pollicetur. Dimissóque exercitu, ipsemet præmißis nuncijs, Adelantatum vsque ad locum vbi ipse regiam habebat, ad lequas, vti diximus, XXX comitatus est, totáque eo tractu per regulorum ei subditorum diœceses iter semper fecerunt: aliis canabi, quod non peius nostro lino ad nauium amplustre contexendum esse dicunt: panis alijs, alijs gossampij, pro telluris variæ natura, tributa imperantes. Ad regiam tandem Xareguensem veniunt. Hanc priusquā ingrediantur, incolæ

Quo genere pompę hic rex domũ reuersus, sit exceptus à suis.

omnes regem suum Beuchium Anacauchóam ac nostros honorificè suo more recepturi occurrunt. Inter cætera spectacula, audi duo inter nudas & incultas genetes memoratu digna. Appropinquantibus primùm triginta fœminæ, regis vxores omnes, ramos palmarum manibus ferẽtes, tripudijs, cantibúsque ac sonis, ex regis præcepto, nudæ toto corpore præter pudibunda, quæ femoralibus quibusdam gossampinis corruptæ contegunt, obuiam prodeunt. Virgines enim, capillis per humeros sparsis, frontibus tamen vitta ligatis, nullam sui corporis partem cooperiunt. Faciem, pectora, mammas, manus, cæteráque subalbido colore prædicat fuisse pulcherrima. Dryades formosissimas, aut natiuas fontium nymphas, de quibus fabulatur antiquitas, se vidisse arbitrati sunt. Palmarum manipulos, quos dextris gestabant chorizantes, psallentésque inuicem, poplitibus flexis, Adelantato omnes dono dant. Domum deindè regis ingressi, eorum more lautè paratam cœnam inueniunt: vires reficiunt: nocte vero superueniente, pro cuiusque statu, ad hospitia obsignata per regis ministros ducuntur, vbi in paratis pro eorum consuetudine lectis pensilibus, quos alias descripsimus, quieuerunt. Altero die ad eam domum quam sibi loco theatri construũt nostri ducuntur. Ibi post multas variásque choreas & saltationes, in latam planitiem duæ ex insperato ingentes armatorum acies descendunt, quas ludi & delectationis gratia (vt apud Hispanos ludus Troicus, id est, arundineus, sæpius instruitur) rex apparari iusserat. Cominus accedentes, ac si hostes collatis signis, pro opibus, pro focis, pro natis, pro imperio, pro vita deniquè ipsa certaturi, concurrerent: ita duæ illæ acies vtrinque manus conserunt missilibus telis & sagittis. Intra breue horæ momentum quatuor cecidêre, pluresque vulnerati fuerunt. Acrius pugnatum fuisset, nisi rogatu

nostrorum, rex dato signo pugnam diremisset. In tertium indè diem, consilio regi præbito, vt gossampij plus deinceps in ripis aquarum, quò impositum per focos tributū facilius persolueretur, sererent, ad Isabellam, valetudinarios & nauigia, quæ incepta reliquerat, visurus, tendit. Varijs morbis circiter trecētos reperit cecidisse: quare anxius, & quid consilij caperet, erat ignarus: cùm non modò ad valetudinem resarciendam, sed victui necessaria ferè cuncta deessent: neque enim ex Hispania nauis vlla aduentabat. Sic hæsitans valetudinarios per regiones & castella in ipsis erecta, dispartiri constituit. Castella enim, ab Isabella recto itinere ad sanctum Dominicum, id est, à septentrione ad meridiem, per insulam hæc erexerunt. Ab Isabella ad lapidem sextum & trigesimum, Sperantiam arcem condidit. A Sperantia verò ad lapidem quartum & vigesimum, diuam Catharinam. A Catharina ad vigesimum, sanctum Iacobum arcem. A diuo Iacobo ad alia viginti milliaria, Turritam cōdidit munitiorem, quam Conceptionem appellauit: quod in radice Cibauorum montium, quódque in planitie vastißima vbere & populosa. Aliam deinde mediam inter Cōceptionem & sanctum Dominicum condidit Conceptione munitiorem: quoniam intra terminos reguli qui supra quinque incolarum millia parebāt: Bonauum nomine vocant insulares eius regionis vicum, qui caput est regni: propterea Bonauum etiam voluit arcem Præfectus appellari. Per hæc igitur castella castellorúmque vicina, in insularium domibus infirmis dispartitis, ad sanctum ipse Dominicum proficiscitur, à Regulis qui medium tenebant, imposita exigens inter eundum vectigalia. Vbi cùm aliquot dies moraretur, rumor exoritur, regulos omnes finium Conceptionis, desperatis in nostros animis viuere, studeréque defectioni. Ad eos igitur, vbi hæc nunciata sunt, longis mouet itineribus. Cùm propius accederet, Guarionexium regionis huius ca-

Arces quas ędificarunt in insulis.

pessendæ imperatorem ab omnibus fuisse delectum, fama increbuit: seductúmque & solicitatum, semiinuitum tamen, ab alijs fuisse, cùm nostrorum astus & arma iam aliâs expertus pertimesceret. Conuenerant certo die cum quindecim millibus hominum suo more armatorum, fortunam belli iterùm tentare. Ibi Adelantatus, consilio habito cum arcis præfecto, reliquísque militibus quos ductitabat, adoriendos esse incautos & palantes regulos in proprijs laribus, priusquam exercitum comparent, constituunt. Ad singulos igitur regulos singuli centuriones mittuntur, qui ex insperato dormientes, priusquam sparsis populis liceat cõuenire, vicos eorum ingressi, quos non mœnibus, non fossis, non aggeribus circunseptos habent, impetunt, captant, vinciunt, ducunt quisque suum, vti fuerat imperatum. Ad Guarionexium Adelantatus ipse tanquam ad potentiorem perrexerat, cepítque, sicut & alij eadem hora constituta suos. Quatuordecim ea nocte ex eis ad Conceptionem tracti sunt. Paulò post duobus ex iis qui Guarionexium, reliquósque rerum nouarum studiosiores seduxerant ac subornauerant, supplicio affectis: nè suorum regum dolore confecti incolæ agros desererent, quod summum incommodum propter sementes, nostris afferre potuisset, Guarionexium & reliquos dimisit. Ditionarij ad quinque millium numerum confluxerunt, pro suorum regum liberatione inermes: intonuit aër, contremuit terra, præ clamore illorum vsque ad sidera eleuato. Adelantatus Guarionexium atque alios, pollicendo, donando, minando, vt in posterum cauerent, nè quid molirentur, admonet. Guarionexius apud populum orationem habuit de nostrorum potentia, indulgentia in delinquentes, liberalitate in fidos: vt sedant animos, nec quicquã vlterius adstruant, cogiténtque contra Christianos, sed vt illis obtemperent, obsequantur, seruiant: nisi se in maiores indiès calamitates trudi cupiant. Oratione habita, pensilem illum

humeris captant, pensilémque vsque ad suæ regiæ pagũ humeris portant. Ità per aliquot dies regio pacata est. Soliciti tamen & tristes nostri, in exteris regionibus deserti, quod quintusdecimus iam mensis à Præfecti discessu ageretur, quia cuncta, quibus indui vescíque solebant, deficerent, demisso vultu incedebant. Adelantus eos, quàm meliùs poterat, inani spe depascendo solabatur. Dum hæc agerentur, Beuchius Anacauchóa (sic enim Xaraguæ occidentalis partis, quam supra memorauimus, rex vocabatur) ad Adelantatum nuncios mittit, qui gossampium cateráque vectigalia, quæ sibi suísque incolis imperauerat, parata esse significarent. Ad iter se accingit Adelantatus, pergit, honorificè à rege recipitur & eius sorore, quæ quondàm Caunabóæ regis Cibaui vxor, non minoris erat in fraterni regni gubernatione momenti & consilij, quàm frater. Aiunt enim eam esse vrbanam, facetam, ac prudentißimam: fratríque, vt Christianis assentetur, blandiatur, obtemperet, exemplo mariti eius edoctus, persuaserat. Hæc fœmina, Anacaóna nuncupatur. Duos & triginta ibi regulos in Beuchii Anacauchóæ regia congregatos, cum tributis expectantes, reperit: qui omnes præter imperata vectigalia, ad beneuolentiam cum nostris captandam, munera tulerunt ingentia ex vtroque pane, radicali scilicet ac paniceo: vtias, id est, Vtię.
cuniculos insulares innumeros, piscésque: sed nè putrescerent aut corrumperentur, assos tulerunt: & de serpentibus, quos Iuãnę.
inter edulia principatum obtinere, crocodilísque similimos esse, suprà descripsimus: iuannas, serpentes vocant. Has in insula nasci serò didicerunt: neque ex eis nostri ob fœditatem, quæ horrorẽ, non modo nauseã, inducere videbantur, gustare hactenùs ausi fuerãt: præmordere paulatim Adelãtat⁹ iuannã regis sororis pellectus facetiis, statuit: sed vbi demulcere carnium earum sapor palatum & guttur cœpit, plenis deindè faucibus eas expetere videbatur: nõ mordicus deindè, neque

vix vncto labello illas delibabant, sed heluones omnes effecti, de re nulla iam præterquam de serpentium suauitate sermocinabantur, lautioresque esse dapes illarum, quàm aut pauonis, aut phasiani, vel perdicis apud nos. Sed si aliter quàm vno condiantur modo, vti pauones & phasiani, nisi lardo inuoluti, verubus assentur, saporem perdunt. Euisceratas à iugulo ad inguina, lotásque ac detersas diligenter, & in gyrum postea, in modum anguis dormientis in se recepti, insinuatas, in ollam sui tantùm capacem, paulisper aquæ cum pipere insulari superiniecto, comprimunt, tenuiter igne ex quodam ligno odorato minimè fumoso supposito. Ex abdomine sic stillato ius efficitur, vt aiunt, nectareum, nullúmque esse epularum genus ouis ipsarum serpentium par ferunt, quæ per se & leniùs coquuntur. Sic coctæ & recentes, suauissimæ: & seruatæ per aliquot dies, iucundissimæ sunt. De edulijs satis, ad alia veniamus. Quum vectigali gossipio insularem quandam casam Adelantatus impleuisset, panis sui quantumcunque vellet se libenter imparttituros reguli pollicentur. Is oblata eorum acceptans, gratias agit. Intereà igitur dum per regiones panis conficeretur, ad regiámque Beuchij Anacauchóæ Xaraguēsis regis portaretur, ad Isabellam nuncios mittit, qui adduci peractam carauelam de duabus, quas inceptas reliquerat, suo nomine imperent. Pane nanque se onustam ad eos illam remissurum renunciauit. Læti nautæ, nauim ad Xaraguense littus, insulam circumeuntes, plenis velis tendunt. Beuchij Anacauchóæ regis soror, illa faceta, prudens & magni ingenij mulier Anacaóna, vxor quōdam Caunabóæ, vbi nauim nostram ad patrium littus suum applicatam cognouit, fratri persuadet, vt ambo ad illam vidēdam proficiscantur: sex tantum passuum millia littus à regia distabat. Itinere autem medio, in vico quod est ipsius regiæ sororis gazophilacium, pernoctatum est. Illius verò thesauri, nō

aurum, non argentum, non gemmæ, sed vtensilia tantum, résque ad humanum vsum attinentes, vt puta sedilia, paropsides, lances, pelues, patellæ ex ligno nigerrimo, lubrico, lucido (quod hebenum eximius artium & medicinæ doctor tuus Ioánes Babtista Elysius esse contendit) confecta, & arte mira laboratæ. In his enim quicquid est incolis ingenij à natura tributum, exercent. Sed hæc illi fœminæ in insula sua Guanabba (quàm in faucibus occidentalibus Hispaniolæ insulæ, si pictam videris, iacere conspicies) fabrefiunt: in eis lemurum, quos noctu videre se prædicant, serpentum, hominum, & aliarum rerum quascunque semel intuentur, viuos vultus cælant. Quid facturos illos, illustrißime Princeps, putares, si ferrum & chalybem assequerentur? Illa enim omnia igne prius interius mollefacta, lapillis postmodum fluuialibus quibusdã cauãt & diducũt. De sedilibus Adelãtato quatuordecĩ, de vtensilibus autẽ mensariis & coquinariis fictilibus sexaginta, dono dedi. Quatuor præterea necti gossampij glomos ponderis immensi tribuit. Ad littus igitur postero die cùm peruenissent, vbi pagus erat alter regius, seruitoriam iussit Adelantatus cymbam instructam aduehi. Rex autem canóas, suo more depictas, duas: vnam, qua ipse cum familiaribus suis: alterã, qua soror Anacaóna & eius ancillæ veherentur, apparat. Sed in seruitoriam Cymbam voluit Anacaóna cum Adelantato vehi. Cum naui iam appropinquarent, ex composito ignem tormentis suffigunt; mare tonitrius, & er puluereo fumo, implentur: tremunt, terrentur, mundi machinam laborare ea concussione arbitrati sunt. Verum enim vbi Adelantatum ridere, in faciem eorum versum, vident, sedant animos. Cùm autem propius irent, fistulæ, tibiæ, tympanáque instructis choreis pulsantur. Illi sonitũs dulcore allecti, stupẽt, admirantur. Ingreßi nauĩ, vbi prorã, puppi, castella, tabulata, carinã cubicula diligẽter percurrerũt, frater in sororẽ, soror in fratrem o-

culos vertentes, obmutescebant: neque quid præ nimia admiratione inuicem loquerentur, inueniebant. Dum his intenti per nauim vagarentur, eleuari ancoras, ex temporéque vela ex antennis deuolui & protendi, in altúmque dirigi iubet. Tum verò stupidiores, cum sine remis, sine hominum robore, molem ità grandem adeo celeriter, per æquor volitare conspicerent: flabat enim è terra optatus ad id ventus: sed tunc multo magis, cùm eodem vento duce, ire modò, modò redire, modò in dextram, in læuam modò, vti libebat, vertere nauim cernerent, admirabantur. His ita peractis, naui pane radicali cæterísque muneribus repleta nostris etiam muneribus donatis, non modò Beuchium Anacauchóam regem sororémque eius, sed ministros ancillásque vtriusque alacres stuporéque plenos dimisit. Ipse verò terrestr: iter aggressus, cum militibus ad Isabellam concessit. Ibi Roldanũ quendam Ximenum facinorosum, quem fossorum & calonũ ductorem ex famulo suo, deindè iustitiæ præsidem, Præfectus erexerat, malo viuere in Adelantatum animo significatum est. Comperit insuper Guarionexium regem, huius Roldani & aliorum relictorum insolentias & rapinas pati vlterius nequiuisse, cum familiaribusque suis & ditionariis pluribus, desperato animo, ad montes quosdam, qui ab Isabella decem tantùm leguas, Occidentem versus, in littore septentrionali, distant, secessisse. Montes, montiúmque incolas, vno nomine Ciguáios vocant. Regem regulorum monticularum principem, Maiobanexium appellant: eius regia Capronus dicitur. Montes asperi, alti, inaccessi, in arcum à natura dispositi, ad mare cornua porrigunt. Inter vtrunque montis eius cornu pulchra planities, per quàm in mare plura flumina à montibus ipsis delabuntur. Gens fera, bellicosa, quæ à Canibalibus originem traxisse creditur: cùm enim è montibus ad planitiem, bellum finitimis illaturi descendunt, si quos perimant, comedunt.

Seruilis ingenii euecti intéperies & malitia.

Guarionexius igitur ad hunc regem monticolam confugiens, dona illi regia multa suo more, quibus monticolæ caret, impartitus est: retulítque sese nefariè, fœdè, violenter à nostris tractatum: nec humilitatem, nec superbiam quicquam sibi apud nostros profuisse conqueritur. Propterea se supplicem ad eum venire, vt illum tutetur, defendátque ab iniuriis facinorosorum hominum, precatur. Maiobanexius autem omnem illi opem, tutelam, præsidium contra Christianos pollicetur. Ad Conceptionem igitur Adelantatus proficiscitur. Roldanum Ximenum, qui in insularum pagis ad milliare duodecimum, cum iis qui eum sequebantur, hospitabatur, accersiri facit: quid sibi vellent hi motus interrogat. Ille perfricata fronte respondet: Almirantum fratrem tuum interiisse, regibúsque nostris paruæ curæ res nostras esse videmus: fame, dum te sequimur, perimus: cogimur infelicem victum per insulam quæritare. Præterea me vnà tecum insulæ gubernatorem Præfectus reliquit: quarè mens nobis est, nolle vlterius tuo imperio parere. Hæc & alia Roldanus. Adelantatus autem manum in eum iniicere cupiens, nequiuit: euasit enim, secutíque illum sunt septuaginta homines, quibus comitatus, ad Occidentem in Xaraguam regionem se contulit: ibíque, vti Almiratus nunc & frater eius testantur, solutis habenis, stuprari, prædari, trucidare cœperunt. Intereà dum hæc fierent in insula, à regibus tandèm nauigia Almiranto obsignantur octo: de quibus primùm duo ex Gadibus Herculeis rectà cum alimentis mittit ad Adelantatum fratrem. Hæc duo nauigia ad eam insulæ partem occidentalem, in qua Roldanus Ximenus cum cōsortibus agebat, casu primum apulsa sunt. Seducit illos Roldanus, pro ligone puellarum papillas tractandas, pro labore voluptatem, pro fame affluentiam, pro laßitudine & vigiliis, quietem promittens. Guarionexius intereà, comparata manu amicorum, ad plana sæpenumerò descendens, insulares nostrorum

amicos, Christanósque quoscunque assequebatur, trucidabat, agros hostiliter vastabat, sementes diripiebat, pagos depopulabatur. Roldanus comitésque, quanuis Almirantum propediem venturum sensissent, quandoquidem nouos homines cum duobus nauigiis præmissis vectos subornauerunt, mininimè perterrebantur. Dum inter hos fluctus miser Adelantatus fratrē indies expectans versaretur, Præfectus frater ex Hispanis littoribus cum reliquis nauigiis discedit. Sed non itinere recto ad Hispaniolam: vertit enim se ad meridiem. Qua nauigatione quid sit operatus, quas maris ac terrarum oras peragrauerit, quid, nouos tractus detegens, inuenerit, prius enarremus. Harum enim seditionum & tumultuum euentum, in sequentis libri calce latè referemus. Vale.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, consiliariique Regii, Oceaneæ decadis primæ Cap. sextum, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.

Tertia Coloni nauigatio Ann. 1498.



X oppido Barrameda, Bætis ostio, à Gadibus parum distanti, cum octo nauibus onustis, tertio Cal. Iunij, anni octaui & nonagesimi, Colonus dat vela: assuetumque iter suum per Fortunatas, ob piratas quosdā Gallos, qui, vt illū adorirētur in itinere recto opperiebātur, detorsit. Ad Fortunatas itur is, ad millia re vigesimū & septingētesimū læuorsū, Madera incurrit insula, quæ australior Hispali est quatuor gradibus. Eleuatur enim Hispali polus arcticus gradus sex & triginta: huic autem insulæ, vti nautæ referunt, duo & triginta. Ma-

deram igitur primùm adnauigauit: indè missis ad Hispaniolam itinere recto nauibus reliquis commeatus vehentibus, cum vna naui caueata, & duabus mercatoriis carauelis, australis plagæ iter aggressus est, lineam petiturus æquinoctialem: deindè vt eius Ocidentem sequens, locorum quæ reperirent, naturam, Hispaniola ad septentrionem dextrorsum relicta, vestigaret. Iacent in eo discursu mediæ Hesperides Portugallensium insulæ tredecim, præter vnam, inhabitatæ, quæ Caput Viride appellantur. Hæ sunt interiori Aethiopiæ è regione ad Occidentem, duorum tantùm dierum nauigatione, vicinæ. Ex his vocant Portugullenses vnam Bonauistam, cuius testudinibus multi quotannis leprosi sua labe mundãtur. Inde, cum esset ibì aër contagiosus, subitò discedens, ad aphricum, qui medius est inter austrum & fauonium, millia passuum CCCCLXXX nauigauit. Ibi malaciis & ardoribus, nam erat is Iunius mensis, adeò (vt ait) oppressus fuit, vt ferè nauigia illi incenderẽtur: cadorum circuli crepabant & rumpebantur, aqua dispergebatur. Homines eos æstus sufferre nequibant: eleuabatur enim eis, vt ipse retulit, ab horizonte polus gradus quinque tantum. Octo dierum, quibus ea perpessus est, primus fuit serenus: reliqui, nubili ac pluuiosi nec eo minus feruidi. Quare sæpius, adisse, non mediocriter pœnituit. Actis in eo discrimine & angustia his octo diebus, vulturnus illis flatu secundo exoritur: quem ventum secutus, rectà ad Occidentem, eius paralleli aliam stellarum faciem, aliámque aëris gratiam, ait se Præfectus reperisse. Nam in tertium indè diem, temperiem se amœnissimam sensisse, inquiunt omnes. Asseuerat enim Præfectus, se à malaciis & ardoribus semper ascendisse per maris dorsum, veluti per altum montem cælum versus ascenditur: nec tamen adhuc in omni prospectu terram vllam viderat. E canea tandem grandioris nauis, pridiè calendas Iulij, nauta

Testudinũ genere quodã mede-tur lepræ.

Miri quiddam.

quidam ſpeculator tres montes altiſsimos, ſublatis præ lætitia ad cælum vocibus, ſe conſpicere proclamat: nè frangantur animo, hortatur: mœſti enim erant, tum aduſti Solis ardoribus, tum quoniam aqua illis deficiebat, cum cadi, qui præ nimio calore concrepuerant, aquam per ſciſſuras euomuiſſent. Læti ergo adeunt: attamen vbi primùm terram attigerāt, eô quod ibi eſſet mare vadoſum, quanuis portum à longè viderint, alias ſatis commodum, non potuerunt terram capere. Habitatam eſſe regionem & benè cultam, perpenderunt è nauibus: nanque cultiſsimos hortos, & amœna viridaria vidēt: ex quorum herbis & arboribus matutini rores ad eos ſuaues efflabant odores. Ad vigeſimum indè lapidem, in portum incidit recipiendis nauibus ſatis aptum, ſed nullus in eum amnis decurrebat. Procedens igitur, reperit tandem portum reparandis nauibus aptum, & aqua & lignis ſumendis accommodatum: Arenalem Puntam, hanc terram vocat. Vicina portui domicilia nulla reperêre, ſed innumera quorundam animaliū veſtigia, veluti caprina, inuenerunt: de quorum genere vnum vidêre mortuum, vt aiunt, quaſi capreæ ſimile. Altero die canóam à longè venientem proſpiciunt, qua vigintiquatuor homines vehebantur, iuuenes omnes elegantes & proceræ ſtaturæ: ſcutis, præter arcus & ſagittas, vltra morem aliorum, armati: capillis oblongis, planis, & quaſi more Hiſpano ſciſsis in fronte. Pudibunda, vittâ goſſampinâ varijs coloribus intextâ, tegebant, cæterum nudi. Tūc vero terram illam reliquis eius paralleli regionibus cælo proximiorem eſſe, & à craſsis conuallium ac paludum vaporibus remotiorem credidit, quanto altorum montium à profundis vallibus ſuprema culmina recedunt. Quoniam ſe ab Aethiopiæ parallelis nunquam exijſſe in tota ea nauigatione pertinaciter Almirantus affirmat, tantáque ſit in vtriuſque terræ incolis cōtinentis ſcilicet Aethiopiæ & inſularum, naturæ varietas:

Aethiopes enim nigri, crispi, lanati, non autem capillati: hi verò albi, capillis oblongis, protentis, flauis. Vnde discrimen hoc tantum oriri poßit aliàs, non video. Terræ igitur dispositio, non cœlorum flatus, eam causantur varietatem. Scimus in torridæ zonæ montibus niues cadere, duraréque: scimus & in valdè distantibus ab ea ad septentrionem vrgeri magno calore habitatores. Iuuenes obuios vt alliceret Præfectus, specula, vasa ænea, tersa, lucida, tintinnabula, aliáque eiuscemodi ignota illis ostendi iußit. Illi autem quo magis vocabantur, tanto magis fraudem inesse & strui timentes, retrocedebant: cum summa tamen admiratione nostros, & eorum res ac nauigia fixis oculis intuentes, ac remis semper innixi. Videns Præfectus muneribus illos adduci non posse, iußit è cauea grandioris nauis, tympana, tibiásque pulsari, cantaríque inferiùs, ac instrui choreas: Cantûs & insoliti sonitus dulcedine illos posse vinci existimans. Iuuenes autem, ad certamen canere nostros è caueis, arbitrati, citiùs ictu oculi, relictis remis, sagittas arcubus, scuta brachiis aptârunt, cuspidibúsque in nostros directis quid sibi vellent hi sonitus, parati opperiebantur. Nostri econuersò, paratis sagittis, ad illos paulatim mouent. Illi verò à naui prætoria discedentes, & dexteritate remorum freti, vnam ex minoribus adeunt: adeóque illi adhæserũt, vt nauis gubernatori sagulum, pileúmque cuidam primario alteri è puppi porrigere licuerit. Per signa, vt eius nauis gubernator in littus descendat, ibi inuicem collocuturi, vt apertius poterant, data fide, conueniunt. Sed cùm ipsum nauis gubernatorem ad prætoriam nauim, veniam colloquij petitum, accedere conspexerunt, insidias veriti, statim in canóam prosiliunt, auráque velocius auolârunt. Non longo ab ea insula spatio semper, ad Occidentem, Præfectus se fluxum aquæ rabidum ab Oriente in Occidentem, atque adeò impetuosum, reperisse ait, vt nihilo torrenti vasto ex altis montibus decidenti cederet. Ibi se, ex

quo nauigare à teneris cœpit, nusquam tantum formidasse fatetur: Vlterius aliquantulum per id discrimen procedens, fauces reperit quasdam octo milliarium, veluti alicuius maximi portus introitum: ad quas aquarum ille defluxus ruebat. Os Draconis fauces appellauit, & insulam Ori Draconis oppositam, Margaritam. Ex faucibus autem non minor impetus aquarum dulcium, venientibus salsis occurrens, egredi conabatur: ita quod ibi esset inter vtrasque vndas non leue certamen. Sinum ingressus tandem, potabiles ac suaues aquas esse cognoscit. Atque aliud maius ipse Præfectus, & reliqui nauigationis eius comites fide digni, mihi diligentius omnia percontanti retulerunt: se videlicet lequas sex & viginti, hoc est, millia passuum quatuor supra centum, per semper dulces aquas adnauigasse: quantóque vlterius, ad Occidentem præcipuè, procederet, tanto asseuerat dulciores. Occurrit deinde monti altißimo, quem cercopithecorum ab ea parte orientali multitudo tantum incolebat. Id latus asperum, propterea hominibus inhabitatum: apud littus tamen in terrā exploratum mißi, cultos pleró sque satósque agros reperisse retulerunt: gentem autem aut casas nullas: vt ruricolæ nostri sæpius etiam à villis aut stationibus, quas incolunt, seminatum longius fortè proficiscuntur. In montis eius occidentali latere latam agnoscunt iacere planitiem, hanc læti adeunt, iaciunt anchoras in lato flumine. Cum primum indigenæ gentem ad eorum littora nouam appulsam esse cognoscunt, certatim visendi studio sine vllo metu ad nostros festinant: à quibus per signa, Pariam vocari terram illam, quæ maxima esset, & quanto vlterius ad Occidentem, tanto populosiorem collegerunt. Quatuor igitur hominibus ex eius terræ incolis in nauem suā sumptis, occidentale latus prosequitur. Ex aëris temperie, ex amœnitate terræ, ex populorum amplitudine, quibus indies magis ac magis inter nauigandū occurrebant, quod

regio illa magni aliquid portenderet, omnes recensent: neque illos sua fefellit opinio, vti suo loco videbimus. Sole nondum exorto, surgere tamen iam volente, quodam die, locorum suauitate allecti, sentiebant enim ex terræ viretis gratißimos odores afflari, terram captant. Ibi numerosiorem, quàm alibi vsquam, incolarum multitudinem esse perpenderunt. Statimque nostris propius se applicantibus, eius terræ Cacici nomine nuncii ad Præfectum mittuntur, se suáque omnia hilari fronte per signa & nut⁹ offerendo: à Præfecto, vt in terram descenderet nec quicquam vereretur, petunt. Renuente Præfecto, ecce visendi studio, tum eorum cymbis innumeri ad naues confluũt colla lacertósque maiori ex parte auro & vnionibus Indicis torquati armillatíque, atque id adeò populariter gestabant, vt ex vitro non maiora calculorum serta fœminæ nostrates ferant. Vbinam illa quæ gerebant, legerentur interrogati: proprium littus digito monstrabant: manuumque ac labiorũ torsione & motu, vniones apud se non magnifieri, significare videbantur. Immò & canistris manu captis, posse ibi, si apud eos versari vellent, canistratim colligi, insinuare videbantur. Sed quoniam frumenta quæ vehebat ad Hispaniolam, ferè iam salo corrumperentur, differre id commercium in accommodati⁹ tempus statuit. Duas tamen ex seruitoriis cymbis, ad terram hominibus onustas misit, qui de vnionibus aliqua serta, per rerum nostrarum permutationem, referrent: & de locorum ac hominum natura, quæcunque possent, scrutarentur. Illi nostros adeuntes, hilares & animo læto suscipiunt. Mirus ad nostros, tãquam ad portentum aliquod, erat numerus confluentiũ. Duóque viri graues nostris primum obuii, quos reliqua turba sequebatur, prodeunt, grandæuus alter, alter iunior. Patrem & filium successurum, autumant fuisse. Salutationibus vtrinque peractis, in domum quandam sphæricam, cui magna platea adiacet, nostros adducunt. Ex ligno nigerrimo,

Vnionũ vilitas & copia.

arte mira laborato, sedilia feruntur multa. Postquàm nostri & eorum primates assederunt, eccè veniunt ministri dapibus alij, alij vino onusti: sed eorum cibi fructus tantum: varij tamen generis, nostris penitus ignoti. Vina vero tam alba quam rubentia, non ex vuis, sed ex diuersis fructibus compressa, non iniucunda tamen. Sumptis apud seniorem cibis, iunior illos ducit in tabernaculum suum. Viri fœminæque adstabant plures: sed vbique viri semper à fœminis separati. Vtriúsque sexus indigenæ albi, veluti nostrates, præter eos qui sub sole versantur: mites, hospitales, pudenda gossampino velamine, variis coloribus intexto, contegunt: cætera nudi. Nemo aderat qui non esset vnionibus & auro aut torquatus aut armillatus: multi vtrunque, sed vti vitreos nostri rurales calculos ferunt. Interrogati, vbinam aurum illud quod gestabant, gigneretur: digito signabant, èregione in quibusdam montibus: sed nostris, tanquam minitantes, accessum dissuadere videbantur: comedi enim illic homines, gestu manibúsque innuebant. Sed an à Canibalibus dicerent, an à feris syluestribus, non benè perceperunt. Quod nostros intelligere, à nostrísque intelligi nequirent, ingenti molestia afficiebantur. His qui missi fuerant, hora tertia post meridiem cum quibusdam vnionum sertis ad naues redeuntibus, ancoras eleuant: neque propter frumenta vti ipse ait, quæ vehebat, diutius moratus est: animo tamen, compositis rebus Hispaniolæ, intra paucos dies redeundi: sed tā ei præmium inuenti surripuit alter. Instit it & eius pelagi profunditas modica, aquarumve cursus præcipites, qui assiduis conflictibus grandiorem nauem, si vis ventorum aliqua surgebat, conquassabat. Ad euitanda vadorum discrimina leuiorem ex carauelis, quæ breui fundo contenta erat tanquā exploratricem, plumbatis fundi altitudinem tentantem, semper præmittebat, sequebantur aliæ. Cumana & Manacapana, in vasta Pariæ prouincia, dicebantur ab incolis illæ re- giunculæ

Cumana. Manacapana

giumculæ, in spatio milliarium ducentorum triginta: à quibus altera regio distat lequas sexaginta, nomine Curiana. Cum autem longum ita maris tractum percurrisset, putans assiduè insulam esse, dubitánsque posse per Occidentem se ad septentrionem, vt ad Hispaniolam iter caperet, exoluere, in fluuium incidit profunditatis triginta cubitorum, latitudinis vero inauditæ: ait enim octo & viginti lequarum fuisse. Paulò autem vlterius, ad Occidentem tamen semper, sed meridionalius aliquantisper, cum ita littorum se spectantium ratio exigeret, mare herbidum ingressus est: supernatans herbarum semen, lentisci baccas æmulabatur. Quare herbarum densitas, nè benè fluerent nauigia, impediebat. Ibi, Præfectus refert, diem esse nullum toto anno multò longiorem aut breuiorem altero. Arcticum polum in ea regione quinque tantùm gradus, sicuti Pariæ, disputat eleuari: in cuius tractu hæc omnia littora iacent. De poli etiam varietate quædam refert, quæ, quoniam contra omnium Astronomorum sententiam prolata mihi videntur, sicco pertingam pede. Compertum est, illustrißime Princeps, polarem illam stellam, quam nautæ nostri Tramontanam vocant, non esse arctici poli punctum, super quo cælorum axis vertatur: quod facilè dignoscitur, si stellis primum apparentibus, per angustum aliquod foramen stellam ipsam conspexeris, eandémque si vltima vigilia, aurora illas fugante, per idem foramen conspicies, locum mutasse comperies. Sed quo modo fieri poßit, vt primo noctis crepusculo in ea regione quinque tantum gradus tempore Iunii eleuetur, stellis autem discedentibus, obuenientes solares radios sumpto eodem quadrante quindecim, non intelligo: nec rationes quas ipse adducit, mihi planè nec vlla ex parte satisfaciunt. Inquit enim, se orbem terrarum non esse sphæricum coniectasse, sed in sui rotunditate tumulum quendam eductum, cum crearetur, fuisse: ità quòd non pilæ aut pomi, vt alij

Curiana.

Mare herbidum.

ſentiunt, ſed piri arbori apenſi, formam ſumpſerit, Pariámque eſſe regionem, quæ ſupereminentiam illam cælo viciniorem poßideat. Vndè in trium illorum culmine montium, quos è cauea ſpeculatorem nautam à longè vidiſſe memorauimus, paradiſum eſſe terreſtrem aſſeueranter contendit, rabiémque illam aquarum dulcium, de ſinu & faucibus prædictis exire obuiã maris fluxui venienti conantem, eſſe aquarum ex ipſis montium culminibus in præceps deſcendentium. De his ſatis cùm fabuloſa mihi videantur. Ad hiſtoriam, à qua digreßiſumus, reuertamur. Cùm ſe, præter optatum, tam vaſto ſinu implicitum cerneret, nec iam reperiendi ad ſeptentrionem exitum, quo ad Hiſpaniolam vertere proras poſſet, ſpem vllam haberet, eadem qua profectus fuerat, regreditur, itérque per ſeptentrionem eius terræ ab Oriente ad Hiſpaniolam capit. Hanc qui poſtmodum accurratiùs vtilitatis cauſa inueſtigârunt, continentem eſſe Indicum volunt, non autem Cubam, vti præfectus: neque enim deſunt qui ſe circuiſſe Cubam audeant dicere. An hæc ità ſint, an inuidia tanti inuenti, occaſiones quærant in hunc virum, non dijudico: tempus loquetur in quo verus iudex inuigilat. Sed quòd Paria ſit vel non ſit continens, Præfectus non contendit: continentem ipſe arbitratur. Pariam autem eſſe Hiſpaniola octingentis octoginta duobus millibus paſſuum auſtraliorem, Præfectus refert. Ad Hiſpaniolam tandem viſendorum militum, quos ibi cũ fratribus reliquerat, tertio calend. Septembris octaui & nonageſimi anni, cupidißimus tetendit. Sed, vti pleráque mortalium ſolent, inter tot ſecunda, dulcia, læta, abſinthij ſemen fortuna in medium proiecit, Zizaniáque omnibus eius ſuauia commaculauit.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, consiliariique Regii, Oceaneæ decadis primæ Cap. septimum, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



Eniens ad insulam Præfectus, vltra spem omnem perturbata omnia, in præcépsque iam labentia cuncta inuenit. Roldanus enim, qui eo absente à fratre discesserat, multitudine quæ eum sequebatur, freius, ad Præfectũ quondã dominum, qui eum euexerat, non modò non venire instituit, sed conuiciis illum lacerare, scriberéque ad reges de vtroque fratre nefanda incepit. Præfectus autem ad reges nuncios mittit, qui de eorum defectione certiores faciant, instátque simul, vt militares homines ad se mittantur, quibus vires eorum infringere, puniréque pro commißis quenque valeat. Illi de vtroque fratre grauiter conquesti, iniustos, impios, Hispani sanguinis hostes & profusores, vocabant: quod leuibus de causis torquere, iugulare, obtruncare, quoquo modo perimere delectarentur, ambitiosos, superbos, inuidos, intolerabiles tyrannos esse, proclamabant: propterea se ab eis tanquam à feris sanguine gaudentibus, & regum inimicis, discesßisse: perspexisse enim se, aiebant, nil aliud ipsos moliri aut animo versare, quàm de vsurpando insularũ imperio: idque mille coniecturis perpendisse argumentabantur: sed præcipuè, quòd adire aurifodinas aurum collectum, neminem præter familiares suos patiebantur. Præfectus autẽ è contrariò, cum à regibus auxilia, quibus debitis illos pœnis posset afficere, poscebat: homines eos esse, qui talia in se commentarentur, omnes flagitiosos, facinorosos, lenones, fures, stupratores, raptores, vagos, quibus nihil pensi, nulla ra-

Partiũ apud regem accusationes.

tio inesset, periuros, falsos, conuictos in prætoriis, aut pro commissis minas iudicum timentes: sese de medio sustulisse, ibique violando, rapiẽdo, ocio, ventri, somno, libidinibus deditos, nemini parcere: & qui vt foderent, officióque calonum fungerentur, adducti fuerant, nunc neque stadium domo egrediũtur pedibus: ab insularibus nanque miseris pensiles per totam insulam, tanquàm ædiles curules, feruntur. Ioci etiam gratia, ne manus ab effundendo sanguine desuescat, vt lacertorum vires experiantur, eductis ensibus, inter se certant super obtruncandis innocentum capitibus vno ictu: & qui agilius ictu suo caput miseri deijciebat in terram, ille fortior honoratiorque inter ipsos censebatur. Illi in Præfectum ea, Præfectus in eos hæc & alia multa. Dum hæc ita geruntur, vt Ciguauis populis, de quibus supra, Guarionexio duce, multa damna inferentibus obuiaretur, Adelantatum fratrem cum nonaginta tantum peditibus, equitibus verò paucis, mittit: tribus tamen millibus insularium, qui à Ciguauis aliâs acriter stimulati, inimicitias cum eis capitales exercebant, sequentibus illum. Cum igitur Adelantatus ad cuiusdam magni fluminis ripam, per eam planitiem, quam supra inter Ciguauorum montium cornua & mare iacere memorauimus, defluentis, exercitum duxisset, exploratores hostium in dumis quibusdam latentes comperit duos: quorum alter in mare se præcipitans, per fluminis fauces trans fluuium ad suos euasit: alter autem captus, in nemore trans fluuium delitescere dicebat sex Ciguauorum armatorum millia, vt nostros transeuntes incautos adoriantur. Quamobrem Adelantatus aduersa ripa, vadum quo traijceret quæritans, ascendit. Vado tandem reperto in lata planitie, in traijcere volentes nostros, emissis vno spiritu horrendis clamoribus, è syluis Ciguaui, facto agmine, adspectu fœdo ac formidoloso, prosiliunt: prodeunt ita Maroniani Agathyrsi: picti omnes & adspersi ma-

Ciguaui picti & maculis adspersi.

gulis: nigro enim coccineóque coloribus, quos ex quibusdam fructibus, piro similibus, ex hortis ad id summo studio enutritis, legunt, sese à fronte ad genua vsque depingunt: crinibus mille modis compactis, quos nigros longósque arte, si natura negat, nutriunt. Lemures è tartareis speluncis prosilire videbantur. Nostris fluuium superare adnitentibus, sagittarum ac mißilium sudium iactu transitum prohibentes, obuiam prodeunt. Tanta erat telorum multitudo, quòd solem ferè illis demeret, & nisi scutati in se ictus recepissent, male actum fuisset. Adelantatus, vulneratis vtrinque in eo certamine non paucis, traiecit tandem: fugiunt hostes, insequuntur nostri, perimunt, paucos tamen, valent enim pedibus maiorem in modum, ad syluas se ilicò recipiunt, ex quibus tuto nostros accedentes arcubus conficiebant: ipsi enim nudi per vepres & dumos & arbusta, vti apri, sine vllo obice, syluis assueti, prolabuntur: nostris autem scuta, vestes, longæ hastæ, locorum imperitia intra dumos, officiunt. Quare cùm frustra ibi pernoctâsset, posteróque die neminem in syluis moueri sentiret, insularium, qui Ciguauos veteri odio prosequebantur, consilio & ductu, ad montes, in quibus Maiobanexius rex, Capronum vicum regiam habebat, proficiscitur: ad milliarêque duodecimum in alterius reguli vico, incolis omnibus præ metu vicum deserentibus, castrametatus est. Duos assequuntur, à quibus esse apud Maiobanexium decem regulos in Caprono eius regia, cum octo millibus Ciguauorum congregatos, cognouerunt. Leuibus incursionibus sese inuicem duabus lacessunt: nec procedere Adelantatus ausus est, donec regionem diligentius exploraret. Nocte sequenti intempesta exploratores mittuntur, ductu insularium qui terram nouerant. Ciguaui è montibus nostros senserunt: ad pugnam se, vti solent, sublatis clamoribus accingunt, neque tamen è syluis egredi audent, Adelantatum cum omni exercitu adesse existiman-

tes. Altero die Adelantato exercitum ad eos ducente, bis fortunam belli è syluis pugnando prosilientes, tentârunt: impetu maximo in nostros ruunt, vulnerant plerosque, priusquam scutis se tegere licuerit. Profligant nostri illos, insequuntur, perimunt, capiunt multos: ad syluas, non vlterius egressuri, reuertuntur. Ex captis vnum cum altero insulari ex amicis, ad Maiobanexium cum mandatis huiuscemodi mittit: Non vt tibi, ô Maiobanexi, aut incolis tuis bellum inferret, exercitum duxit Adelantatus: amicitiam enim tuam exoptat sed efflagitat vt Guarionexius qui ad te confugit, tibíque vt arma, in maximum tuorum incommodum, sumeres persuasit, commissorum pœnas depræhensus luat: propterea hortatur, monétque vt Guarionexium tradas: id si feceris, te Præfectus marinus frater eius in amicitiam admittet, & tuorum regnorum amplitudinem integram seruabit ac tutabitur: sin facere recusaueris, dabitur opera vt te facti pœniteat. Regni enim quicquid tibi est, ferro igníque vastabitur, omnia diripientur. Maiobanexius autem, propositione intellecta, illis respondit Guarionexium virum bonum esse, omnique virtute præditum, neminem latet, propterea auxilio præsidióque dignum illum esse iudico: ipsos autem violentos & malos homines, qui aliena tantoperè expetant, qui sanguinem innocentum semper exoptent, nolle secum sceleratis hominibus commercia aut amicitiam inire. His auditis, Adelantatus vicum vbi castra metabatur, aliósque vicinos complures cremari iussit. Maiobanexióque propior factus, iterum nuncios mittit, qui cum eo agant, vt ex familiaribus intimis aliquem ad se venire iubeat, quo cum poßit de pace tractare. Charißimum quendam ex primoribus, duobus aliis illum comitantibus, rex ire imperat. Huic Adelantatus proponit, suadétque ac monet, ne floridū eius regnum Maiobanexius diripi pro Guarionexio patiatur. vt tradat illum, hortatur, nisi perditum iri se suáque omnia,

simul & incolas in prædam abduci mallet. Nuncio redeunte, populum Maiobanexius conuocat, quæ acta sint, proponit. Populus autem tradi debere Guarionexium proclamat, detestarique & execrari diem, quo Guarionexius turbatum eorum quietem venerat, incipiunt. Maiobanexius autem Guarionexium virum esse bonum & de se benè meritum, quòd regia illi dona, cũ ad eũ veniret, multa præbuisset, vxorémque suã & ipsũ chorizare tripudiaréque docuisset, quod nõ paruifaciebat, sibíque curæ esse respondit: propterea se nullo pacto eum, quandoquidem ad se confugerat, & ipse tutandi fidem dederat, deserturum: malléque se extrema omnia cum eo perpeti, quàm obloquendi causam, quod hospitem tradiderit, detractoribus præbere. Ità populo suspiriis anhelante dimisso, Guarionexium ad se vocat, omnem opem denuò pollicetur, velle se fortunam omnem, quoad vixerit, cum eo expectare: neque ad Adelantatum quicquam referendum censet: immò & eum qui primus ab eo missus fuerat in itinere, quo Adelantati nuncij venire ad se soliti erant, cum fida custodia locat, imperans vt venientes interimat, nec cuiusquam sermones admittat. Mittuntur ab Adelãtato duo, vnus ex captiuis Ciguaiensibus, ex amicis insularibus alter: obtruncantur ambo. Sequitur illos Adelantatus cum decem tantum peditibus, equitibus quatuor: mortuos reperit in itinere nuncios. Quare iratus sæuire acrius in Maiobanexium constituit. Vadit instructo exercitu ad Capronum regiam. Fugiunt reguli per diuersa, imperatorem Maiobanexium deserunt. Ad montes asperos Maiobanexius cum omni familia profugit. Alij vero Guarionexium, quod tanti mali causa fuisset, Ciguaui, vt eum perimerent, quæsierunt. Sed pedibus vitam seruauit, intra rupésque desertorum montium ferê solus delituit. Cum iam lõgo bello, vigiliísque ac laborib⁹ & fame Adelãtati milites

fatigarentur, (gebatur enim iam tertius mensis, quo inceptũ fuerat) veniam multi petunt, & vt redire ad Conceptionem liceat, vbi plurimi ex eis prædia insulari more habebant cultissima: datur commeatus, recedunt multi. Triginta tantum cum Adelantato comites permanent. Id trimestre bellum satis ærummosè egerunt, neque enim trimestri toto cibos vllos sunt assecuti, præter cazabi, id est, radicalem eorum panem, atque ex eo rarò ad saturitatem: & de vtiis, id est, eorum cuniculis, si quos ipsimet cum suis canibus venando capiebant potúsque eorum suaues interdum, interdum cœnosæ & palustres aquæ. Inter has delicias sub dio ferè semper, ac in perpetuo motu: sic enim belli natura exigebat. Cum his igitur paucis Adelantatus montana scrutari, & latibula quæritare, si qua Maiobanexij aut Guarionexij vestigia reperiat, cõstituit. Forte fortuna venatores quidam ipsius Adelantati, quos fames, vbinam vtias venando captare possent, indagare coëgerat, cùm cætera deessent, in duos Maiobanexij familiares incidunt, qui ad pagos quosdam ipsius missi, panem ferebant ab incolis datum. Hi, vbinam dominus delitesceret, propalare coguntur: quibus ducibus, Ciguaio more, duodecim ex nostris depictis, per dolum Maiobanexius cum vxore & filijs capitur: ad Conceptionem ad Præfectum ducuntur. Paucos post dies Guarionexium de speluncis exire fames compulit, quem insulares, Præfectum veriti, venatoribus quibusdam prodiderũt. Præfectus vbinam versetur, certior fit. Peditum turmam mittit, qui ex insidiis de plano ad montana redire volentem adoriantur. Eunt, capiunt, ducunt. Ita illius regionis conuicina pacata, sedatáque sunt omnia. Maiobanexium cognata quædam alterius reguli, cuius regnum intactum adhuc erat, vxor in his aduersis comitabatur. Eam fœminarum omnium, quas natura in ea insula creauit, formosissimam omnes prædicant. Hanc cùm vir ipsius, vt eius forma merebatur, arderet, insa-

Stratagema.

nus & mentis inops, vxore capta, per deserta, quid consilij caperet ignarus, vagabatur. Ad Præfectum tandem, se suáque omnia ditioni eius, sine vllo obice, subditurum, si vxorẽ redderet, promittens, venit. Vxor redditur, & ex incolis primarij plures. Iureiurando adstringuntur, se imperata facturos. Sponte sua regulus hic idem, incolarum quinque millia inermium cum agricultoriis instrumentis secum ducens, adijt, maximámque Præfecto sementem in conuallis eius amplißimæ fundis sua impensa cultam reliquit. A Præfecto donatus, lætus reuertitur. Hæc fama ad Ciguaios delata, regulorũ animos ad clementiæ spem mouit. Vltro igitur veniunt, se deinceps imperata facturos, fidem præstant: pro rege suo & omni familia supplicant. Vxor & tota domus eius, regulorum rogatu liberantur: rex vinctus detinetur. Hæc in insula à Præfecto, quid contra se apud reges aduersarij molirentur inscio, gerebantur. Cùm reges tot querelis vndique conflictati, & maximè quòd ex tanta auri & aliarum rerum amplitudine parum, ob eorum discordias & seditiones, afferretur, gubernatorem instituunt nouum, qui diligenter inquirat hæc omnia, sontésque deprehensos corrigat, aut ad se mittat. Quid in Præfectum & eius fratrem, quidve in illos qui eis aduersati sunt, fuerit perquisitum, non benè percipio. Hoc vnũ scio: capitur vterque frater, in vincula, omnibus bonis spolitatus, cõiectus ducitur, vti vides illustrißime Princeps. Cùm primùm tamen reges Gades vinctos adductos esse didicerunt, vtrunque statim per celeres tabellarios solui iubent, vtque liberi adeant, permittunt, molestè se tulisse eam ipsorum iniuriam ostendentes. Nouus ille gubernator ad reges Præfecti dextera exaratas, ignotis characteribus scriptas literas misisse dicitur, quibus Adelantatum fratrem absentem armata manu, vt se, si vim gubernator inferre pararet, ab eius iniuria tutaretur venire properè hortabatur, monebátque. Propterea cùm

Pro tot laboribus exhaustis indigna premia.

Adelantatus præcessisset armatos, incautos ambos, priusquã multitudo conueniret, gubernator apprehendit. Quid futurum sit, tempus, rerum omnium iudex prudentissimus, aperiet. Vale.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLici, Consiliariique regii, Oceaneę decadis primæ cap. octauum, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



Pimum oceanũ hactenus latitantẽ, à Christophoro Colono Præfecto marino, nostrorũ regum auspiciis, repertum, tanquam aureum torquem, etsi malè ob ineptas artificis manus fabrefactum, tuo splendori, illustrissime Princeps, condonaui. Nunc autem gemmatum accipito monile, quod torqui appensum, perpendiculi vicem gerat. Ex ipsius Præfecti nauium gubernatoribus, qui ventorum ductus diligenter annotauerant, plerique à regibus impetrata venia scrutandi vlterius propriis impensis, regibus tamen partem daturi illis contingentem, quæ est quinta, prouinciã aggressi sunt. Sed quoniam secundiore fortuna Petrus Alfonsus quidam, cognomento Nignus, ad meridiem nauigauit, ab eo incipiendum merito existimaui. Hic, vt reliquum iter omittamus, vna tantùm naui suamet impensa instructa, (licet non desint qui aliena dicant) edicto regio sumpto, ne ancoras deijceret ad leuquas quinquaginta ab vllo loco quem Præfectus tetigerit: Pariam, vbi vnionibus torquatos armillatósque tam viros quàm fœminas Præfectum reperisse suprà memorauimus, proficiscitur. Procedénsque ex regio edicto per idem littus,

Petrus Alfonsus Nignus.

tamen Cumana & Manacapana regionibus postergatis, in regionem incidit, quam Curianam vocari ab incolis ipse refert. In qua portum se reperisse ait, Gaditano portui similimum: quem ingrediens, casas quasdam in littore videt: adiuit, octo tantum domorum pagum reperit, attamen ex populoso quodam alio vico, tria tantum milliaria distanti, nudi homines quinquaginta, duce primario, properè cucurrerunt, petúntque ab Alfonso Nigno, vt ad eorum littus proficiscatur. Nignus ipse descendens, tintinnabula, aciculas, spinteres, armillas, vitrea calculorum serta, anulósque, & alias huiuscemodi institorum merces secum portauerat, quibus cum eis in horæ momento vnionum, quos collo & brachiis appensos gestabant, vncias quindecim permutat. Tum magis ac magis illi, vt ad suos nauigaret, Nignum amicè amplectentes, institerunt: habituros se ibi de vnionibus copiam quamcunque optarent. Altero die aurora surgente, ad eos mouent: adeunt, ancoras iaciunt, vt ad se descenderet, omnis populus concurrens supplex orabat. Nignus autem cum innumeram eorum esse multitudinem cerneret, ipse verò tres & triginta tantum homines secum haberet, non est ausus sese illis credere, sed per nutus & signa, vt cum suis lintribus ad se nauigarent, significauit. Eorum lintres vniligneæ, sicuti aliorum sunt: sed rudiores ineptioresque, quàm Canibalicæ, aut insulares Hispanicæ: has Gallitas vocant. Certatim igitur vnionum serta, nostrarum mercium cupidißimi, cuncti ferebant. Vniones appellant Tenóras. Mites, simplices, innocentes, & hospitales esse, viginti dierum commercio cognouerunt. Cum eis intra eorum domos versari incipiunt. Domus eorum ligneæ, palmarum foliis tectæ. Cibi maiori ex parte conchylium ex quibus vniones adipiscuntur, quibus habent plena littora: & syluestribus animalibus vescuntur. Ceruos, apros,

cuniculos villo & colore ac magnitudine leporibus similes: palumbes, turtures, vulgò tellus illa parit. Anseres, anatésque in domibus fœminæ, sicuti nostrates, nutriunt. Pauonésque per nemora (sed non picti aut versicolores: discrepat enim à fœmina parum masculus) & per paludũ arbusta phasiani, passim, volitabant. Sunt Curianenses callidi venatores: certísque ictibus sagittarum quodcunque quadrupes siue volucrem, facilè interficiunt. Lautos ibi dies aliquot nostri egerunt. Pauonem enim ferenti quatuor dabantur aciculæ aut spinteres: Si phasianũ quis ferret, duas præbebant: Si palumbem aut turturem, vnam: si anserem, totidem, vel vitreum calculum tribuebant. Haud aliter inter eos replicando, arguendo, differendo agebatur in ea permutatione, quã nostratibus accidit mulieribus, cùm sese cum institoribus implicant. Cum nudi ipsi essent quid illis aciculæ prodesse possent, sciscitabantur. Nostri autem callido illis responso satisfecerunt: per signa enim ad spinas, quæ sæpenumero eorum carnibus figuntur, euellẽdas, dentésque purgandos, esse occommodatißimas significãrũt: tunc illas magnifacere cœperunt. Sed tintinnabuli colore ac sonitu allecti, magna tribuebant, vt tintinnabulũ assequerẽtur. In syluis, quas ex variis altißimísque arboribus densißimas esse aiunt, animalium grandiorum horrendos mugitus ex incolarum domibus noctũ sentiebant, sed minimè noxiorum. Libere enim incolæ nudi cum arcubus & sagittis per illas venatum continuè vagantur, nec peremptum vnquam ab vlla fera quẽquam meminerũt. Quotquot ceruos, quotquot apros nostri illos capere iubebant, tot, sagittis peremptos, ad eos afferebant. Bobus, capris, ouibus carent. Pane radicali paniceóque, vti insulares Hispanici, vtuntur. Capillos habet hæc gens nigros, crassos, semicrispos, longos tamen: dentes albidos reddunt: herbam quandam ad id aptam toto ferè die inter labia ferunt cùm autem illam eijciunt, os lauant. Mulieres rebus familia-

ribus & agriculturæ magis intendunt, quàm viri: viri autẽ venatu magis, ac rebus bellicis & ducendis choreis & ludis inuigilant. Hydrias, cantharos, ollas, cæteráque vtensilia varij generis fictilia habent, aliundè comparata. Nundinas enim inter se celebrant, ad quas vicinus quisque incola, vt peregrinũ aliquid assequatur, de suæ regionis prouentibus portant, sed è proximo. Nullus enim est qui parare sibi noui aliquid, quo sua tellus careat, non delectetur: cùm hominibus cunctis sit à natura tributum, vt nouis rebus studeant & alliciantur. Auiculas aliáque animalia multa pulchrè formata ex auro, non puro tamen, vnionibus annectebant: sed ad eos aliundè per permutationem feruntur: est enim aurum illud veluti Germanicum, quo floreni cuduntur. Ibi homines cucurbitula quadam, in anterioris braculæ caligarum nostrarum similitudinẽ scissa, vel testa marina, mentulam & genitalia includunt: funiculo ad lumbos alligatos cucurbitula sustinetur: de cætero nudi. Alibi in eo tractu intra vaginam mẽtularem neruum reducunt, funiculóque præputium alligant. Animalia, de quibus supra mentionem fecimus, & multa alia quæ in nulla insularum reperiuntur, continentem terram esse testantur. Sed præcipua id ita esse coniectura arguunt, quod per eius telluris littora à Paria ad Occidentem, circiter tria millia milliariûm adnauigauerint, neque vllum finis signum repererint. Curianenses, vnde aurum illud assequerentur, interrogati: ex quadam regione, nomine Cauchieta, quæ à se ad Occidentem recto littore sex soles, id est, sex dierum iter distabat, afferri, in eásque formas ab ipsius terræ opificibus conflari innuebant. Eò tendunt nostri: regionem reperiunt: in calendis Nouembris anni millesimi quingentesimi ancoras in Cauchieto iaciunt littore. Incolæ adueniunt intrepidi, ferunt de auro, quod natiuum illis erat. Vniones & isti collo gestabant: sed ex Curiana per auri mutationem ad eos ferebantur. Nullus

ex eis voluit quicquam, quod aliundè assequeretur, permutare: vtputà neque Curianenses aurum, neque Cauchietenses vniones: auri tamen parum apud Cauchietenses lectum reperêre. Cercopithecos tulerunt indè pulcherrimos, variorúmque colorum psittacos plures. Mense Nouembri temperies illic suauißima, frigus nullum. Custodes arctici poli vtrisque populis occidebant, adeo proximi erant æquinoctio. De gradibus polarib⁹ nesciunt aliam reddere rationem. Bonæ mentis homines & minimè suspiciosi tota fere nocte cum suis cymbis, vti Curianenses, ad nostros proficiscebantur, nauímque securi intrabant. Vniones isti vocant corixas. Sunt Zelotypi: namsi quis illos peregrinus adierit, mulieres semper à tergo locant, vt & ipse noua hæc tanquam prodigia inspectant. Goßipium apud Cauchietenses vulgo & suapte natura nascitur, vt apud nos arbusta syluestria producuntur: propterea fiunt apud eos femoralia, quibus in plerisque regionibus pudenda contegunt. Cùm vlterius postmodum per idem littus processissent, eccè circiter duo millia hominum, suo more armatorum, ad littus ne descendant, prohibituri. Qui adeò agrestes adeò efferos sese ostendunt, vt nullum vnquam commerciũ aut consuetudinem cum nostris inire paßi sint. Qua venerant igitur nostri, suis vnionibus contenti, reuertuntur: apud Curianenses, ventres lautis cibis replendo, viginti dies alios demorati sunt. Haud absurdum alienúmque ab historia fore mihi videtur, si quid illis acciderit, cùm Pariæ littus venientes iam cernerent, immiscuero. In Canibalium, qui venatum homines proficiscebantur, octodecim canoárum classem apud Os Draconis & fauces sinus Pariensis, de quo supra mentionem fecimus, inciderunt. Canibales nostris visis intrepidi, nauim nostrã adoriuntur, & circunsepiunt, vndique sagittis & missilibus nostros infestant. Nostri autem tormentis illos adeò deterruerunt, quod in fugam statim versi sint. Insequentes

Nouẽbri mẽse temperatũ cælum.

Pugna cũ Canibalibus, humana carne vescentibus.

illos seruitoria cymba, vnam ex eorum canôis assecuti, vnum tantum Canibalem, cæteris natando fugientibus, alterúmque hominem vinctum deprehenderunt. Ille quem vinctum seruabant, obortis lachrymis, manuum, oculorum & capitis gestibus, sex eius comites miserè euisceratos & in frustra crudeliter sectos, gentem illam nefandam comedisse: identidémque de se sequenti die futurum significauit. De Canibale igitur homini potestatem fecêre. Ille autem in Canibalem fustibus, manibus, pedibus, frendens sæuire cœpit: nec adhuc satis vltã suorum comitum necem existimabat, cùm exanimem totúmque fustibus & calcibus commaculatum cerneret. De natura & moribus Canibalium, cum eo modo per terras peregrinas grassentur, interrogatus, dixit: Canibales ex fustibus aggerem secum, quocunque eant, ferre, quos, descendentes è nauibus, terræ infigunt, séque positis castris intra illos sæpiũt, vt tuti poßint pernoctari. In Curiana caput Canibalis, cuiusdam primarij foribus affixum, quod tanquàm vexillum aut galeam ab hostibus ereptam, pro summa laude seruatum, repererunt. In ea Pariæ ora, regio est nouo genere salinarum insignis, nomine Haraia: vi nãque ventorum agitatum ibi mare aquas impellit in adiacentem latam planitiem, quæ, sole superueniente, pacato æquore, congelantur in candidißimum sal optimum, quò si, priusquam pluat, propere adierint, onerari quirent quotquot nauigia mare sustinet. Illicò nanque cadentibus imbribus, liquefit, & sorbetur arena liquor, redítque per terræ meatus ad suam originem, vnde fuerat impulsus. Dicunt alij, non è mari, planitiem repleri, sed è quibusdam fontibus salientibus aqua marina amarioribus, qui remouent illas aquas tempestate vigente. Salinas eas magnifaciunt incolæ, qui sale non ad vsum modo patrium fruuntur, verum etiam in laterum formam redactum, peregrinis permutatione rerum alienarum venundantur.

Salis copia.

Qua industria primatum cadauera exiccẽtur conseruenturque.

Primatum ibi cadauera super cratibus, igni lento supposito, distendunt, vt paulatim consumptis carnibus, ossa pelle inclusa desiccata detineantur: quæ postmodum in honore habent, seruantque tanquàm penates. Virum se vidisse ibi, atque alibi fœminam, hoc pacto impositos & seruatos, memorant. Cùm verò ex Curiana octauo Idus Februarij, ad Reges redituri, discederent, sex & nonaginta se libras vnionum octunciales precio fortè quinque solidorum comparásse cognouerunt. Discedentes igitur, vnum & sexaginta dies in itinere, licet breuius quàm ex Hispaniola, consumpserunt, propter maris decurrentis ad Occidentem fluctus continuos, qui nauim non modo remorabantur, verum etiam interdum retrahebant. Accedunt tandem nautæ vnionibus, vti paleis, onusti. Ast magister ipse nauis Petrus Alfonsus, cognomento Nignus, quod preciosorum vnionum copiam non mediocrem suffuratus fuisset, regiósque redditus, qui sunt pars quinta, defraudasset, à comitibus accusatus, à Fernando de Vega, viro literis & rerum experientia pollenti, gubernatore Galleciæ, quò appulsi erant, capitur: in vinculísque diù detentus, soluitur tandem. Sed habuisse partem vnionum sibi contingentem adhuc negat. Vnionum auellanas multi æquant, orientalibus similes: sed quoniam malè perforati, non tanti precii sunt. Me præsente, cum apud illustrem Methymnæ Sidoniæ ducẽ inuitatus prãderem Hispali, vnam supra centum vncias venum ad eum tulerunt. Sua profectò pulchritudine ac nitore me delectârunt. Sunt qui Nignum ferant non in Curiana, quæ centum viginti amplius leguas distat ab Ore Draconis, sed in Cumana & Manacapana regiunculis, Ori & Margaritæ insulæ vicinis, vniones habuisse: negántque Curianam ferocem margaritis. Adhuc sub iudice lis est: nos ad alia tendamus. En habes, quid ex his nuper inuentis terris, ex his occidentalibus oris, poßit

vtilitatis

vtilitatis expectari per annorum circula: quandoquidem hac prima fronte talia de se argumenta opulentiæ ostendant.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOLICI, Consiliariique regii, Oceaneę decadis primæ cap. nonum, ad eundem Cardinalem Ludouicum Aragonium.



Incentius Agnes, cognomento PinZonus, Ariésque PinZonus, illius ex fratre nepos, qui Colonum Præfectum marinum prima nauigatione fuerant comitati, duarúmque minorum nauium illarum, quas supra diximus carauelas vocitari, domini à Præfecto conducti, nouorum tractuum nouarúmque terrarum amplitudine pellecti, quatuor impensa propria carauelas in portu ipsorum natali solo qui dicitur ab Hispanis Pálos, in occiduo Oceano sito, construunt: & à regibus habita venia, circiter calend. Decembris anni noni & nonagesimi à quadringentesimo supra millesimum, è portu soluunt. Est autem is portus Palensis à Gadibus millia passuum duo & septuaginta: ab Hispali vero Bæticæ emporio, milliaria quatuor & sexaginta. Sunt oppidani omnes, nullo excepto, rebus marinis dediti, cōtinuísque nauigationibus intenti. Ad Fortunatas & ipsi primum tendunt per Hesperides, id est, per insulas Caput Viride dictas, quas alij dicunt Gorgodes Medusæas. Ad meridiem rectà proficiscuntur. Ab ea Hesperidum, quæ sancti Iacobi, à Portugallensibus possessoribus appellatur, idibus Ianuarij discedentes, Africum, quem Suduestum appellant, qui medius inter Austrum est ac Zephyrum, capiunt in proram.

Vincentii Agnis Pīzoni nauigatio

1499.

Cùm leguas se tercentum nauigâsse, ventum illum secuti, arbitrarentur, poli arctici, aiunt, se aspectum amisisse: quo illis occidente, ventorum vorticúmque atque æstuum fera tempestas continuò oborta est. Vlterius tamen, licet cum summo discrimine, quadraginta super ducentas leguas, ventum semper eundem per polum iam amissum sequentes, processerunt. Vnde, an habitabilis sit, an inaccessa linea æquinoctialis, isti & prisci tam philosophi, quam poëtæ & cosmographi, discutiant. Hi nanque frequentibus habitatam populis contendunt, illi vero inhabitabilem, ob solis perpendiculum, scribũt. Non defuêre tamen apud antiquos, qui habitabilem esse probare niterentur. Interrogati à me nautæ hi, an antarcticum viderint polum: stellam se nullam huic arcticæ similem, quæ discerni circa punctum posit, cognouisse inquiunt. Stellarum tamen aliam, aiunt, se prospexisse faciem, densámque quãdam ab horizonte vaporosam caliginem, quæ oculos ferè obtenebraret. Tumulum attolli in terræ medio contendunt, qui, ne antarcticus videatur, obstet, donec illum penitus traiecerint. At stellarum imagines, ab hemisphærii nostri stellis valde diuersas, se vidisse credunt. Hæc dederunt, hæc accipito. Daui sunt non Oedipi. Septimo calend. Februarij tandem à longè terram prospiciunt: & cùm turbidam esse maris aquã viderent, iacto funiculo plumbato, sexdecim vlnarum, aiũt vulgò brazatas, altitudinem reperiunt. Adeunt, descendunt, biduo ibidem commorati, qui nullum ibi hominem eo tempore viderint, licet vestigia in littore humana compererint: sculptis arboribus & saxis littori vicinis, regij suísque nominibus de aduentu suo, discesserunt. Non longè ab ea statione nocturnos ignes secuti, castrensi more gentem repeperiunt pernoctantem sub dio. Hanc, donec elucescat, nolle perturbare fuit consilium. Sole autem exorto, armati è nostris quadraginta tendunt ad illos. Ad nostros duo & triginta

Stellæ à nostris variãtes.

Veniunt obuiàm, arcubus ac mißilibus telis onusti, parati ad certamen: cæteri sequebantur, eodem modo instructi. Germanis aut Pannonibus proceriores, aiunt eos esse incolas. Vultu toruo ac minitantibus similes, nostros inspectabant. Non armis esse agendum nostri censuerunt, siue id metu, siue ne aufugerent illi, non habeo compertum. Blanditiis atque oblatione munerum illos allicere nostri conantur. Illi autem, vt qui commercium inire cum nostris nullum statuerant, omnem sermonem reiiciunt, parati semper ad pugnam: colloquia & nutus suscipiebãt: ita quisque regreditur. Nocte autem intempesta illi aufugiunt, vacua relinquunt, quæ occupauerant, loca. Gentem esse vagam, veluti Scythas eos, qui terræ fructus sine certis domibus cum vxoribus & filiis sequantur, existimant. Iureiurando asserunt, qui pedum illorum in arena dimensi sunt vestigia, nostrorum pedum mediocris hominis fere quantitatem in duplum æquare. Vlterius adnauigantes, flumen aliud reperiunt, sed non ita profundum, vt carauelis percurri quiret. Seruitorios igitur lembos quatuor, armatis onustos, ad terram vestigatum mittunt. Super eminenti colle littori vicino, incolarum cateruam conspiciunt. Nostri ad commercium per vnum peditem præmissum inuitant. Illi ex nostris apprehendere aliquem, abduceréque velle visi sunt. Ad nostrum nanque, paxillum cubitalem auratum à longè proiiciunt, quia noster prius adiecerat tintinnabulum, vt eos alliceret. Cùm pronus iactum paxillum auratum vellet nöster sumere, dicto citius illum incolæ circumeunt, vt appræhendant. Is scuto enséque tectus, quibus armatus veniebat, se ab eis tuetur, donec cymbis auxilium socij attulerunt. Vt breuibus absoluam (quandoquidem discessum tuum ante oculos mihi tã anxiè proponis) sagittis & mißilib⁹ sudib⁹ è nostris octo peremerũt, plerosque vulnerârũt. Intra fluuiũ lẽbos sepiũt, ad manus vsque temere veniũt, appræhẽduntquẽ

ex ripa cymbarum spondas: lanceis ensibúsque veluti oues, quia nudi, trucidantur. Nec eo magis cedunt. Vnam è cymbis è nostrorum potestate rapuerunt, vacuam tamen hominibus: & illius præfecto sagitta transuerberato ac perempto, reliquæ euaserunt. Ita bellaces illos deseruêre. Ad occidentem septentrionalem, per idem littus, mœsti ob interfectos, tendunt. Leucas circiter XL. percurrerant, quando in pelagus incidunt aquarum adeo dulcium, vt implere ibi cados aqua recenti licuerit. Vestigantes eius rei causam, defluere magno impetu è vastis montibus rapidos fluminum concursus reperiunt. Intra id æquor iacere plures insulas, & fortunatas soli vbertate, & populis refertas, aiunt. Huius tractus incolas mites sociabilésque esse referunt, ast ipsis parum vtiles, quia nullos optabiles nostris prouentus assequantur, auri vtpotè aut lapillorum. Sex propterea ac triginta indè captiuos abduxerunt. Regionem appellant indigenæ Mariatambál. Regio autem, ab eius fluminis Oriente, Camomórus dicitur: ab Occidente, Paricóra. In huius oræ internis non negligendam auri copiam iacere innuebant incolæ: huius nanque fluminis septentrionē rectà captantes, sic exigente littorum inflexu, arcticum recuperârunt polum. Id littus vniuersum, Pariæ est: quam Colonum ipsum, huius tanti inuenti authorem, reperisse diximus, vnionibus ornatam. Contiguum esse aiunt littus id, idémque cum Ore Draconis, de quo alibi, & reliquis oris, vt Cumana, Manacapana, Curiana, Cauchieto, Cuchibachóa: propterea Gāgetidis Indiæ continentem putant. Nec enim is vastus ambitus, vt insula sit, pati videtur: licet vniuersum terræ orbem, largè sumptum, insulam dicere fas sit. Ab ea terræ cuspide, quæ polum amittit arcticum, lequas circiter tercentum continuo tractu venientes ad Occidentem Pariam versus, spatio fere medio in fluuium se, inquiūt, incidisse, nomine Maragnonum, adeo latum, vt fabulatos suspicer. Interrogati à me post-

modum, mare ne esset terras dirimens: responderunt, esse dulces eius gurgitis haustus, quóque altius tenditur aduerso flumine, eo dulciores ferunt esse: insulísque refertum & piscibus. Lequas dicere audent triginta amplius latum: rapacíque cursu defluere in pelagus, cedens eius furori. Si tamen pensitaue rimus, quanta esse ferantur boriostomea, spireostomeáque Istri ora, quantóque spatio violent maris aquas, & nauigantibus præbeant dulces potus, mirari desinemus, licet hoc flumen maius esse prædicetur. Quis naturæ auferet, quin hoc illo grandius, atque illo hoc flumen potis sit generare? Flumen, de quo Almirantus Colonus, eas oras percurrens, mentionem fecit, hoc esse arbitror. Apertius ista intelligemus aliquando: nunc ad terræ prouentum redeamus. Coccineas in plerisque de Pariensibus insulis syluas reperêre: librarum millia allata sunt tria. Verzinum mercatores Itali, Hispani brasillum appellant. Aiunt coccineas Hispaniolæ arbores, esse his longe meliores ad colorem lanis præbendũ. Aquilonem deindè, quem Hispani nautæ Norduestum, Itali Græcum appellant, secuti, multas intertexunt Canibalium sæuitia desertas insulas, ast feraces. Descenderunt nanque pluribus in locis, & vicorum dirutorum multa vestigia ingreßi sunt. Viderunt tamen alicubi homines, sed trepidos, adspectu peregrinæ cuiusque nauis aufugientes ad montanas rupes & abstrusa nemora, sine certis iam domibus vagantes ob Canibalium insidias. Arbores inuenêre maximas, quæ casiam fistulam, vt vulgo dicitur, paßim & suapte natura producunt. Non ineptiorem esse aiunt hanc illa, quam à pharmacopolis febri laborantes petunt: at nondum maturuerat, cum iam iter facerent. Malo illis aliísque hæc referentibus credere, quàm ea laboriosius scrutari. Arbores ibi esse adeo proceras balbutiunt, vt pleræque sexdecim hominum manu iunctorum in gyrum vix lacertis concludi quirent. Inter eas arbores monstrosum illud

animal vulpino rostro, cercopithecea cauda, vespertilioneis auribus, manibus humanis, pedibus simiam æmulans: quod natos iam filios alio gestat, quocunque proficiscatur, vtero exteriore in modum magnæ crumenæ, repertum est. Id animal licet mortuum, tu ipse mecum vidisti, conuoluisti, crumenámque illam nouum vterum, nouum naturæ remedium, quo venatoribus aut aliâs à cæteris violentis & rapacibus animalibus natos liberet, illos secum asportando admiratus es. Experimento esse compertum aiunt, eo semper vtero crumenali animal filios secũ portare, nec illos indè vnquã emittere, nisi aut recreãdi aut lactãdi gratia, donec sibi victũ per se quæritare didicerint. Cum filijs animal ipsum depræhenderant, ast in nauibus catuli propediem periêrunt, mater autem filiis per aliquot menses superstitit: sed & ipsa tandem tantam aëris & ciborum mutationem ferre nequiuit. De hoc animali iam satis multa: redeamus ad rei authores. Hi duo Pinzoni, patruus & nepos, horrenda per nauigationem hanc passi sunt: per Pariense littus sexcentas iam leuquas, atque, vt ipsi putant, vltra vrbem Cataij & littus Indicum, vltra Gangen percurrerant, quando in eis orîs mense Iulio insperata illis exorta est tempestas adeo fera, vt è quatuor, quas ducebant carauelas, duas ante illorum oculos summerserit: ilico tertiam vi ex ancoris raptam, ab eorum aspectu asportauerit: quartam in ancoris concusserit, vt omnis compago iam solueretur. Vnde ad terram tamen ipsi ex hac vltima descenderunt: de naui penitus omni spe amissa. Quare inito consilio, cùm de parandis iam sibi domicilijs in regionibus illis, tum de perimendis omnibus incolis vicinis, cogitabant: ne finitimis reliquis aliquando conuocatis, ad se trucidandum conueniant. Ast melius. Cessit tempestas, rediit, quam raptauerat hyems, carauela: ea octodecim viri vehebantur: & quæ in ancoris in eorum prospectu steterat, seruata est. Is igitur duabus ad Hispaniam iter

capiunt. Palos natale solum ad vxores & filios, concussi fluctibus, & hominibus amicis non paucis amissis, pridiè cal. Octobris reuertuntur. Hi ex arboribus pleraque frusta tulerunt, quæ cinamomi & zingiberis esse putant: ast non vtilis, quia non conditi, vt aiunt, in sui excusationem, quod nihil preciosum aliàs repererint. Lapillos tamen se vidisse in eorum manibus indè allatos, ex maritimis illarum orarum littoribus collectos, Baptista tuus Elysius philosophus eximius, & medicus non inferior, quos veros esse topazios prædicat, mihi tibíque: vt arbitror: enarrauit. Post hos & alij vicinorum æmulatione ad meridiem longissimos tractus percurrêre: sed per aliorum inuenta, Coloníque Præfecti marini vestigia, per littus, vtputa, Pariense. Casiam & hi fistulam, preciosúmque illud ad capitis grauedinem suo suffumigio tollendam, quod Hispani animæ album vocant, rèperêre. De his nil noui aliud, quod tuo sit dignum ingenio, percepi, finem propterea libello huic, quia me iterum de tuo discessu fatigas, imponam. Ast qui decadem impleat, de vanis insulæ Hispaniolæ superstitionibus alium libellum accipito. Si non fuerit Liuiana decas, id esse causæ cognoscito, quod tuus hic Martyr Liuiano haud quaquã fuerit pro Pythagoræ intellectu, afflatus spiritu. Si quid vltra montes isti prægnantes parient, habebis. Nunc insulares illusiones accipito, veris Luciani narrationibus tanto superiores, quanto hæc in vsu hominum sunt, licet infantilia: illa vero confictа ioci tantum gratia, vel ea credentium irrisui condonata. In Hispaniola insula nostri, priusquam indigenas quicquam aliud quàm cœli lumina colere, aut religionem vllam exercere didicissent, diù versati sunt. Sæpius enim supra memorauim⁹, nihil eos colere præter visibilia cæli lumina. Cũ tãdẽ familiari⁹ apud eos cõtuberniũ, permixtis vtrĩque linguis, plerique ex nostris ageret, varias apud eos cæremonias va

rióſque ritus obſeruari compererunt. Ex cuiuſdam eremitarũ ſtudio fratris Romani ſcriptis, qui ex Coloni mandato apud inſulares regulos, vt eos Christianè erudiret, diù verſatus, de inſularium ritibus libellum compoſuit Hiſpano idiomate, pauca hæc, leuioribus omiſſis, colligere fuit animus: illa igitur accipito. Nocturna inſularibus apparere phantaſmata, quæ in fatuos errores eos inducant, ex ſimulacris quæ palam colunt, apertè cognoſcitur. Ex goſſampio nanque intexto ſtipato interius, ſedentes imagines formant, quæ nocturnos, quo pacto parietibus illos noſtri pictores inſigunt, æmulantur lemures. Cùm ex ſimulachris opera mea ad te miſſis quatuor tu ipſe videris, qualia ſint, quàm ve depictis lemuribus ſimilia, poteris regi sereniſſimo tibi patruo, melius coram ſignificare, quam ego illa ſcribere. Hæc ſimulacra, Zemes appellant indigenæ: quorum minora infantulos dæmones referentia, cum hoſtibus manus collaturi, frontibus alligant: propterea funiculis quos vidiſti, complexa ſunt. Ab his pluuias, ſi pluuiæ deſint: ſoles, ſi ſole indigeant, ſe impetrare arbitrantur. Eius enim quem vnicum, ſine carentem, omnipotentem, inuiſibilémque eſſe fatentur, internuncios eſſe Zemes putant. Quiſque regulus ſuum habet Zemen, quem colat. Cæleſti numini æterno duo hæc nomina, Iocaúna, Guamaónocon, maiores eorum indiderunt. Numen ipſum habere genitricem, quinque his nominibus appellatam ferunt, Attabeiram ſcilicet, Mamónam, Guacarapitam, Iiellam, GuimaZóam. In terris autem quid puieraſcant de hominis origine, aduertito. Eſt in inſula regio, nomine Caunaná, vbi ex duobus montis cuiuſdam ſpecubus prodiiſſe genus hominum garriunt: maiorem hominum partẽ ex amplioribus faucibus antri, minorem, ex arctioribus exiliiſſe prædicant. Rupem ex qua ſpecus aperiuntur, Cautam appellant. Maius antrum, CaZibaxaguá: minus, Amaiauna nominant. Priuſquam hominibus inde egredi licuerit, ſin-

Ceremoniarum ritus cultuſque deorũ, Hiſpaniolę inſulæ.

Zemes angelorum loco colunt: alias vnum deum, à quo omnia credũt.

pliciter inquiunt, per hominem nomine Machóchael singulis noctibus antri fauces custodiri solitas. Is Machóchaël cùm longius ab antro visendi studio perrexisset, à sole depræhensus, cuius adspectum minimè pati posse dabatur, in lapidem mutatus dicitur. De pluribus item aliis blaterant, quod cùm piscandi cupiditate noctù ab antro tantum processerint, vt redire ante solis ortum nequiuerint, quem non licebat intueri, in arbores myrobalanos, quarum sua sponte copiam terra illa producit, fuisse transformatos. Aiunt præterea, Vaguoniónam primarium, quendam ex antro, clausis familiaribus, piscatũ emisisse vnum, quem indè in philomenã eádem causa, quod sol superuenerit, priusquam se reciperet, mutatum, inquiunt, quotannis quo tempore versus est in auiculam, noctù suo cãtu & sortem conqueri, & domini Vaguoniónæ auxilium implorare: hinc noctù cantare lusciniam putant. Vaguonióna vero, familiaris sui desiderio, quem ardenter amabat, viris in antro relictis, fœminas tantùm cum paruulis, quos lactabant, eduxit: è quibus fœminas in vna insularum eius tractus, quam appellant Mathininò, reliquisse fertur: infantulos autem secum asportâsse: qui miselli fame oppreßi, in cuiusdam fluminis ripa, toa toa, id est, mama mama clamitantes, in ranas conuersi feruntur: indè vocem illam ranis verno tempore dicunt insedisse. Ità in antris illis, è quibus per Hispaniolam sparsi sunt homines, viros tantum sine fœminis permansisse balbutiunt. Referunt insuper Vaguoniónam ipsum per diuersa vagantem, nec vnquam ex speciali gratia mutatum ad mulierem, quam in fundo maris formosam viderit, descendisse, ab eáque marmoreos calculos, & quos cibas vocãt & tebellas quasdam flauas ex aurichalco, quas guaninos appellant, habuisse dicunt. Hæc monilia pro sacris apud reges habentur in hunc vsque diem. Viros autem illos, quos sine fœminis in antris relictos diximus, lotum se ad pluuiarum

aquarum receptacula noctù referunt exiisse:atque vna noctium, animalia quædam fœminas æmulantia, veluti formicarum agmina,reptare per arbores myrobalanos à longè vidisse. Ad fœminea illa animalia procurrunt,capiũt: veluti anguillæ de manibus eorum labuntur. Consilium ineunt. Ex senioris consilio, scabiosos leprosósque,si qui sint inter eos,conquirunt, qui manus asperas callosásque habeant, vt apprehensa facilius queant retinere. Hos homines ipsi caracaracóles appellant. Venatum proficiscuntur:ex multis quas capiebãt, quatuor tantum retinent:pro fœminis,illis vti adnituntur: carere fœminea natura comperiunt. Iterum accitis senioribus, quid faciendum, consulunt. Vt picus auis admittatur, qui acuto rostro intra ipsorum inguina foramen effodiat,constituerunt:ipsismet caracaracólibus hominibus callosis,fœminas apertis cruribus tenentibus. Quàm pulchrè picus adducitur:picus fœminis sexum aperit. Hinc bellissime habuit insula quas cupiebat fœminas : hinc procreata soboles. Eià mirari iam desinito,quod de Myrmidonibus Græcia verax tot voluminibus descripserit,è formicis vtpotè Myrmidones procreatos. Hæc & alia huiusmodi multa pacato serenóque vultu sapientiores è podijs suggestiolísque turbæ simplici mirabundæ suadent recitántque pro sacro. Ast de maris origine seuerius: qua in re fuisse quondam in insula potentem virum nomine Iaiam qui filium vnicum hominem exuentem,intra cucurbitam sepulchri loco condiderit. Is Iaia paucis exactis mensibus, impatiens morte filij,redijt ad cucurbitam : eam cum aperuisset, balenæ ingentes & grandia cete prodiêrunt:quare inclusum in ea cucurbita mare,conuicinis quibusdã prædicauit. Ea permoti fama quatuor fratres iuuenes,eodem partu geniti ast partu matre perempta,cucurbitam spe habendorum piscium adeunt, manu capiunt. Iaia superueniente,qui crebro nati ossa inclusa reuisebat,perterriti sunt iuuenes. Sacrilegio furtíque

suspicione depræhensi, veluti qui Iaiam obseruabant, vt celerius fugerent, cucurbitam è manu soluerunt: ea pondere nimio pressa frangitur, per eius rimas effunditur mare, valles impenditur: ea vasta planities, quæ vniuersum illum insularem orbem sicca occupabat, summergitur, montésque tantum ob altitudinem ab ea inundatione euaserunt, qui nunc eas continent insulas, quas licet adspicere. En, illustrißime Princeps, omni præconio dignam maris originem. Nec ab eis parui eum fieri putes, qui hæc recitare didicerit. Aiunt deindè fratres hos Iaiæ, metu tandiu per diuersa fuisse vagatos, vt fere iam fame perirent, quia nullibi sistere pedem audebant. Hinc quoniam acrius vrgerentur, pistoris domum pulsare cœperunt, cazabi, id est, panem petentes. Pistor autem in primo ingredientem conspuisse ita acriter fertur, vt illi ex ictu sputi exortũ sit turgidißimum intercus, quo fere interierit. Ast fratrum consilio, accepto lapide acuto apertum est: ex cuius vlcere natam aiunt fœminam, qua mutuo fratres illi omnes vsi sunt: atque ab ea ferunt filios filiásque genuisse. Iucundius aliud aduertito, Princeps illustrißime. Antrum extat, Iouanabóina nomine, in cuiusdam reguli diœcesi, qui Machinnech vocatur. Id religiosius, quàm Corinthum quondam aut Cyrrham Nysámque Græci, colunt ac venerantur: millefariis ornatum picturis. In huius antri foribus duos habent sculptos Zemes, quorum vnum Binthaitellem, Maróhum alterum vocant. Cur tanta specum colerent pietate, interrogati: quia sol indè lunáque lumen orbi præbituri prodîerunt, grauiter sensatéque respondent. Concursationibus antra, veluti nos Vrbẽ & Vaticanum nostræ religionis caput, aut Compostellam & Hierusalẽ Domini sepulcrũ, frequẽtãt. Subiacẽt & alteri superstitionũ generi. Mortuos putãt noctù vagari, ac vesci guannába fructu nobis incognito, cotono simili: lectisq; inter viuos versari aiũt, ac decipere mulieres: sũpta nãque virili forma, eo

De maris origine, fabula.

ire velle videntur: ast cùm ad opus peruenitur, euanescunt. Si quis autem apud se iacere mortuum aliquando suspicatur, cùm quid noui senserit in lecto, vteri attrectatione se dubio solui balbutit. Cuncta nanque aiunt mortuos posse humana membra suscipere, præter vmbilicum: si vmbilico igitur mortuum esse dignoscit, tactus ilicò resoluitur. Noctù & sæpissimè in itineribus præcipuè viisque publicis mortuos occurrere viuis, credũt: cõtra quos si viator intrepid⁹ steterit, dissoluitur phantasma: si verò pertimescat, illum ita adoriendo perterret, vt sæpius ea formidine multi debilitentur ac stupeant. Interrogati à nostris insulares, vndè sibi eos ritus inanes, tanquam contagionem, comparauerint: à Maioribus hæreditarios respõdent: rhytmísque, aiunt, vltra hominum memoriam ista contexta, quæ neminem licet præter regulorum filios edoceri. Memoriæ illa commendant: neque enim literas vnquàm habuere. Diebúsque festis populo canentes, veluti* solennia sacra proponunt. Instrumentum habent vnicum ligneum, concauum, reboans tantum, quod concutitur tympani more. His illos imbuunt superstitionibus eorum augures, quos Boitios vocant, sunt & iidem medici, qui plebeculæ rerum insciæ, mille adstruunt fraudes. Credere cogunt plebem hi augures, quia sunt apud eam authoritatis egregiæ, quod Zemes ipsos alloquantur, futuráque prædicent. Et si quis aduersa laborans valetudine conualuèrit, se dono Zemis id assecutum persuadet. Ieiunio & purgationi se obligant boitij, quando curam de primario sumunt aliquo: herbámque vorant inebriantem: quã cum puluerem sorpserint, veluti Mænades in furorem versi, multa se à Zemibus audisse immurmurant. Valetudinarium adeunt, osse vel lapillo in os sumpto aut frustulo carnis: ex hemicyclo eiiciunt omnes, præter vnum aut duos, quos ipsemet inualidus elegerit. Circuit primarium boitius ter aut quater, faciem, labia, narésque extorquens fœdis gestibus: in

frontem, in tempora, in collum ſufflat, ægroti abſorbens aërē: poſt hæc ſe morbum ex laborantis venis exhaurire dicit. Per humeros deindè ac femora & crura ægrotum fricans, connexas à pedibus manus deducit, atque ſi manibus complexis, ad oſtium procurrit apertum, ac manus excutit patentes, ſéque morbum effugâſſe, futurúmque propediè incolumem perſuadet. Aſt à tergo illum adoriens, carnis fruſtulum, vti præſtigiator, ex ore attollit, ægrotóque inclamitat, dicens: En quid vltra neceßitatem comederas: valebis, quoniam illud tibi detraxerim. Si verò ægrotum fallere grauius intendit, Zemen eſſe ſuum iratum ſuadet, quòd vel ei domum non conſtruxerit, aut minus illum religioſè coluerit, quòd prædium non dicauerit. Si ægrotum perire contigerit, affines eius veneficiis cogunt mortuum fateri, fato ne an boitij incuria, quod non integrè ieiunauerit, aut conſonum ægroto pharmacum nō præbuerit. Si medici boitij culpa diem obierit, de boitio vindictam ſumunt. De lapillis aut oßibus quos ore geſtâſſe boitius aliquis putatur, ſi fœminæ aliquem aſſequuntur, panniculis religioſißimè inuolutum ſeruant. Puerperiis enim prodeſſe plurimum poſſe credunt: habéntque fœminæ lapillos eos loco Zemium. Zemes autem varios, varij colunt inſulares. Ligneos quidam conſtruunt, nocturnis inter arbores vmbris moniti. Alij, ſi reſponſa intra rupes habuerint, marmoreos inſculpunt. In radicibus alij coluntur, reperti inter ages, id eſt genus edulij, de quo ſupra. Hos Zemes curam habere, vt panis ille coaleſcat, arbitrantur. Veluti antiquitas Dryades, Hamadryades ac Satyros & Panes aut Nereides, fontium, ſyluarum & pelagi curam habere putabat: ſuóſque rei cuique deos aßignauit, vt ſuum quiſque genus tueretur: ita & inſulares hi, ſuos Zemes inuocatos eorum optatis auſcultare autumant. Quarè cùm de belli euentu, de annona, de incolumitate, Zemes reguli conſulunt, domum Zemi dicatam ingrediuntur: ibique

absorpta per nares cohóbba, sic herbam vocant inebriantem: qua & boitij in furorem statim vertuntur: domum ilicò tectis ad fundamenta versis moueri, homines versis vestigiis ambulare, se videre garriunt. Tanta est pulueris illius contusi vis ex cohóbba, vt censum omnem illico, sumenti eum tollat. Vt primum cessit insania, brachiis, demisso capite, genua complectitur: quo in statu attonitus paulisper immoratus, caput veluti somnolentus eleuat, atque oculos in cælum attollens, intra se primum confusa quædam obloquitur. Cui tunc primarii aulici adstantes, (neque enim de populo quisquam ad ea sacra admittitur) sublatis vocibus, gratias agunt, quod iam à Zemis colloquio ad eos redierit: & quid viderit percontantur. Ille autem os aperiens, Zemen eo tempore se allocutum fuisse delirat: ipsique aut victoriam, aut perniciem, si cum hostibus manus conseruerint: aut famem vel vbertatem, pestem aut incolumitatem, & quicquid venit in buccam, prædixisse illi Zemen, veluti lymphaticus prædicat. Eia, illustrissime Princeps, quid miraberis post hæc de Apollineo spiritu, suas ingenti rabie Sibyllas concutienti? Putabas superstitiosam illam antiquitatem deperisse. Quandoquidem generalia de Zemibus tot enarrauimus, quid de particularibus quibusdam referatur, silentio prætereundum minime censeo. Regulus quidam Guamaretus habuisse Zemẽ dicitur, nomine Corochótum. Hunc è supremo domûs culmine, vbi vinctum Guamaretus adseruabat, sæpenumero, aiunt, vel coitus aut cibi gratia, vel vt sese absconderet, ruptis vinculis, descendisse: per aliquótque interdum dies latuisse iratum, eô quod in ipsius cultu & sacris Guamaretus rex defecerit. In Guamareti regio vico nasci aliquando infantes, coronas habentes duas, referũt, hos Corochoti Zemi filios esse opinantur. Ferunt & ab hostibus victum fuisse in acie Guamaretũ, vicumque ipsius ac regiã ferro ignique vniuersam vastatã. Coro

chōtū autē, incensa domo, exiliisse vinculis ad stadiū vsque fuisse, deinde repertū. Zemen habet aliū, Epileguanitā nomine, ligneū, quadrupedē: qui sæpè ad syluas è loco vbi colebatur, fertur profugisse. Hunc quoties discessisse sentiebāt, piis facto agmine supplicationibus, solicitè quæritabant: inuentum, religiosè ad dicatum ei sacellū humeris reportabant. Ast Christianis ad insulā euntibus aufugisse illum, nusquámque fuisse vltra repertum, patriæ perniciem ob id augurantes, conqueruntur. Hæc à senioribus audita sunt. Marmoreum colebant Zemen, alium sub fœmineo sexu, cui duo masculi pro ministris adstabant. Horū alter fœminæ iussu, præconis officio fungebatur ad reliquos Zemes, qui auxilio adsint fœminæ imperio, ad ventos pluuiásque ac nubes concitandas. Alius autem dicitur ex fœminæ mandato, aquas in vallibus ex altis montibus collabentes congregare, vt indè, facto impetu more torrentis, solutæ, vastent agros, si simulacro debitos optatósque honores indigenæ non præstiterint. Dignum memoratu hoc vnū accipito, Princeps illustrissime, quod opus iam claudat. Tritissimum apud insulares nostri reperère, duos fuisse quondam regulos, è quibus vnus Guarionexij, de quo suprà mentionem sæpè fecimus, fuit genitor, qui à cibo potúque dies quinque continuos abstinuerint, vt de futuris aliquid à Zemibus acciperent. Eo ieiunio grati Zemibus, se habuisse in responsis retulerūt, venturā non multos post annos ad eam insulā gentē coopertā vestibus, quæ ritus ac cæremonias omnes insulares esset vastatura, filiosq; omnes ipsorū aut peremptura, aut priuatura libertate. De Canibalib9 iuniores cōiecturā facietes, vbi aduētare Canibales sentiebāt, fuga sibi consulere statutū erat: neque vnquā man9 vltra cū Canibalibus conseruerunt. Cùm verò Hispanos insulā ingressos viderunt, collectis de hac re coniecturis inter se, hanc esse gentem illam augurati sunt. Nec illos fefellit opinio: submissi Christianis iam sunt omnes, peruicacibus omnibus interfectis: nec vltra de Zemi-

bus extat memoria: ad Hispaniam nanque sunt omnes asportati, vt eorum ludibria & dæmonum fallacias nosceremus: è quibus tu plures, me tractante, Princeps illustrißime, conspexisti. Multa præterea, quia te cras proculdubio in patriã discessurum, vt reginam tibi maiorem amitã, quam huc es comitatus, ex Frederici regis patrui tui mandato, reducas, monuisti. Tu petasatus, ego autem lassus: ergo vale, memor tui Martyris, quem de grandi rerum aceruo pauca hæc, sub nomine Frederici patrui tui, deligere coëgisti.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEAE DECADIS PRIMę Perpendicularis epilogus, ad Inacum Lopez Mendocium Tendillæ comitem, Granatæ proregem, cap. decimum.



AB origine prima & recenti consilio sumendæ à Colono huius prouinciæ Oceaneæ, ab vrbe Roma literis amicorum & principũ stimulabar, vt ea conscriberem quæ acciderant. Admiratione quippe summa mussitabant, cum repertas esse nouas terras nouásque gentes, quæ nudæ, natura contentæ, vitam agerent: desiderióque ardenti cognoscendi hæc tenebantur. Detrusit in præceps Ascanium fortuna, fratre Ludouico à Gallis Mediolano eiecto, cuius authoritas torpescere me non sinebat, quin aßiduè calamum in dextra haberem. Ad eum, præter alia multa quæ ex meis latentibus adhuc commentariis aliquando videbis, libellos huius decadis præeuntes direxeram duos. Haud secùs mihi fortuna detorsit ingenium à scribendo, atque Ascaniũ deturbauit à potentia. Ceßit à suadendo ille pro cellis agitatus, ceßit

cessit & mihi feruor ista perquirendi, donec anno quingentesimo supra millesimum, cùm Granatæ curia moraretur, vbi tu prorex, Ludouicus Aragonius Cardinalis, Frederici regis ex fratre nepos, qui Granatæ erat cum regina Parthenopæa, nostri regis Catholici sorore: Frederici regis ipsius literas ad me directas porrexit, quib⁹ me hortabatur, vt cætera colligerem, quæ Ascanianos epistolares duos libellos sequebantur. Ambo nanque fatebantur se ad manus habuisse, quæ ad Cardinalem Ascanium scriptitaueram. Laborabam tunc ego, vti nosti, aduersa valetudine, sumpsi tamen onus, & animum impuli ad scribendum. Pauca hæc ex magno cumulo rerum, quæ relatu authorum illas conquirentium accepi, memoratu dignarum delegi. Nunc vero (quãdoquidem tu exemplar integrum meorum operum extorquere à me fueris conatus, quo tuæ bibliothecæ voluminibus, quæ habes innumera, nostra commisceres) fuit consilium addere paucis, quæ post eum annum quingentesimum à millesimo, ad hunc vsque, 1500.
qui est decimus ab illo, patefacta sunt. Latè aliquando scribentur, si vixerimus. De superstitionibus insularum solutum per se libellum scripseram, vt decadẽ impleret: nunc placuit perpendiculum ad te directum decimi libelli titulo munire, tanquam huius turmæ substitem & tergiductorem: priorémque decimum nono connectere: non sublata de ducatu decimi præpositione, ne toties cogerer totum opus transcribere, aut mittere lituratum. Propterea non miraberis, si nonum legens, promissum reperies irritum: non semper oportet stare pollicitis. Ad rem veniamus. Varia diuersi nautæ hoc decennio littora percurrerunt, secuti tamen Coloni inuenta. Pariæ nanque littus tractu continuo lambentes, quod Indicum esse continentem credunt, in plures orientales ij, occidentales illi regiones nouas inciderunt, auriferas thuriferásque: indè nanque aurea plerique monilia, thurísque copiam, ab incolis partim

nostrarum rerum permutatione, partim acri bello stratis, tulerunt. Alibi nostros, licet nudi sint, incolæ strauerunt tamen, & acies integras trucidauerunt. Feroces quidem sunt, sagittis certant venenatis, & adustis præacutis sudibus. Animalia reptilia, insecta, quadrupedia etiam, à nostris dißimilia reperêre, multiformia, varia, innumeráque: noxia tamen minimè, præter leones, tigrides, crocodilos. In variis magnæ illius telluris Pariensis regionibus dico, in insulis haud quaquã, neque vnum quidem: mitia sunt omnia insularia, præter homines in plerisque, vti iam diximus, qui humanarum sunt carnium heluones, Caribes siue Canibales dictos. Diuersi quoque generis volucres. Plerisque in locis vespertiliones, turturibus non minores, ad eos acri furore, primo noctis crepusculo, volitabant, & venenato morsu ad rabiem vsque læsos trahebant, ita vt aufugere inde, veluti ab harpyiis, fuerint coacti. Alibi cum in terra noctu quidam in arena dormirẽt, è mari monstrum exiens, furtim vnum arripuit medium, absportauitq; in conspectu sociorum, nec misero clamanti opem ferre potuerunt, donec in mare bellua cum præda prosilierit. In his terris figere pedem, arcésque ibi condere est animus regis, nec desunt qui terræ illius subdendæ pacandæque onus sumere desiderent, & regi supplicant, vt ipsis prouincia demandetur. Magni sunt tractus, vasta terrarum amplitudo. Europam, aiunt, vniuersam sui magnitudine has regiones, tũ continentes, tum insulares, triplo superare: præter eas quas Portugallenses ad meridiem repererunt, quæ maximæ sunt. Magna laude digna est hac nostra tempestate Hispania, quæ latentes hactenus tot antipodum myriades, nostris gentibus cognitas effecerit, ingenióque pollentibus amplam adeò scribendi materiam præbuerit: quibus ego iter aperui, cum ista nudè, vti vides, collegerim: tum quia elegantioribus nequeo vestibus quicquam ornare, tum etiam quoniam calamum, vt historicè scriberem, nunquam sumpsi: sed vt per epistolas

A monstro marino rapitur homo.

raptim scriptas, his, à quorũ mãdatis referre pedẽ non licebat, satisfacerem. Iam satis digressus sum, ad Hispaniolã redeamus.

Panem agnoscunt insularem parui esse roboris, nostro triticeo pani assuetis, hebetantur ob eam causam vires hominum. Propterea nuper rex imperauit, vt diuersis in locis varióque anni tempore seratur. In arundineas nanque paleas inanes cũ raris, sed illis craßis & prægnantibus, spicis prodibant. Sentiunt eandem esse in herbis mollitiem, erescunt ad segetum mensuram: armenta mirum in modum impingũt: sed carnes reddunt insipidas, immò & aiunt sine medullis, aut, si insint, aquosis. De porcis ecõnuerso: salubres sapidósque, ob insulares quosdam syluestres fructus, quibus auidè vescuntur, esse ferunt. In macellis nil secant aliud. Creuit porcorum multitudo & syluestres effecti sunt, qui è subulcorum cura eua serunt. Non egent vltrà, vt aliundè genus vllum quadrupedum aut altilium ad eos inuehatur. Animalium omnium pulli, propter herbæ luxuriem, patribus grandiores euadunt licet solo gramine, sine hordeo aut vllo grano, nutriantur. De Hispaniola satis. Nunc eius viciniam complectamur. Cubam, tellurem illam quam diù, ob eius longitudinem, continentem putauerunt, insulam esse reperiunt. Neque mirum videatur, quod ipsius incolæ, dum percurreretur à nostris, fine carere dicerent: quia gens hæc nuda, paruo & finibus suis natalibus contenta, quid vicini facerent, minimè erat solicita. Esset ne aliud quicquam sub cælo, nec ne, præter id quod pedibus tere bant, haudquaquam sciebant. Est vero Cuba, ab Oriente in Occidentem, multo longior Hispaniola: lata verò, à septentrione in meridiem, contra eorum priorem opinionem, multo minus. Est angustima, si longitudinem respexeris. Terra ferax maiori ex parte atque amœna. *Cubę insulæ descriptio.*

Ab Oriente non longè ab Hispaniola iacet insula, dimidio amplius minor Hispaniola, sancti Ioannis nomine à nostris *Ioãnę siue S. Ioãnis insula.*

dicta, quadrata fere. In hac aurifodinas esse ditißimas reperiunt. Sed intenti nunc aurifodinis Hispaniolæ, nondum opifices in eam insulam miserunt: parare tamen paulatim sese ad id incipiunt. Hispaniolæ vero prouentus reliqui posthabentur omnes, omnísque ad aurum legendum cura est directa, cui opificio ordo est datus huiuscemodi. Cuique viro industrio, qui alicuius momenti sit, vnus aut plures cacici, id est, reguli, cum suis quisque subditis aßignantur. Cacicus certis anni temporibus ex fœdere cum incolarum turma venit ad eius, cui addictus est, aurifodinam. Ibi instrumēta illis fossoria aßignātur. Statutúmque est cacico & incolis præmium laboris certum, propter alimoniam. Discedentibus nanque ex aurifodinis ad sementes, quibus suis temporibus inuigilant, ne desint alimoniæ, reportant thoracem vnus, interiorem textam alius, alius sagulum aut pileum. His nanque iam delectantur, nec vltra nudi incedunt. Ita & auro & agriculturæ incolarum, haud aliter ac seruorum, opera intendunt. Ferunt iniquo animo iugum, ast ferunt. Anaborias vocant hos mercenarios insulares: non tamen rex patitur vt pro seruis habeantur. Dantur & tolluntur ad regis arbitrium. Tempore quo accersuntur à Cacicis eorum regulis, veluti à centurionibus milites, aut calones, incolæ, si queunt, ad syluas & montes euadunt multi: contenti eo tempore syluestribus cibis latitātes, ne laborem illum subeant. Dociles vero sunt, priscorum rituum penitus obliti, piè credunt, & recitant quæ de nostra fide edocētur. Regulorū filios erudiunt domi primarij ex nostris, literásque, ast vulgares, & vrbanos mores facilè pueri ebibunt. Grādæuos ad natales mittunt, si præcipuè patres interierint, gubernatum auitos incolas. Hi iam fide valent in Christum, & nostros, incolásque suos in amore retinent, ac blandis suasionibus hilares ducunt ad aurifodinas: quæ duabus in regionibus insulæ iacent, ad milliare circiter trigesimum ab vrbe

Dominica, sancti Christophori dicta, vna: ad milliare verò circiter nonagesimum altera, quæ dicitur Cibaua: vbi portus regalis. Magni tractus sunt hæ regiones: vbi paßim superficialiter interdùm, alicubi inter saxa, globi aut laminæ reperiuntur aureæ, minutæ interdum, plerisque in locis magni ponderis. Trecentorum pondo globi, interdùm amplius. Ast vnus repertus fuit trium millium trecentorum decem auri pondo: qui, vt aliquando audisti, integer ad reges ferebatur in ea naui, qua Boádilla gubernator in Hispaniam redibat: & præ nimio gentium & auri pondere summersa interiit, cum his qui inerant omnibus. Globum eum mille amplius homines viderunt, atque attrectauerunt. Pondus autem hoc à me sic appellatum, non libram intelligi volo æquare, sed ducati aurei & trientis summam: vocant ipsi pesum: summámque ponderis eius Castellanum aureum appellant Hispani. Quicquid auri effoditur in montibus Cibauis & portu regali, ad Conceptionem, oppidum ita appellatum, fertur: ibi officinæ paratæ aurum suscipiunt, & conflant in vectes, dántque accepta parte regia, quæ est quinta, cuique portionem quam attulit ex suo labore. Id verò auri, quod in regione sancti Christophori legitur, ad officinas oppidi Bonauenturæ affertur. Supra tercentum millia auri pondo, quotannis in duabus officinis conflatur. Si quis fraudâsse detinendo depræhenditur, vt non magistratibus regiis adsignetur, quicquid auri reperitur, lege mulctatur auri dominus. Incidunt inter eos sæpè contentiones quas nisi potis sit insularis magistratus sedare, per appellationem ad curiæ senatum lis defertur: à cuius sententia non licet in omnibus Castellæ regnis retrocedere aut diuertere. Sunt autem nostra tempestate senatores insignes, viri nobiles omnes ex sanguine nitido: quos est consilium eo ordine hîc nominatim inserere, quo de rebus dubiis iudicaturi, sedent in senatu. Primam sibi sedem legit Antonius Roies archiepiscopus

Auri globus maximi ponderis.

Granatēsis, tibi affinis: ingenio primâs vir Catoniano, qui neque sibiipsi aut affinibus, si delinquerent, didicit ignoscere: vita interrigimus, literarum & ipse cultor. Princeps hic senatus est: vos Præsidentem dicitis. Cæteri huic adstant ordine, quē tēpus instituit: qui nāque prior ad senatū accitus fuit, hic prior sedet. Doctores omnes, aut designati aut insignibus decorati. Designatos autē vocat Hispanū idioma Licētiatos: ex iure cōsultis regnorū delecti omnes. Præsidēti aßidet veteranus, nomine Petrus, cognomēto Oropesa. Sequitur hunc Ludouicus cognomine Zapata. Ab hoc habet locum Fernandus cognomento Tellus. Quartam sibi sedem habet Garsias, cognomento Moxica. Quinto sedet loco Laurentius cognomento Carauaial. Adstat huius lateri Toribius, cognomento Santiago. Sequitur Ioannes Lopez Palacios Ruuios. Dehinc Ludouicus cognomento Polanco. Ab hoc sedem tenet Franciscus cognomento Vargas, qui vnà est & regius thesaurarius. Vltimas occupāt stationes duo sacris initiati Sosa & Cabrero, iuris pontificij periti: his non licet in criminali vlla causa suffragari. Horum omnium humeris, quicquid litis aut contentionis exoritur, incumbit. Ad nouas iam terras, à quibus digreßi sumus, redeamus. Innumeræ sunt, variæ, fortunatæ. Non Saturno, non Herculi, non cuiquam veterum qui nouas oras quæritarunt, ad cultúmque redegerunt, nostri iuniores cedēt Hispani. Proh quàm latè distentam posteri Christianam videbunt religionem! quàm latè iam peruagari hominibus licebit. Quid de hisce rebus sentiam, nequeo lingua vel calamo vllo pacto promere. Claudo igitur decadis perpendicularem epilogum: animo tamen explorandi colligendíque cuncta particulatim, vt mandare literis illa queam, quando per ocium licuerit. Colonus nanque idem Almirantus, cum quatuor nauigiis & hominibus centum septuaginta à regibus præbitis, percurrit anno

Quarta Coloni nauigatio anno 1502.

M.D.II terram quæ occidentem Cubæ ultimum spectat angulum, ad leuquas centum triginta circiter: quo medio spatio iacet insula frugibus arboreis fortunatissima, nomine Guanassa: vertítque se indè ad Orientem per eius littoris oras, versis vestigiis putans se littus Pariæ reperturum: sed minimè cessit. Percurrisse quoque feruntur ea littora occidentalia Vincentius Agnes, de quo suprà, & Ioannes quidam Diaz Solisius Nebrissensis, multíque alij: quorum res nondum benè didici modò viuam, aliquandò illa videre licebit. Nunc vale.

OCEANEÆ DECADIS PRIMÆ
Capitis decimi finis.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOSTOlici, Regiique Consiliarii, de nouo orbe Decas secunda, ad Leonem decimum pontificem maximum, Crediti continentis Cap. primum.

EX QVO, beatissime pater, Galeacius Butrigarius Bononiensis, & Ioannes Cursius Florentinus, ad catholicum regem, pro tua sanctitate ille, hic vero pro clarissima Repub. sua, in Hispaniam se contulerunt, viris adstiti semper & ob eorum virtutes & sapientiã obseruaui vtrũque. Ij cũ assidua variorum authorum lectione delectentur, in libellos

quosdam ex nostra officina decussos, de vastis hactenus latentibus orbis terrarum regionibus, déque occiduis fere Antipodibus ab Hispanis iampridem repertis, inciderunt. Nouæ narrationis, licet male comptæ, amore pellecti, rem commendarunt: petierúntque à me, cùm suo, tum sanctitatis tuæ nomine, vt, quæ post ea tempora reperta sunt, scriptis superadderem, eisque exemplar ad beatitudinem tuam mittendum traderem, quô intelligat, quantum nostra tempestate, felicibus Hispanorum regum auspicijs, & humano generi decoris, & militanti ecclesiæ augmenti accesserit. Gentes nanque illæ nudæ, veluti rasæ tabellæ, religionis nostræ ritus facilè induunt, nostrorúmque commercio efferam natiuámque rusticitatem excutiũt. Placuit virorũ sapientũ, & de tua sanctitate bene meritorũ, obtẽperare mandatis: quippe qui, audito beatitudinis tuæ nomine, nefas inexpiabile fore putâsse, nisi ilicò paruissẽ. Quæ igitur ordine suo littora latentia Hispani discurrerint, quibús ve authoribus res actæ sint, vbi pedem fixerint, quid etiam spei afferatur, quid illi terrarum tractus polliceantur, breuibus recensebo. In decadis nostræ Oceaneæ narratione, quæ me inconsulto, per Christianum orbem impressa vagatur, Christophorum Colonum Ligurem eas insulas, quarum meminimus, reperisse, in læuámque dehinc versum ad meridiem in vastas terrarum pelagíque regiones, ab æquinoctiali linea à quinto ad decimum gradũ tantum discedentes, incidisse, descripsimus: vbi lata flumina, niuales altissimósque montes littoribus imminentes, & placidissimos portus, inuenerat. Colono iam vita functo, regi cura ingens exorta est, vt terræ illæ nouæ à Christianis habitandæ, in religionis nostræ augmentum occuparentur. Propterea facultatem per chirographa regia id aggredi volentibus præbuit honoratam. Sed duobus præcipuè viris, Diego Nicuesæ Baècensi Vandalo, & Alphonso Fogedæ Conchensi. Quarè ex Hispaniola, in qua vr-

Colonus mortuus est mense maio 1506.

bem & colonias construxisse Hispanos diximus, quàmque ipsi incolebant, circiter idus Decembris Alphonsus Fogeda prior cum militibus circiter tercentum discessit: tendénsque ferè recta ad meridiem, è portubus iam antea repertis, vnum adijt, cui nomen erat à Colono inditum Carthagini: quoniam & insula venientibus fluctibus opposita, locique amplitudine, & falcatis lateribus, Carthaginensem Hispaniæ portum æmulatur. Insulam vocant incolæ Codego, vti Carthaginenses Hispani suam appellant Scombriam. Regio ab incolis Caramáiri dicitur: in qua viros simul & fœminas aiunt statura pulcherrimos esse, nudos tamen, capillis aure tenus scißis mares, fœminas oblongis: quorum vterque sexus sagittis plurimũ valet. Arbores in hac prouincia nostri reperêre dulcium pomorum feraces, sed maximè noxiorum: in vermes nanque comesa conuertuntur. Sed arboris vmbra præcipuè lethalis: nam qui sub ea aliquando dormierunt, turgido capite, & amisso penitus lumine. excitati sunt. At si breui tempore somno indulserint, post aliquot dies cæcitate liberantur. Distat is portus ab ea parte Hispaniolæ, quam vocant Hispani Beatam, in qua, ad nouas terras traiecturi, sese apparant, millia passuum sex & quinquaginta supra quadringenta. Portum ingressus Fogeda, incolis vim intulit, quos palantes & nudos adortus est. Dati erant in prædam ex diplomate regio: quia fuerant in Christianos olim crudelißimi, nec adduci vnquam potuerant, vt pacatò Christianos suscipere intra ditionis suæ terminos vellent. Auri copiam, sed exiguam, apud eos reperêre, neque id quidem purum erat. Eo sibi laminas & bullas, pectori affigendas ad decorem conflant. Ea tamen grassatione spoliísque non contentus Fogeda, captiuis, quos paulò antè ceperat, ducibus, pagum in internis â littore distantem millia passuum duodecim, in quo fugientes ex vico maritimo suscepti fuerant, adortus, gentem reperit licet nudã, bello tamen

Arbor mirè noxia.

aptam. Scutis quippe, ancilibus & ensibus etiam ligneis oblongis, & arcubus certant ac sagittis, cuspidibus aut præustis, aut osseis. Desperatis animis in nostros cũ hospitibus impetum fecerunt: animaduersa præsertim eorundem, qui ad eos aufugerant, calamitate, ex paruulorum & fœminarum raptu & spolijs, strageque in ipsos illata. Strati fuerunt nostri. Proximum à Fogeda præfecto Ioannem de la Cossa, qui primus aurum in Vrabensi arena collegit, cum septuaginta militibus interemêre. Sagittas nanque liniunt herbæ cuiusdam succo lethali. Cæteri in fugam versi, ad naues, regente Fogeda duce qui & ipse terga dedit, redierunt. Dum ea strage perculsi, mœsti viuerent in portu Carthaginis, ecce ducem alium Diegũ de Nicuesa, cum quinque nauigiis. In portu nanque Beatæ in Hispaniola & hunc parantem se reliquerant Fogeda & Cossa. Is quinque & octoginta supra septingentos adducebat. Plures nanque hunc Nicuesam milites secuti fuerant, cum esset cuique liberum ex ducibus alterutrum eligere, propterea quod maioris esset ob ætatem authoritatis, & quia ferebatur vulgo Beraguam ex regia concessione à Nicuesa colendam, auro ditiorem esse, quàm Vrabam Alphonso Fogedæ destinatam. Appulso igitur Nicuesa, consilium inière quid facto opus esset. Suffragiis vniuersorum statutum est, vt sociorum vltioni primum studeretur. Noctu agmine composito iter cepêre ad eos qui Cossam & septuaginta socios interfecerant. Vltima noctis vigilia imparatos adorti, vicum qui domorum constabat centum amplius, sed vicinorum triplo refertum, (incolunt nanque gregatim) vniuersum in gyrum circunseptum, ne quisquam euaderet, supposito igne, deleuerunt. Sunt domus eorum ligneæ, palmarum foliis contegulatæ. Sex tantum paruulis, ex ingenti virorum ac mulierum multitudine, pepercerunt, cæteris, qui non aufugerint, ferro aut igne consumptis cum supellectilib⁹. A seruatis pueris, Cossam & cæteros

Nudorum de Hispanis armatis victoria.

1508.

interemptos, ab interfectoribus in frusta secatos fuisse, & demum comesos intellexerunt. A Caribibus nanque siue Canibalibus, carnium humanarum edacibus, originem traxisse Caramairenses, existimant. Auri aliquid inter cineres repertum est. Auri nanque sitis non minus, quàm terrarum, ad hos labores & discrimina subeunda nostros concitat. His actis, & Cossæ ac sociorum nece pensitata, ad portum regrediuntur. Post hæc Fogeda qui prior venerat, prior cum sua caterua discedēs, Vrabam suæ gubernationi addictam quæsiturus, iter fecit per insulam, quæ Fortis dicitur. Ea est media inter Vrabam & Carthaginensem portum: in qua descendens, trucium esse patriam Canibalium didicit. Ex incolis mares duos, fœminas septem, captiuos abduxit: cæteri euaserunt. Cētum & nonaginta drachmas auri, in varia monilia conflati, consecutus est. Indè Vrabam ab orientali præhendit ora, quam appellant indigenæ Caribanam, vndè Caribes insulares originem habere, noménque retinere dicuntur. Ibi arcem & arci vicinum vicum cœpit condere, in quod se reciperent. Dehinc à captiuis edoctus, esse in internis ad milliaria duodecim pagum nomine Tirufi, aurifodina dite nobilem: Consilium sumpsit de pago debellando. It, paratos ad sui iuris defensionem paganos offendit: repulsus fuit non sine contumelia & damno: sagittis nanque venenatis & isti bellum gerunt. Non multos post dies in alterius pagi oppugnationem cum egestate pressus venisset, fuit & ipsi sagitta femur transuerberatum. Aiunt è sociis nonnulli, ab indigena percussum, cuius vxorem captiuam ducebat. Amicè prius de vxore redimenda, inquiunt, egisse maritū cū Fogeda, ad certūque diē fuisse pactū id auri pōdus, quod Fogeda pro vxore petebat. Statuto autē die rediisse, sed sagittis & telis armatū, non auro onustū, cū octo sociis ad mortē paratis animis, illatæ iniuriæ Carthaginensibus & pagi postea

combusti participibus. Trucidatur incola ab Fogedæ sociis, nec datur vltrà amata coniuge frui. Fogeda atrocitate veneni paulatim desiccatur. Dum hæc ita succederent, eccè Nicuesam ducem alterum, cui Beragua regio Vrabæ occidentalis aßignata est habitanda. Is postridie à Fogedæ digressu, è portu Carthaginis vela dedit, Beraguam aditurus. Littora semper lambens cum copiis, quas adduxerat, sinum cepit indigenarũ, appellatione Cóiba, cuius rex erat nomine Careta. Linguam reperit ab Hispaniolensi & Carthaginensi longè aliam. Diuersa etiam in his tractibus à suismet vicinis sunt idiomata. Regem nanque Hispaniola Cacicum vocat: Coiba vero prouincia, Chebin, alibi Tiba. Nobilem appellat Hispaniola Taino: Coiba, saccum, alibi Iura. Ex Coiba ad Vrabam, Fogedæ socij sui præfecturam, tetendit Nicuesa. Post aliquot indè dies ingressus ipse nauigij genus mercatorium, quod carauelam vocat Hispanus, onerariæ naues ab alto vt sequantur, imperat. Secum vero ducit biremes duas, vulgo bergantinos: quos est animus, simul & cætera nauigiorum genera, multa etiam alia, vulgaribus eorum nominibus in discursu nostræ narrationis nuncupare, vt apertius, quid velim, intelligatur: neglectis tetricorum, mordendi causas in scriptores quærentium, genuinis. Emergunt nanque non pauca quotidie, quibus vera nomina relinquere non potuit vetustatis venerãda maiestas. Post Nicuesæ discessum, ad Fogedam ex Hispaniola venit vna nauis, duce Bernardino de Calauera, qui eam fuerat ex Hispaniola suffuratus, cum hominibus sexaginta: Archithalasso, quem ipsi Almirantum appellant, & gubernatoribus aliis inconsultis. Ex alimentis quæ ferebat, perditas egestate vires aliquantulum recrearunt. In Fogedam indies magis ac magis exoriebantur sociorum murmura, quod eos inani spe depasceret. Dicebat enim se in Hispaniola reliquisse Baccalarium Ancisum, iustitiæ prætorem à se electum authoritate

regia, quia sit peritus legibus, vt ad se duceret nauim vnã cõ meatibus onustã: seque mirari, quod multis antè diebus nõ venerit. Neque id falsò aiebat. Discedẽs nanque, Ancisũ iã semiparatũ reliquerat. Socij vero se deludi arbitrantes, inania esse quæ de Anciso narraret, suspicati sunt. Taciti secũ statuũt plerique, bergãtinos duos furari Fogedæ, ac ad Hispaniolã reuerti. Re intellecta, Fogeda præoccupare sociorũ cogitata constituit: relicto Francisco Pizarro nobili viro, præfecto ad arcis, quam condiderat, custodiam. Cum paucis ita saucius nauim, de qua ante diximus, conscendit: ad Hispaniolã, tum curatum femur si quod remedium inuenerit: tum etiam vt vestiget, quid rei Ancisum moretur, profecturus: de reditu suo intra quinquagesimum diem spem sociis relinquens, qui ex circiter tercentũ ad numerum sexaginta, cæteris tum fame, tum incolarum telis consumptis, redacti erant: lege Pizarro & sociis conscripta, ne proditione taxarentur, si intra quinquagesimũ diem non reuerteretur, commeatuum & recentium sociorum auxilia ducens. Pactis igitur diebus exactis, cùm fame iam acri vrgerentur, duos conscendunt relictos bergantinos, & eam terram deserunt. Hispaniolam versus altum iam adnauigantibus, exorta tempestas, è bergantinis vnum cum vniuersis qui inerant, absorpsit. E socijs alij referunt, se aperte vidisse immanem piscem circumeuntem bergantinum, (Ingentia enim monstra maria illa nutriunt) & caudæ ictu bergantini temonem confregisse in frusta. Quo deficiente, circumactus tempestate bergantinus, obrutus est, circa littus insulæ, quam Fortem appellant, inter Carthaginensem & Vrabanam oras sitam. A qua arcubus & sagittis, bergantinus superstes accedens, ab incolis feroci congressu barbarorum reiecta est. Iter ergo suum prosequens, forte incidit in Baccalarium Ancisum, inter Carthaginensem portum & Cuchibacóam regionem, in ostio fluminis, & quem nostri Boiũ

gatti appellant: quia ibi catum primo viderint. Boius autem, Hispaniolensi lingua domus dicitur. Veniebat Ancisus vna naui, onusta commeatibus omnis generis, tam ad victum quã ad vestitum facientibus, & bergantino comite. Is erat, cuius aduentum Fogeda dux auide opperiebatur. Ex Hispaniola idibus Septembris soluerat, & quarto die à discessu, montes altos quosdam recognouit, quos à perpetuis niuibus Serram Neuatam Hispani appellarunt, prætereunte Colono, primo repertore illarum regionum. Quinto autem die per Os Draconis iter fecit. Anciso referunt, qui bergantino vehebantur, Fogedam ad Hispaniolam rediisse. Falso locutos Ancisus existimans, authoritate prætoria, vt reuertantur, imperat. Dicto parent bergantinei, Ancisum sequuntur, licet ab eo supplices petierint, vt alterutrum illis indulgeret, aut vt bona eius venia liceat ad Hispaniolam regredi, vel eos ipse ducat ad Nicuesam: in gratiæ præmium, sese donaturos ei duo millia drachmarum auri offerunt. Auro nanque dites erant, sed pane egentes. Neutrum Ancisus annuit, seque alio proficisci nullo modo posse testatus est, præterquam in Vrabam Fogedæ prouinciam. Illis ergo ducibus, Ancisus prætor Vrabam versus tetendit. Sed vnum prius memoratu dignum, non sit molestum, beatißime pater, audire, quod huic prætori accidit venienti. Iecit & iste ancoras in ora Caramairiana, quam diximus Carthaginẽsi portu, & maritali fœminarum casta venustate, atque vtriusque sexus animi fortitudine, esse illustrem. Aquandi gratia, & scaphæ naualis, quæ confracta erat, reficiendæ causa, nonnullos in littus mittit. Attentos operi nostros, indigenarũ multitudo suo more armata circunsepsit; triduóque obsessos tenuit: quo tempore neque illi manus conserere, neque nostri illos impetere ausi sunt. Ordinibus seruatis vtrique toto triduo steterunt, protentis oculis in alteros alteri. Nostri tamen inte-

reà opus demandatum prosequebãtur, fabris nauticis mediũ agmen tenentibus. Dum sic hæsitarent, ex grege aberrarunt duo, aqualem vrnam impleturi ad ostium fluminis vtrisque vicini. Dicto citius ex hostibus adest cum decem armatis primarius vnus, & ab vtroque latere aquatores circundant: sagittis in eos directis, minime tamen excussis, & trucibus oculis eos inspectabant. Aufugit è duobus alter, manet imperterritus alter, & fugientem socium iurgio reuocauit. Hostes compellat eorum idiomate, quod didicerat ex captiuorum inde alias raptorum commercio. Admirati sermonem patrium in aduena, truculentiam exuunt, blandis inuicem verbis agunt: qui sint eius caterua appulsæ duces, interrogant indigenæ. Peregrinos esse transeuntes respondet pedes: & se mirari ait quod à littore prætereuntes naues conentur deturbare, arguens eos immanitatis, ac simul ruinam enunciat, ni tale consilium abiiciant. Venturos nanque armatos, qui superent maris arenas, in ipsorum perniciem, certiores facit: nisi non modo non arma sumpserint, verumetiam nisi honorifice venientes ad ea littora susceperint. Detineri pedites nunciatur Anciso. Fraudem inesse suspicatus Ancisus, scutatos educit socios omnes, propter sagittas venenatas, & composito agmine pedetentim graditur ad eos qui pedites detinebant: sed dato signo à pedite, indicante vt sisteret: sustinuit gradum, & per reuocatum peditem alterum, intelligit rem esse in tuto. Cupere pacem hostes, inquit pedes, quandoquidem non ipsi sunt, quos arbitrantur, Fogedam & Nicuesam insinuabant, qui pagum in littore illo spoliauerant, captiuis abductis, & in internis alium prostrauerant combusserantque. Vltum eam iniuriam se venisse fatebantur hostes, si quiuissent. At contra insontes minime se velle sua tela exercere. Impium nanque aiunt esse, in quenquam non lacessentem pugnare. Depositis igitur arcub⁹ & sagittis, nostros benignè excipiũt, salsis pisci-

bus & pane patrio donant. Ceruisia quoque ex fructibus patriis & sementibus, vinum æquante, iisdem vinarios cados impleuerunt. Ita pace confecta cum Caramairensibus, ab aliis ducibus acriter lacessitis, Ancisus per insulam Fortem, Vrabam proficiscitur. Sua naui Ancisus centum vehebat & quinquaginta viros recentes, qui in demortuorum locum sufficerentur: duodecim etiam equas, & sues fœminas plures, cū suis quodque genus masculis, ad sobolem in ea regione procreandam: & vnà tormentorū vasa quinquaginta, cum hastarum, scutorum, ensium, reliquorúmque id genus telorum multitudine immensa ad bella gerenda. Sed malè auspicatò cuncta. Iamiam intrare portum volentibus, nauis gubernator, qui temoni inhærebat, in breuia & vadosas arenas direxit. Stat misera nauis arenis inuoluta, vndis concutitur, aperitur: quicquid in ea vehebatur, amittitur. Visu miserrimum. De commeatibus duodecim tantum farinæ cados, caseósque pauculos, & biscocti panis copiam exiguam seruauerunt: animalia & ipsa suffocata vndis. Per bergantinū & nauis scapham pene nudis ipsi corporibus, cum telorum parte euaserunt. Ita ex calamitate cadunt in calamitates, de vita tantùm, de auro iam minimè soliciti. Eccè viuos & incolumes in complexu terræ, quam tota mente petierant. Sustinendis corporibus opera danda est, quia non vescuntur aëreo flatu. De alieno quærendum est, proprio deficiente. Vnum tamen illis inter tot aduersa secundum sese obtulit. Palmeta non procul à littore inuenère, inter quæ & palustres vluas, aprorum multitudo libera vagabatur. Aliquot ibi dies aprinis carnibus ad saturitatem vsi sunt. Illos tamen aiunt nostris esse minores, caudis breuißimis, adeò vt abscissas fuisse arbitrarentur. Pedibus etiam nostris dißimiles sunt: posteriores quippe aiunt pedes in his apris vno digito, non vngulato, constare. Eorum etiam carnes multo nostrorum carnibus saporosiores & salu-

Ancisi naufragium.

& salubriores experti sunt. Palmarum fructibus & palmulis radicalibus (quibus interior Bætica vescitur, & palmitos vocat, ex quorumque foliis Roma scopas habet) necnon prouincialibus pomis eo tempore vsi sunt. Sed poma illa, vt præcocia pruna, quæ ossata, parua etiam & rubentia feruntur. Arbitror ego eius generis esse, qualia ipse comedi Aprili mense in Aegyptia Alexandria: quorum arborem Iudæi indigenæ periti legis Moseæ, cedrum Libani asseuerant. Ea sunt esui apta: dulcedinem leni quadam acrimonia mixtam habent, vti in sorbis videmus. Loco persicorum & cerasorum atque huiuscemodi aliarum arborum, incolæ in hortis arborem hãc plantant, & diligenti cura nutriunt, cum peregrina sit. Ea est Zizyferæ arbori & foliis & altitudine, trunco etiam simillima. Apris iam deficientibus, de futuro consulere coguntur. Itur in interna turmatim. Est huius terræ Caribanæ gens arcubus & sagittis tractandis aptißima. Centuriam Ancisus ducebat: dico centum pedites: etsi me non lateat constare centuriam ex centum viginti octo militibus, vt decuriam ex quindecim. Licet tamen de gente nuda scribenti, nudis vti verbis interdum. Obuij occurrunt nostris tres tantum incolæ nudi, sine formidine vlla nostros adoriuntur, sagittis venenatis transfigunt plures, plerosque perimunt, pharetris euacuatis, euadunt vento celerius, pedibus nanque plurimum valent: & nostros lacessunt iurgiosis opprobriis. Sagittam in vacuum emissam ex arcubus ferunt nullam. Redeunt ergo nostri, quà venerant, multis modis infelices, & de relinquenda terra illa consilium ineunt, præcipuè quia diruerant arcem incolæ, quam Fogeda condiderat: & vici domos triginta cõbusserant, vbi primùm terram à Fogeda relicti Pizarus & socij deseruere. Vestigantes igitur, intellexere latus occidẽtale sinûs illius Vrabæ, felicius esse ac feracius. Quarè dimidiam cum bergantinus virorum partem transmittunt, reliqua in

Incredibilis animorũ audacia, & sagittandi peritia.

orientali littore relicta. Est sinus ille latus millia passuum quatuor & viginti: quóque magis intra continentem prouehit, eò magis angustatur. In sinum Vrabæ diuersa cadunt flumina: sed vnum Nilo, vt aiunt, fortunatius, nomine Darien: in cuius ripa herbida & arborifera figere pedem statuunt, licet paruo lentóque alueo constet. Accolæ verò admirati velorum & bergantinorum aduentum, quæ suis lintribus erant grandiores: fœminis maribúsque inermibus & supellectilibus emissis, bello apti animis ac telis parati, nostros in elato quodam tumulo structa expectant acie: quingentos amplius numero illos nostri esse iudicarunt. Instruūt ergo acies, duce Anciso prætore pro Fogeda: flexis genibus, prætor ipse ac cæteri pro victoria supplices orant superos. Vouent simulacro beatæ virginis quod Hispali sub nomine sanctæ Mariæ Antiquæ colitur, aurea & argentea quædam dona, missuróśque se peregrinum pollicentur: & nomen vico habitando impositurosi sanctæ Mariæ Antiquæ, templúmque sub eodem nomine erecturos, vel ad id eius reguli atrium dicaturos. His actis, milites omnes iureiurando adstringit, nè quisquam hostibus terga vertat. Dato signo, lætis animis scuta lacertis accingunt, hastas vibrant, & sublato clamore, in hostes ruunt. Impetū nostrorum diù sustinere hostes nudi minimè potuerunt: in fugam vertuntur, duce regulo Cemaco. Nostri vicum occupant in quo ciborum copiam more patriæ ad præsentem esuriem propulsandam reperêre: panem scilicet radicalem, & ex sementibus quas panico similes diximus in prima decade: cum fructibus à nostris dissimilibus, quos ipsi, vti nos castaneas & similia, seruant ad vsum. Ex gentibus iis mares nudos penitus, fœminas vero ab vmbilico gossampina contectas multitia reperérunt. Est ea regio horroris hyberni expers. Distat nanque Darienis fluminis ostium ab æquinoctio

Flumē Dariē.

gradus octo tantum, ita quod populus vix diei ac noctis toto anno discrimen sentiat, vt plerique aiunt, neque enim sunt Astronomiæ periti. Propterea nil curæ nobis sit, an gradus ij ab eorum sententia dissentiant, necne, quandoquidem paruo differunt, licet ipsi arguant se intelligere, quantum à puncto arctico stella polaris distans circumeat. Postero igitur die, ex quo ad littus appulsi sunt, aduerso flumine tendunt. Canneta fluuialia reperiunt ad vnum milliare densissima: rati, quod accidit, profugos accolas ibi vel latitare, vel supellectilia abscondisse. Cannetum sagaci indagine, scutis tamen insidiarum metu contecti, perambulant. Desertum hominibus reperêre cannetum, sed supellectilibus & auro refertum. Lodicum ex arboreo serico siue goßipio contextarum (quod vulgus Italum bonbasum, Hispanum verò algodon nuncupant) copiam non exiguam, & vtensilium ex ligno, pleraque alia ex fictilibus, reperêre: aureos & thoraces inuenêre pectorales & monilia eorum more, ad librarum summam duarum supra centum. Auro nanque & ipsi monilia sibi comparant, & miris modis laborata conficiunt. Ea prouentuum suorum permutatione assequuntur. Nam quæ regio, pane fortunatur aut goßipio, auro caret: quæ verò aurum gignit aut alia metalla, maiori ex parte montana, saxea, minimêque ferax. Sic inuicem commercia peragunt pecuniæ expertes. Duplici ergò lætitia psallentes, quod auri magna cernerent argumenta, & terram sors amœnam ac feracem obtulerit: socios in orientali sinus Vrabæ parte relictos aliâs, accersunt. Nonnulli tamen insalubrem esse ibi aërem contendunt, quia in summissa valle iaceat pars illa, montibus & paludibus circunsepta.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SECVNDÆ, Crediti cõtinentis cap. secundum.


Abes, beatißime Pater, vbi figere pedem constituant, qui Fogeda duce vastos tractus Vrabenses habitandos sanctione regia sortiti sunt. Sinamus ergo Vrabenses parumper, & Nicuesam, Beraguæ amplißimæ prouinciæ gubernatorem destinatum, repetamus. Ex Vraba amici & socij Fogedæ iurisdictione, diximus Nicuesam vna carauela & duobus bergantinis ad Occidentem Beraguam versus tetendisse: nauibus grandioribus à tergo, vt sequerentur, relictis. Male auspicato consilium sumpsit. Nicuesa noctù amittit socios, procedit ipse, & Beraguæ fauces, quas optabat, præterit. Ex bergantinis vnum ducebat Lupus quidam de Olano Cantaber, vnius è nauibus grandioribus Præfectus. Is à tergo succedens, ab incolis didicit, quâ iter esset ad Beraguæ sinum ab Oriente, relictum à Nicuesa. Versa igitur ad Orietem prora, procedens Olanus occurrit alteri bergantino comiti, qui & ipse per noctis tenebras aberrauerat, cuius erat ductor Petrus de Vmbria. Læti ambo consulunt quid eligendum, quâ putent Nicuesam gubernatorem suum fecisse iter. Deliberato iudicant, Nicuesæ ductori minus defuisse monitores de Beragua, quā sibi ductis, & spe reperiendi ducis in Beragua. Beraguam versus tendunt: vbi reperêre ad millia passuum X V I. vicinum flumen, nomine dato à Colono de Lagartos: quia lagartos Hispana lingua, Latinè lacertos, nutriat maximos, hominibus cæterísque animalibus noxios, Niliacos crocodilos æmulantes. In eo fluuio errorum socios reperêre in ancoris cum nauibus grandioribus, quæ ab alto ex ducis mandato processerant. Ibi vniuersa concio de gubernatoris errore solicita, ex ducum bergantinorum consilio: qui proximè Beraguam abraserant, Beraguam proficiscuntur. Est Beragua, incolarum appellatione, fluuius aurifer, & idem regionis nomen à fluuio sumptum. In eius fluminis faucibus ancoras iaciunt naues grandiores, & vniuer-

Fluui⁹ aurifer.

ſos commeatus in terram ſcaphis ſeruitoriis deportant: & Lupum de Olano, Nicueſæ amiſsi loco gubernatorem erigunt. Cuius & primorum conſilio, vt abeundi a luectis ſpes omnis tolleretur, ſedaréntque animos ad eas incolendas, naues illas vetuſtate corroſas, parúmque profuturas, deſerunt, & quaſſari ab vndis ſinunt. Attamen ex eorum recentioribus tabulis, & nouis aliis ex regionis arboribus, quas aiunt valdè proceras eſſe & miræ altitudinis, ſectis, nouam poſt hæc conſtruxêre carauelam, qua vterentur ad emergentes neceſsitates. Fato infelici à Petro Vmbria, bergantini vnius ductore, Beragua reperta eſt. Is ingenio celer, tentandæ terræ prouinciam ſumpſit, vt quo in loco terra capienda eſſet, ſociis renunciaret. Duodecim nautas elegit: ſcapham nauium grandiorum miniſtram conſcendit: pelagi fluxus ibi mugiebat horrendo quodã murmure, veluti de Scylla legitur Sicula, ob immanes pelago prominentes rupes, ex acri vndarum refluxu, quem Hiſpani vocant reſaccam, intra rupes repercuſſarum. Luctatur aliquantiſper Vmbria: at miſerum, reiectus inſtar montis è rupibus turbo cooperuit, & cum ſcapha ante ſociorum oculos abſorptum vorauit. Vnus tantum ex omnibus, quia natator eſſet egregius, emerſit: & appræhenſo paruulo inter vndas ſcopupulo, turbati maris furorem ſuſtinens, pacato altero die mari, & exiccato ex refluxu littore, euaſit ad ſuos. Vmbria & reliqui vndecim deplorati. Cætera multitudo non auſa ſe credere lintribus, cum bergantinis deſcendit in terram: vbi paucos dies commorata, aduerſo flumine aſcendens, incolarum pagos reperit, quos ipſi Mumu appellant. Arcem in littore cõdere incipiunt, & in valle quadã vberis ſoli, cum alioqui ſit regio ſterilis, ſementes more patrio iecerunt. Rebus ita ſe habẽtibus in Beragua, eccè ab alta ſpeculari rupe vnus è ſociis ad Occidentem tendens oculos, lintea vela, lintea vela, proclamat. Quò propius vento appellitur, ſcapham eſſe carbaſiolo

Miſerã dº Vmbriç caſus.

erecto venientem cernit. Laeti tamen scapham suscipiunt. Ea enim erat carauelae Nicuesanae piscatoria, quinque virorum tantum capax: qua tum tres vehebantur, Nicuesa inconsulto, scapha suffurata, quia credere illis Nicuesa recusasset, quod Beragua esset ab Oriente à tergo relicta. Hi videntes Nicuesam & socios paulatim esurie consumi, fortunam experiri ea scapha statuerunt, an Beraguam ipsi quirent detegere. In Beraguenses igitur socios incidunt: Nicuesam referunt errare amissa carauela per tempestates, inter paludes maritimas & deserta littora peragrare, omnium rerum egentem, calamitosum, qui septuagesimum amplius iam diem traheret herbarum aut radicum escis, aut patriae fructibus raro, contentus potabili aqua, saepè deficiente: quia instaret ad Occidentem pedibus tendere, Beraguam animo gestans. Tractum eum Colonus, eius tam vastae terrae primus repertor, percurrerat, & Gratia Dei nomen indiderat, incolarum appellatione Cerabaro. Interluit regionem fluuius, à nostris sancti Matthaei appellatus, à Beragua occidentali millia passuum circiter centum triginta. Huius fluminis & locorum plurium patriam praetereo appellationem, quia ignorant eorum nomina, qui ad nos redeunt. Eò trium nautarum relatu Lupus de Olano, vnus è duabus Nicuesae nauibus ductor, tunc etiam propraetor, vnum misit bergantinum, ducibus nautis aduectis scapha. Nicuesam reperiunt. Aduectus Nicuesa, Olanum electum gubernatorem, donec ipse aduentaret, in carcerem & vincula compegit, proditionis accusans, quod sibi gubernatoris authoritatem induisset, & imperandi dulcedine pellectus, minime fuerit de ipsius erroribus solicitus, negligentérque se habuerit, inuestigando quid ipsum tanto tēpore moraretur. Primarios omnes perturbato animo alloquebatur: & intra dies paucos, vt sarcinulas colligerent omnes, si quas habebant, imperat. Expectaret parumper aequo animo, rogant, donec sementes quas ipsimet iecerant, metantur, quae iam propè maturue-

Nicuesae calamitas.

rant: nam quarto quoque mense à iacto semine maturescut. Se nolle quicquam expectare proclamat. Illico, inquit, à tellure tam male fortunata discedendum fore. Eruit ex sinu Beraguensi quicquid aduectum erat. Ad Orientem vela dirigi iubet. Ad milliaria sexdecim, Gregorius quidam iuuenis Ianuēsis, Coloni primi repertoris à teneris famulus, portū ibi esse vicinum recognouit: sociis quibus se vera dicere probabat, signa dedit: in arena semiobrutam ancoram ex naui emissa, subq; arbore portui proxima, fontem liquidum se reperturos enunciat. Terram prehendunt. Ancora & fonte repertis, ab ingenio & memoria Gregorium commendant, quod eius rei solus è multis nautis, qui littora illa cum Colono percurrerant reminisceretur. Portum Bellum Colonus appellauerat. Cum ex itinere plerisque in locis vrgente fame descenderent è nauibus, ab incolis malè excipiebantur. Ex egestate tanta nostros inuaserat hebetudo, vt arma capere in quenquam, licet nudum, resistentem nequirent. Viginti homines propterea venenatis percussos sagittis amiserant. In Portu Bello, fuit consilium, dimidiam sociorum partem relinquere: reliquam Nicuesa traducit Orientem versus: vbi ad milliaria octo & viginti à Portu Bello, statuit arcem condere in littore apud promontorium, olim à Colono Marmor appellatum. Sed nemini vires ad laborem illum ob esuriem suppetebant. Turriculam tamen ad primos incolarum impetus sustinendos erexit, quam Nomen Dei appellauit. Ex quo Beraguam reliquit, tum in itinere inter arenosas planities, tum egestate dum turrim ædificaret, è paucis superstitibus ducentos amisit. Ità paulatim consumpta est septingentorum octoginta quinque virorum multitudo, ad vix centum iam reducta.

Nomē Dei Turricula.

Dum Nicuesa cum paucis illis miserrimis hominū viueret exorta est inter Vrabenses de principatu contentio. Vaschus Nunnez Balboa quidā, omniū iudicio magis armis, quā con-

silio confisus, manu promptos in Ancisum prætorem concitauit, inquiens, Ancisum literas regias, prætoriam potestatem annuentes, minimè habere: nec satis esse, quod à Fogeda fuerit authoritate gubernatoria electus. Vetuit igitur, ne ius prætorium exerceret Ancisus: & quosdam inter se viros Vrabenses statuerunt, quorum consilio regerentur. Quarè in factiones diuisi, non redeunte duce suo Fogeda, quem sagittæ veneno iam perisse arbitrabantur, an accersendus esset eius loco Nicuesa, nec ne, inuicem contendebant. Qui magis consilio valebant, & Nicuesæ familiares fuerant, quique Vaschi Nunnez insolentiam ferre nequibant, Nicuesam debere quæri per ea vniuersa littora censebant. Intellexerant enim, ex Beragua ob terræ sterilitatem discessisse: posséque ipsum Ancisi exemplo, & aliorum qui naufragati fuerant, in secessu aliquo oberrare: neque esse animo quiescendum, donec aperte intelligatur, viuat ne cum sociis, an obierit. Vaschus autem Nunnez veritus, ne adueniente Nicuesa, imperio in socios exueretur, insanos appellabat eos, qui putarent Nicuesam viuere: & si viueret, opera Nicuesæ ipsos non indigere. Asserebat enim, neminem ex sociis esse, qui non sit æquè imperio aptus, atque Nicuesa. Dum ita in contrariis versaretur studiis, ecce duarum nauium grandiorum ductorem Rodericum Enriquū Colmenarem cum sexaginta viris recentibus, & commeatuum tam ad victum quàm ad vestitum copia. De huius Colmenaris nauigatione, animus est, pleraque referre. Ex Beata portu Hispaniolæ, vbi ad has terras traiecturi se instruunt, Colmenares iste descessit circiter idus Octobris anni millesimi quingentesimi decimi. Præhendit autem terram in Nonis Nouembris in vasta Pariæ regiuncula à Colono reperta, inter portum Carthaginis & regionem Cuchibacóam. Passus est inter nauigandum tum ab incolis, tum à maris ira, incommoda non mediocria. Aqua potabili defi-

Colmenaris nauigatio. 1510.

ciente, naues applicat ad fluminis ostium suscipiendis nauibus aptum, incolarum appellatione Garia. Defluebat autem Garia ex alto niuali monte, quo altiorem nemo ex ducis Roderici comitibus aiebat se vidisse vnquàm. Neque aliter putãdum est, si niuibus albescebat in ea regione, quæ intra decimũ gradum distat ab æquinoctiali linea. In Gairæ igitur fluminis ripa ad implendos cados lintrem seruitoriam demittit. Dum haurire aquam inciperent è scapha, eccè regulum vestibus amictum gossampinis, cum sociis palatinis viginti, insuetum visu, lena illi pendebat ab humeris cubito tenus, à cingulo verò demissa: vestis alia talaris fœmineum æmulabatur ornatũ. Vestit⁹ regius.
Accedens regulus, amicè visus est monere nostros, nè indè aquam sumerent, quod noxia esset hominibus: ostendítque proximè labi fluuium alium, aquæ salubrioris ductorem. Monstratum à regulo fluuium adeunt. Fundum tentare nitentes, tempestate prohibentur: ebullientes etiam arenæ, vadosum esse ibi mare indicabant. Coacti sunt igitur ad primum redire fluuium, iaciendis ancoris tutum. Struxit Cacicus ille nostris insidias adeuntibus. Attentos nanque cadis implendis, cum armatis more suo, nostrorum iudicio septingentis, licet nudis aliâs, (soli nanque regulus & palatini eius amiciuntur) nostros perturbat: lintrem raptat, & in assulas confringit. Sagittis vno ictu oculi, septem & quadraginta è nostris, priusquam scutis se contegere quiuerint, transuerberauerunt, è quibus vnus tantum euasit: cæteri atrocitate veneni periêre ilicò. Neque enim remedia contra id veneni genus adhuc intelligebãt vti postea ab insularibus Hispaniolæ didicerunt. Herbam nanque gignit Hispaniola, huius herbæ virus extinguentem, modo properè succurratur. Seruati sunt & alij septẽ, elapsi intra magnæ arboris corrosum vetustate sinum, ad noctem vsque ibi latitantes: sed minime vitauerunt hostium manus. Noctu nanque, illis relictis, nauis discessit. De his nulla vlterior men-

tio habita est. Ita per multa huiusmodi discrimina, quæ, nè sim minuta recensendo, tuæ Sanctitati fastidiosus, prætereo. Vrabæ tandem sinum assecutus est. In orientali eius latere sterili iecit ancoras: vndè paucis antè dieb⁹ ad occidẽtale fortunati⁹ nostri transmigrauerant. Admiratus locorũ silentium, ibi nãque socios se reperturum putârat: quid rei hoc sit, non intelligit, viuant ne, an locum mutauerint, ambigens. Salubre ad rem consilium amplexus est: æneas balistas & puluerariæ quæcunque tormenta nauibus gestabat, globis & puluere farciri, flammásque per cacumina rupium accendi noctũ iubet. Igne supposito vniuersa simul tormenta quatiunt: tonitribus & mugitu horrendo sinus Vrabensis intremuit: licet millia passuum quatuor & viginti distarent, (Ea est enim sinus Vrabensis latitudo) exauditur tamen à socijs & flammis aduentantium sociorum, Darienenses mutuis respondẽt flammis. Quare flammarum respondentium ductu, ad occidentale latus Colmenares traducit naues. Ærumnosi Darienenses, qui iam vix animam egestate lassam dentibus retinebant ob Ancisi prætoris naufragium, protentis in cælum manibus, obortis præ lætitia simul & mœrore lachrymis, eo plausu, quem tanta necessitas expostulabat, Rodericum & socios ad se venientes suscipiunt. Commeatibus & indumentis (erant enim penè nudi) abundè fruuntur. Restat, beatissime Pater, vt, quid Vrabensium dissidia de principatu, ducibus amissis, pepererint, edisseramus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SEcundæ, Putati continentis cap. tertium.

PRimores Vrabenses omnes, & qui consilio magis pollebant, accersendum esse quoquo modo Nicuesam, sicubi reperiatur, censent: Ab Anciso prætore, renuente aduentum Nicuesæ, bergantinum quem ipse propria impensa construi fecerat, abripiunt: & contra ipsius Ancisi voluntatem ac Vaschi Nunnez gladiatoris iudicium, statuũt vt Nicuesa quæratur, ad inuidiam de principatu inter se tollendam. Colmenari ergo, de quo supra mentionem fecimus, negocium dant, vt Nicuesam quæritet per ea littora, vti suspicabantur, errantem. Audierant nanque deseruisse Beragam, telluris infœcundæ regionem. Dántque in mandatis, vt repertum aduehat: spem rei benè gerendæ illi præbeat, si ad tollendas inter eos coalescentes iam seditiones venerit. Prouinciam sumit Colmenares, quia Nicuesæ deuinctus esset amicitia: nec se minus, vt Nicuesæ succurreret cum suis commeatibus, quàm Vrabensibus, venisse fateretur. Vnam igitur è suis nauibus quas aduexerat, & ablatum Anciso prætori bergantinum, cum parte commeatuum, quos importauerat, instruxit. Vniuersa circum vicina littora peragrans, ædificantem turrim ad Mormor promontorium Nicuesam tandem reperit, viuentiũ omnium infelicißimum, suprema macie confectum, squalore obsitum, vnà cum sexaginta tantummodo socijs, ex septingentorum amplius numero superstitibus: adeo vt nil minus illorum misereretur, quàm si mortuos offendisset. Nicuesam amicum Colmenares recreat, lachrymis & blandis sermonibus solatur: ampla spe melioris successus, & mutandæ fortunæ Nicuesam replet. A bonis omnibus Vrabensibus aduentum eius desiderari arguit: quod sperent eius authoritate sedatum iri discordias inter eos exortas. Colmenari amico Nicuesa gratias agit, quales tanta calamitas exigebat. Mare vnà cõscendunt, Vrabam versus proficiscuntur. Veteri solent homines naturæ instituto, ex lætis

fortunæ succeßibus insolescere. Post lachrymas, post fletus, & varios de infelici fato suo conquestus, post gratiarum actiones, prouolutus ad pedes Roderici Colmenaris seruatoris sui Nicuesa, fame iam domo expulsa, cœpit obloqui, priusquam Vrabenses viseret, de mutando rerum statu in Vraba, déque auro demendo cunctis: inquiens, nequiuisse quenquam, se aut Fōgeda collega suo inconsultis, auro manum imponere. Hæc huiusmodi dicta ad Vrabensium aures delata, Ancisi prætoris pro Fogeda, & Vaschi Nunnez partis aduersæ suscitatorios animos in Nicuesam concitârunt. Adeuntem reiiciunt, vel, vt alij referunt, posteaquam in terram descenderat cum sexaginta socijs, vt indè abiret, minis etiam additis, coëgerūt. Bonis omnibus id minime placuit. Sed populi tumultum veriti, quem Vaschus Nunnez excitabat, rem iniquam paßi sūt. In bergantinum igitur, quem ipse miser aduexerat, cum septemdecim tantum ex sexaginta superstitibus trudunt. In calendis Martiis anni millesimi quingentesimi vndecimi infe-
1511. lix Nicuesa mare conscendit, iturus ad Hispaniolam, conquestum de Vaschi Nunnez temeritate, atque illata vi per Ancisum prætorem in ipsum. Hora infausta bergantinum conscendit: nusquam apparuit vltra. Summersos omnes & bergantinum ipsum, arbitrantur. Id vtcunque feratur, Nicuesa ex ærumna præceps in ærumnam cadens, vitam finiuit ærumnosius, quam vixerit. Turpiter eiecto Nicuesa, consumptísque quos Colmenares importauerat commeatibus, fame rabidi, vti è sylnis lupi rapaces, coguntur viciniam perturbare. Duce Vascho Nunnez circiter centum triginta viri conueniunt. Vaschus aciem suo more gladiatorio instruit: folle tumidior, præstites substitésque sibi ac tergiductores ad libitum elegit. Comitem & collegam ducit secum Colmenarem. Exit, rapturus à finitimis regulis quicquid fiet obuium. Regionem per id littus, nomine Coibam, de qua mentionem alias fecimus

adit. Caretam eius regulum, à quo nil vnquàm aduersi paßi fuerant transeuntes, appellat: imperiosè trucíque vultu petit præberi aduenientibus cibaria. Careta regulus posse illis aliquid impartiri negat: se transeuntibus Christianis succurrisse sæpenumero, vnde penu habeat exhaustum, docet. Ex dißidiis præterea & simultatibus, quas exercuit ab ineunte sua ætate cum finitimo regulo, qui Poncha dicitur, laborare domum suã rerum penuria. Nil horum admittit Vaschus gladiator: miserum Caretam, spoliato eius vico, vinctum iubet duci ad Darienem cum duabus vxoribus & filiis, vniuersáque familia. Apud Caretã regulũ repererũt tres è sociis Nicuesæ, qui Nicuesa prætereũte vt Beraguã quæreret, iudiciũ ex malè factis timẽtes, aufugerant è nauibus in ancoris stantibus: classe verò abeunte, Carætæ regulo se crediderũt. Careta hos tractauit amicissimè. Agebatur iã mẽsis duodeuigesim⁹, propterea & nudos reperêre penit⁹, vti reliquos incolas, & saginatos vti capones, manu fœminea domi depastos in obscuro. Obsonia dapésque regias fuisse sibi illo tempore incolarum cibaria visa sunt: quod sine mei tuíque, sine cede, non cedam, contentione vixerint: quæ duo trahunt, cogunt & raptant homines, vt viuendo minimè viuant. Ad pristinas tamen curas redire elegerunt. Ex Caretæ vico ad præsentem famem propulsandam, non autem ad neceßitatem penitus tollendam, cibaria detulerunt ad socios in Dariene relictos. An post hæc, an prius id acciderit, non apertè intelligo. Scio tamen post Nicuesam eiectum, in Ancisum pretorem occasiones fuisse per Vaschum & factionarios eius quæsitas. Captus est Ancisus & coniectus in vincula, bonáque illius fisco addicta: causa suscepta, quòd à Fogeda tantùm, quem iam vita functum aiebant, non à rege, literas pretorias haberet: séque, inquit, nolle cuiquam parcere, qui ab ipso rege per proprium diploma potestatem non habeat. Bonorum tamen rogatu flexit animum, & mitiùs egit bo-

nus digladiator, stigmati pepercit. Ancisum solui iussit: qui liber nauim ipse libens conscendit, vt inde abiret ad Hispaniolam. Priusquam vela daret, boni omnes ad eum supplices iuerunt, vt è naui descenderet, ab eo petunt, séque daturos operam pollicentur, vt Vascho reconciliato, integra illi prætoria authoritas restituatur. Recusasse fertur Ancisus, discessítque. Nec desunt, qui sub lingua immurmurent, voluisse Deum & cælites in Ancisum ista patrari, in eiecti eius consilio Nicuesæ vindictam. Vtcunque sit, nouarum terrarum vestigatores ruunt in præceps, & seipsos conficiunt intestinis odiis, neque inuigilant, vt par esset, tantæ rei inuento. Statuunt interea omnes vna sententia, mittendos esse ad Hispaniolam ad Almirantum siue Archithalassum, iuuenem, Coloni primi repertoris hæredem filium, in Hispaniola proregem, & ad reliquos insulæ gubernatores, à quibus nouæ terræ auxilia & leges recipiunt, qui significent de statu rerum, & quanta angustia laborent, quid ve repererint, quid speretur, si commeatibus succurrant egentibus. Ad id, volente Vascho Nunnez eligitur è factionariis eius Valdiuia quidam nomine, processu in Ancisum suo insultorio iure formato. Additur & illi collega homo Cantaber quidam Zamudius. Vt Valdiuia ex Hispaniola redeat cum commeatibus, expositis mandatis, & Zamudius in Hispaniam ad regem se conferat, edicitur. Discedunt ambo vna cum Anciso, aliter quæ acciderint, regi quàm Valdiuia vel Zamudius, relaturo. Et Ancisus & Zamudius, me domi in curia conuenerunt. Quæ mecum egerint, alibi dicentur. Dum in his versantur, miseri Darienẽses Caretam regulum Coibensem soluunt, statuto fœdere de bello gerendo, nostris auxiliantibus, contra Poncham Caretæ finitimum hostem intra continentem regulũ. Transituris Careta pollicetur se necessaria præbiturum, præsentémque cũ sua familia & armis futurum in bello. Sunt autem ipsorum

Discordiarum incommoda.

arma, non arcus, non ſagittæ venenatæ, vti habere indigenas illos trans ſinum orientales diximus. Cominus hi certant vt plurimum, enſibus oblongis, quos macanas ipſi appellant, ligneis tamen, quia ferrum non aſſequuntur: & præuſtis ſudibus, aut oſſeis cuſpidibus, miſsilibus etiam ad prælium vtuntur. Sementibus ergo iactis, quam maximas iacere potuerunt, itur ad Poncham, duce cauſáſque primas agente Careta. Poſt aliquot à pacto fœdere menſes, vt ſerendi metendíque Caretæ ruricolis copia daretur, Ponchæ regiam adoriuntur, aufugit Poncha: vicum & vniuerſa diripiunt: bonis Ponchæ famen propulſant. Sed minimè ſociis ob locorum diſtantiam, illis bonis, licet multa repererint, ſuccurrere potuerunt. Diſtabat nanque regia Ponchæ à Dariene milliapaſſuum centum amplius, & humeris portanda erant ad maxime diſtans littus, vbi nauigia, quibus aduecti erant ad Caretæ vicum, reliquerāt. Auri libras aliquot reperere cælatas in diuerſa monilia. Redeūt ergo ad naues, deleto Poncha: reges internos relicturi, maritimos autem infeſtare conſtituunt. Eſt non longè à Coiba in eadem ora regio, cui nomen Comogra, regulúſque illius Comogrus. Hunc poſt Poncham deletum adeunt. Comogri regiam in aduerſa montium vicinorum radice ſitam, vberi duodecim lequarum planitie celebrem, repererunt. Ad Comogrum affinis & primarius Caretæ palatinus, ex diſsidio cum Careta, ſe receperat. Appellat hos lingua eorum Iurá. Seſe medium dedit Iurá Coibenſis, & Comogrum noſtris conciliauit quia noſtris erat à tranſitu Nicueſæ notiſsimus: tréſque illos transfugas domi Iurá hic habuiſſe in honore toto eo tempore ferebatur. Pacato igitur noſtri Comogri regiam adierunt, quæ diſtabat ab Dariene lequas triginta itinere peruio: circuire nanque montes medij cogunt euntes. Septem habere filios egregia forma iuuenes & adoleſcentes ex variis vxoribus Comogrum comperêre, licet nudos. Atrium autem ex ſublicibus trabibus inter ſe connexis, roboroſa miris modis

structura constare aiunt: lapideis mœnibus nihilominus valida. Longitudinem dimensi passuum centum quinquaginta, latitudinem vero pedum octoginta, in vacuo dinumerarunt: laquearibus & pauimentis arte eximia laboratis. Penuariam vero cellam reperêre refertam dapibus patriis omnifariam, vinariam autem doliis fictilibus & ligneis cupis munitam, Hispano vel Italo more, optimísque vinis, licet non ex vuis, repletam. Neque enim vites habent. At ex tribus illis radicum & granorum ad conficiendum panem generibus, quæ Iucca, Ages, & Mais, diximus in nostra decade appellari: & ex palmarum fructibus vina conficiunt: vti Germanos, Belgas, Britannos, montanos etiam nostros Hispanos, puta Vascones & Astures, & in alpibus Noricos, Suevos & Heluetios ex hordeo, triticóque & pomis alicam conficere audiuimus. Alba, nigra etiam, variorúmque saporum, & mulsum pleraque imitantia, apud Comogrum se potasse vina dictitant. Audi, summe Pontifex, audi aliud monstrosum spectaculum. Huius reguli penetrale ingressi, cameram reperiunt pensilibus repletam cadaueribus, gossampinis funibus appensis. Interrogati, quid sibi vellet ea superstitio: parentum esse & auorum attauorumque Comogri reguli ea cadauera, inquiunt. De quibus seruandis maximam esse apud eos curam, & pro religione eam pietatem haberi recensent: pro cuiusque gradu indumenta cuique cadaueri imposita, auro gemmísque superintexta. Penates sic colebat antiquitas, summe Pontifex. Quo vero pacto cadauera illa cratibus desiccent, ita vt sola restet cutis tanquam ossium retinaculum, igne lento supposito, in decade descripsimus. Ex septem Comogri filiis ætate grandior, mira pollebat natiua sapientia. Blandiendum esse hominibus iis vagis intellexit, dandámque operam, ne caussas nanciscantur, quibus in se domúmque suam, vti in cæteros conterminos, sæuire queant: Ad Vascum & Colmenarem primarios,

Religionis ergo maiorum cadauera exiccata in ædibus conseruant.

quatuor auri affabrè laborati drachmarũ millia, septuaginta etiam mancipia dono misit. Se nanque inuicèm capiunt, ac vẽdunt, rerum vsui vel appetitui suo consonarum permutatione: pecunias quidem nesciunt. Aurum illud tantundémque alibi congestum vnà librabant in Comogri vestibulo nostri, vt regio fisco quinta pars debita secerneretur. Est nanque id ordinarium in iis regnis decretum, vt ex auro argentó ve ac gemmis, quæstoribus regiis aßignetur quinta. Reliquum inter se ex composito diuidunt. Exortæ sunt in auro diuidendo inter nostros rixæ: Aderat Comogri filius prudens ille primarius, qui accedens librales lances pugno excußit rigido, & aurum quodcunque inerat, per vestibulum dispersit: iurgiis nostros insectando, eleganter in hanc sententiam disseruit:

Quid hoc rei est, viri Christiani? adeò exiguam auri copiam tanti facitis? quam tamen vultis ex pulchrè fabrefactis monilibus in rudes vectes conflare. (Secum nanque conflatoria instrumenta portabant.) Si auri est vestra fames tanta, vt illius causa tot quietas gentes perturbetis, calamitates & incommoda perferendo, per vniuersum è patriis regionibus extorres: regionem affluentem auro vobis ostendam, ex qua poteritis auri sitim istam explere. Sed maioribus vos oportet copiis rem aggredi: vobis nanque necesse est potentes reges, patriæ ditionis accerrimos defensores, armorum vi debellare. Præter cæteros, sese vobis obiiciet Tumanama rex, cuius regnum est auro reliquis fortunatius, à nobis distans soles tantum sex: à sole nanque dies computant. Medios præterea montes Caribes, genus hominum ferox, humanarum carnium edax, sine legibus, sine imperio, vagum, occupant. Oppreßis nanque montium habitatoribus, aurifodinarum, quæ scatent in iis mõtibus, cupiditate raptati, proprias & ipsi sedes deseruère. Eo enim auro, quod ipsi miserorum monticolarum lacertis effodiunt, in laboratas laminas & varias imagines has &

Homi-nis barbari & iuuenis prudentissima oratio.

huiuſcemodi alias effigiato, quicquid appetunt, aſſequuntur. Fabros nãque & ipſi aurarios habent, qui monilibus formãdis inuigilant: rude ſiquidẽ aurum nos nõ maioris facimus, quàm luteos globos, priuſquam opificum dextra fabrefacti prodeant in fictile vas aliquod, nobis gratum aut neceſſarium. Fictilia & ipſi habent non incultè formata. Hæc nos ab illis noſtrorum prouentuum (putà mancipiorum in bello, profligatis hoſtibus, captorum, quæ coëmunt. edenda, lodicúmque & ſupellectilium ad domorum ornatum) permutatione comparamus. Eſculenta quoque illis nos præbemus, quibus ipſi carent: quippe qui montes incolunt. Armis igitur eſt hoc montanum iter aperiendum. Hos montes (indice digito montes auſtrales monſtrabat) traijciendo, mare aliud è promontoriis deſpectare licebit, quod nauigiis velificatur nihilo veſtris minoribus, (& carauelas inſinuabat) licet & illi nudi agant more noſtro, velis tamen & remis vtuntur. Ab aquarum è montibus diuortio, latus illud vniuerſum ad auſtrum ſpectans, aurum gignit affluenter.

Artem non aurum æſtimãt.

Hæc ille, & vna inſinuabat eſcaria vaſa, cæteráque vtenſilia regem Tumanamam ciſmontanum & tranſmontanos omnes ex auro habere formata: aiebátque non minorem eſſe apud auſtrales illos auri copiam, quàm apud nos ferri. Ex qua nanque materia noſtri enſes & reliqua tela conficiant, intelligebat relatu noſtrorum. Duces noſtri iuuenis nudi orationem admirati, (interpretes enim habebant tres illos ſaginatos qui ſeſquiannum inter Caretæ familiares verſati fuerant) animos ad eius dicta erexerunt: & auri è lancibus libralibus diſcußi temeritatem, in facetias & vrbanitatem conuertere runt, commendántque illius & facta & expoſita. Sed quibus argumentis innixus iſta ferat, amicè interrogant: quid ve faciendum cenſeat, ſi plures copiæ venerint. Ad hæc iuuenis Comogreus idiomate patrio, in ſe pariunt receptus, vti orator

qui se ad aliquid graue differendum accingit, & corpus ad motus persuasioni necessarios disponit, in hanc repetiit sententiam:

Attendite viri Christiani: Licet nos homines nudos auri cupiditas haudquaquam exagitet, ambitione tamen, imperij causa, nos bellis inuicem conficimus, & vicinis præcellere nostris cupimus. Hinc pullulant inter nos dißidia, hinc nostra pernicies. Bella gessere maiores nostri, gesßit & genitor Comogrus cum finitimis regibus, in quibus & vicimus, & victi fuimus. Sicuti ex stratis hostibus apud nos mancipia cernitis, ex quibus septuaginta vobis dono dedi: haud secus nobis profligatis, è nostris hostes captiuos duxerunt aliquando. Bellorum nanque vices hæ sunt. Ex familiaribus nostris, qui apud eos mancipium egerunt, eccè vnum qui apud transmontanum regulum & eius regionis transmontanæ, quæ magis auro scatet, dominum longo tempore vinctus sub seruili ferula vitam duxit infelicem. Ab hoc, & innumeris alijs huiuscemodi, à liberis etiam hominibus ab illis ad nos, & econuersò amicè traiicientibus hæc nobis ab immortali memoria proprijs facultatibus notiora sunt. Attamen quo certius vobis ista referri sciatis, ne falli suspicemini, me duce vincto, testéque parato ad supplicium, rem aggrediemini: vt me ex arbore vicina suspendatis, si differre à meis dictis vel puncto intellexeritis. Accite igitur, accite mille Christianos ad bella paratos, quorum robore posßimus, vna cum Comogri genitoris mei nostro more bellatoribus, hostium vires confringere. Id vobis auri copiam optatam præbebit. Nos autem in ducatûs & auxilij præmium, ab hostium nostrorum iniurijs & formidine perpetua, qua concepta malè pacati viuimus, liberabitis. His dictis, prudens iuuenis Comogreus conticuit: nostri verò saliuam deglutire mercurialem, ampla spe auri, iteratò cœperunt.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SECVNdæ, Putati continentis cap. quartum.

Paucos indè dies ibi commorati, Comogro sub nomine Caroli, ob Hispaniarum principem, baptizato cum eius familia, redeunt ad socios Darienenses, relicta Comogro spe de militibus à filio petitis, quibus tutò queāt ad australe pelagus montes superare. Vicum quem habitandum elegerunt, ingreßi, rediisse Valdiuiam post semestre à suo discessu, intellexerunt: sed cum parua commeatuum copia, quia paruum aduexerat nauigium: spe tamen ampla de mittendis propediem & commeatuum & recentium virorum auxiliis. Almirantus prorex & reliqui Hispaniolæ gubernatores, se nullam habuisse hactenus curam de Darienensibus fatentur, quod Ancisum prætorem cum sua naui onusta incolumem fuisse appulsum arbitrarentur: bono sint animo in posterum, hortantur, se nulla in re defuturos: ad præsens nullam habere nauim, qua plura Valdiuiæ queāt præbere de necessariis, inquiūt. Neque erat carauela, quam ipse aduexerat, capacior. Erat nanque licet nomine Carauela ob formam, exiguum tamen nauigium. Quare ad præsentem tantum neceßitatem parumper moderandam, non ad egestatem tollendam, commeatus attulit Valdiuia. Post paucos igitur dies à Valdiuiæ regressu, iisdem angebantur angustiis: præsertim quia veniens ex altis montibus turbo cum fulgoribus & tonitruis horrendis, mense Nouembri, tantam aquarum attulit alluuiem, vt segetes omnes, quas in solo bene fortunato, Septembri mense, priusquam ad Comogrum regulū proficiscerētur, satas reliquerāt, abstulerit partim, partim suffocauerit. Erant sementes illæ paniceæ, quod grani genus

Hispaniola maisum, Vraba hobbam appellat: quas diximus quotannis ter maturescere, quia regiones illæ horrore hyemali minime grauantur, ob viciniam ad æquinoctialem lineam. Ex hobba siue maiso panem esse triticeo regiones illas incolentibus salubriorem, quod facilius concoquatur, consonat physicæ rationi. Deficiente nanque frigore, ab extremis ad præcordia calores minimè pelluntur. Frustrati ergò spe suarum segetum, & vicinis Regulis iam & commeatibus & auro expilatis, quærere cibum à distantibus coguntur: & vnà significare gubernatoribus Hispaniolæ, quanta egestate vrgeantur, quæ ve apud Comogrum de australi plaga intellexerint: quò sit regi cura de mittendis mille illis armatis, quorum dextra, si pacatò nequiuerint, peruios liceat facere montes vtrunque mare intersecantes. Mittitur cum mandatis idem Valdiuia, cui præbendas quæstoribus regiis in Hispaniola sedem habentibus, oczunciales tercentum libras ex quinta, regio fisco debita, crediderunt. Eam libram Hispanus marchũ appellat: quam quinquaginta nummi aurei, castellani nuncupati, complent. Castellani pondus, pesum dicunt. Quindecim ergo millium castellanorum summam dicimus eam fuisse. Est vero castellanus nummus, paulò minus triente, ducatum aureum superans, prouinciæ peculiaris moneta, quæ nullibi præterquam in Castella cuditur. Constat, ex ea summa libras mille quingentas octunciales à Regulis assecutos fuisse. Quod vniuersum in diuersa conflatum vel diductum monilia, puta torques collis, armillas brachiis, & bullas pectoribus imponendas, laminulas etiam auribus & naribus affigendas repererant. Mare igitur Valdiuia conscendit ea carauelula, qua venerat, redierátque alias, tertio idus Ianuarij, anni iam M.D.XI. ab aduentu Domini, cum mandatis ad Vaschi Nunnez arbitrium, & ea quam retulimus auri summa regiis præbenda quæstoribus, & ex amicis portanda in

Messis ter in anno.

Hispaniam ad affines & cognatos, quam quisque optauisset. Quid Valdiuiæ inter nauigandum acciderit, suo loco dicemus: ad permanentes in Vraba redeamus. Hi dimisso Valdiuia, rabida fame stimulati, statuunt eius sinus intima vestigare per diuersa. Est ab ostio sinus eiusdem extremus angulus, distans milliaria circiter octoginta: angulum illum appellarũt Hispani Culatam. Angulum præhendit Vaschus ipse cum centum hominibus, vectis per sinum vno bergantino & monoxylis prouincialibus quibusdam, quas diximus Canóas ab insularibus Hispaniolis appellari, ab Vrabensibus Vrú. In sinum ex angulo fluuius cadit, ab Oriente labens, Dariene decuplo maior, aduerso fluuio millia passuum triginta, aiunt nanque ipsi lequas nouem amplius, sed in dextram conuersi ad meridiem, incolarum pagos offendunt, quorum regulus Dabáiba nuncupatur: vti cacicum Hispaniola, ij Chebí vltima acuta appellant. Ad Dabáibam se recepisse Cemacchum Darienis regulum, à nostris in prælio profligatum, intellexerunt. Aufugit Dabáiba. Putatur à Cemaccho monitus, nè nostrorũ impetum opperiretur. Deserta omnia reliquit. Arcuum tamen & sagittarum aceruos, supellectilia etiam & retia, piscatoriásque scaphas plures repererunt. Lacunosa nanque palustriáque loca illa, neque iaciendis sementibus aut arborum plantationi apta esse cognouerunt. Propterea exiguam eorum quæ affectabant, cibariorum scilicet, copiam consecuti sunt: quia piscium permutatione à finitimis panem ad propriam tantum indigentiam ij piscatores comparant. Auri autem cælati millia castellanorũ septem, ex desertis domibus habuerunt. E monoxylis, quædam: ex arcubus, centum: ex sagittis, fasces aliquot: ex supellectilibus, cuncta. De prouincialibus vru, id est, lintribus, duas abduxerunt. Ex eius fluminis paludibus vespertiliones inquiunt prodire noctu, turturibus non minores, morsu lethali nostros infestantes. Id aliqui ex ijs, qui morsus

experti sunt, testantur. Ancisus prætor eiectus, interroganti mihi de vespertilionum venenato morsu, retulit se fuisse inter dormiendum à vespertilione demorsum in talo pedis, æstate ob calorem detecti: nec magis nocuisse, quàm si alterius animalis non venenosi dentibus læsus fuisset. Dicunt alij, venenosum esse morsum: sed aqua marina ilico lotum, curari. Retulit etiam Ancisus, mederi aqua marina & igneis cauteriis, simul vulnerato ab incolis venenata sagitta: seque id in regione Caribana, vbi plures ex suis percußi fuerunt, experimento comperisse. Ex angulo igitur sinuali Vrabæ redeunt parum contenti, quandoquidem non onusti cibariis. Redeuntibus illis exorta est in vasto illo sinu tanta tempestas, vt supellectilia omnia, quæ à miseris piscatoribus afferebant, proijcere in pelagus fuerint coacti. Ex vru etiam, id est, lintribus, quasdam vna cum hominibus absorpsit mare. Eodem vero tempore, quo Vaschus Nunnez tentare sinûs angulum ad meridiem constituit, ex composito Rodericus Colmenares cum viris sexaginta per alterius gurgitis alueum ab Oriente ad montana carpit iter. Is ab ostio fluminis ad millia passuum circiter quadraginta (inquiunt nanque leguas duodecim) pagos offendit in ripa fluminis sitos: quorum chebi, id est, regulus, Turui appellabatur. Apud hunc regulum adhuc morabatur Colmenares, quãdo Vaschus Nũnez post reditũ ad Darienẽ, aduerso & ipse flumine Colmenarem adijt. Indè refecta iam eius Turui cibariis sociorum caterua, statuunt vna conscendere. Ad milliaria totidem ab illis quadraginta, insulam complectitur fluuius piscatorum patriam. Eam, quia natiuas ibi arbores offenderint caßiam fistulam gignentes, Cannafistulam appellarũt. Vicos in eo sexaginta repererunt, gregatim casas decem habitantes. A dextro insulæ latere labitur alter fluuius, & ipse prouincialibus lintribus & bergantinis sustinendis aptus.

Contra venenatas sagittas remedium.

Riuum Nigrum fluuium appellarunt. Ab ostio fluminis eius ad millia passuum quindecim, sparsim reperêre vicum domorum quingentarum ædificatum: cuius chebin, id est, regulum, Abenamchéium vocari aiunt. Domos deseruere omnes vbi primum nostros aduentare senserunt. Sed cum fugientes insequerentur, mutato consilio, reuertuntur, & irruerunt in nostros atrocibus animis, vt qui è propriis laribus pellebantur. Ensibus ligneis, sudibus etiam præustis & hastis teretibus oblongis, non autem sagittis, nostros impetunt: occidentales nanque sinus, haudquaquam arcubus bella gerunt. Facilè profligati miseri nudi sunt nostrorum telis. Dum eos insequerentur nostri, regulum Abenamachéium & primarios quosdã capiunt. Capto regulo, pedes vnus qui vulneratus ab eo fuerat, lacertum abscidit vno ictu gladii, ducibus tamen inuitis. Erat ibi Christianorum numerus circiter centum quinquaginta: horum dimidiam partem ibi duces reliquerunt, ipsi vero cum cæteris aduerso iterum flumine tendunt lintribus patriis nouem, quas diximus appellari Vru. A riuo Nigro & insula Canna fistula millia passuum septuaginta, relictis à dextra læuáque pluribus in id maius cadentibus fluminibus, vnum capiunt duce incola nudo, ducendarum per ea flumina nauium magistro, in cuius ripa, ostio ipsius proxima, Abibeiba regulus incolis imperabat. Loca esse palustria cognouerunt, propterea primarium Abibeibæ reguli atrium, in arbore summa ædificatum erat. Nouum & insuetum habitandi genus. Sed adeò proceras arbores terra illa nutrit, vt inter earum ramos ædificare domos liceat indigenis: vti de aliis apud varios legimus authores, qui æstuante oceano, confugium habebant ad altas arbores: cùm refluente, piscibus vescerentur relictis. Trabibus inter ramos distentis & connexis inuicem, congeriem struunt contra omnem ventorum vim tutam. Putant nostri ob fluuiorum alluuies, quæ ibi crebræ sunt

Ingens arborũ magnitudo.

arboreas domos incolas habere. Est arborum illarum altitudo tanta, quod nulla virilis lacerti vis sit, quæ domum ædificatam, iactu lapidis attingere sufficiat. Nec miror quidem, si Plinio & authoribus aliis crediderimus de arboribus Indicis, quas adeò proceras esse tradunt ob soli vbertatem & aquarũ abundantiam, vt sagitta nequeant superari. Neque enim eius terræ campi, omnium iudicio, cedunt vbertate aut aquarum abundantia vlli telluri, quam sol ambiat. Ex illis arboribus plerasque dimensi, brachiorum ambitu viri septem interdum octo stantes vix complexi sunt. In solo tamen cellas habent vinarias, eo vino, de quo supra diximus, refertas: quia licet ventorum furor minimè potis sit domos illas diruere, aut confringere ramos: conuoluitur tamen quanuis integra, quacunque flatus trahat: vndè vina perturbarentur eo motu. Reliqua secum habent in arboribus. Vina per gradus constructos, arbori inhærentes, famuli ad regulum & primarios prandentes aut cœnantes recentia supportant, non tardiore gressu, ac pede plano nostri pueri nobis ex abaco mensæ vicino ministrant. Abibeibæ arborem nostri adeunt: colloquia ineunt, petunt nostri, vt descendat dato pacis signo: negat Abibeiba, vt se viuere sua sorte sinant, orat. Se post blanditias, diruturos arborem à radice, vel igne supposito crematuros, nisi cum omni familia descendat, nostri minantur. Renuente iterum Abibeiba, securibus impactis arborem quatere incipiunt. Visis ex arbore salientibus assulis ex sectione, mutauit Abibeiba consilium: descendit, sed ipse tantum cum filiis duobus. Agunt de pace, déque auro colligendo. Se aurum non habere, inquit Abibeiba: quod auro non indigeat, & se de auro nunquam fuisse solicitum dicit. Instantibus, inquit Abibeiba: si tanta est auri vestra cupiditas, aurum in vicinis montibus quæritabo, & repertum ad vos feram: gignitur nanque in proximis montibus aurum. Diem statuit quo rediturus esset:

nec statuto die, nec post statutum regressus est Abibeiba. Discedunt ergo indè benè saturi dapibus & vino Abibeibæ, sed minimè auro diuites, vti putauerant. Ab Abibeiba tamen & ditionariis eius ac filiis de aurifodinis & Caribibus siue Canibalibus humana carne vesci solitis, de quibus alias latius, illa eadem accêpere, quæ apud Comogrum regulum audiuerant. Ad millia passuum iterum triginta circiter ascendentes, in Canibalium tuguria, sed vacua penitus cuncta, inciderunt. Cùm nanque sentirent nostros viciniam perambulare, se fortunásque suas humeris ad montana in tutum receperant.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SECVNDÆ, Crediti cōtinentis cap. quintum.

INterea dum per fluuiorum ripas ista geruntur, ex iis quos Vaschus & Colmenares in riuo Nigro Abenamachéij reguli ditione, reliquerant ad terræ custodiam, decurio quidam nomine Raia, siue fame compulsus, siue quod fatalis esset ei ille dies, cum sociis nouem viciniam fuit ausus vestigare. Pagum finitimum reguli, nomine Abraibæ, adiuit. Raiam ipsum & duos è sociis Abraibes trucidauit, cæteri aufugerunt. Post paucos indè dies affinis & vicini Abenamachéij domo expulsi, cui brachium, vt malum malo adderetur, abscidisse peditem in riuo Nigro diximus, Abraibes misertus: profugus nanque ad Abraibem Abenamachéius concesserat, Abibeibam arboreum habitatorem conuenit: qui & ipse domo extorris, nostrorum congressum vitans, per deuia montium & syluarum errabat. Abibeibam compellat Abraibes in hunc

sensum: Quid rei hoc est, Abibeiba infelix? Quæ gens hæc? proh miseros, quæ nos tranquilla pace fruẽtes exagitat? Quousque tandem patiemur horum sæuitiam? nonne satius est emori, quam ea ferre, quæ tu, quæ Abenamacheius affinis noster, quæ Cemacchus, quæ Careta, quæ Poncha, & reliqui nostri ordinis principes ab his paßi sunt? Vxores, filiósque etiam ditionarios captiuos duci, & fortunas omnes in prædam trahi ante oculos? Me nondum attigerunt, sed exemplo aliorum, non longè abesse meam perniciem æquum est credere. Vires igitur nostras & fortunam experiamur in eos, qui Abenamacheium domo expulerunt, & malè tractarunt. Irruamus: ijs trucidatis, fortè reliqui nos adoriri vltra verebuntur, & si tentauerint, hos habebimus ex eorum acie detractos. Quicquid euenerit, æquanimius tolerandum erit.

His & huiuscemodi auditis, Abibeiba in Abraibæ sententiam it pedibus. Diem ad rem gerendam statuunt, sed eis minimè successit ad votum. Ex iis nanque, quos diximus ad Canibales vsque ascendisse, redierant ad riuum Nigrum fortefortuna ea nocte, quæ diem insidiarum præcesserat, viri triginta mißi in auxilium relictorum, si qua vis ingrueret de qua suspicabantur. Eccè vbi primum eluxit, reguli cum ditionariis, armatis more suo quingentis, pagum sublato ingenti clamore impetunt, de recentibus, qui ea nocte venerãt inscij. Nostri scutati ad eos prodeunt: sagittis primo percutiunt dehinc hastis, & comminus ensibus strictis irruunt in aduersos. Gens nuda plures inspectans hostes quam sibi persuaserat, facilè profligatur, trucidatúrque maiori ex parte, veluti grex incompositus. Reguli euaserunt. Captiuos ad Darienem mittunt, quoscunque viuos assecuti sunt. Horum opera vtuntur ad agros sementésque colendas. His actis, & pacata ea prouincia, redeunt secundo flumine ad Darienem: relictis ibi triginta viris in prouinciæ custodiam, duce Furtado quodam decurione: licet decurioni more Roma-

no non ſint addicti præciſè quindecim milites quos regat, centurioníque centum vigintiocto: centuriones tamen vltro citróque centenarium numerum, & vltrò citro quindenum, decurionem eſt conſilium appellare. Nec enim hos ſeruant ordines Hiſpani examuſsim: cogimúrque nomina rebus & magiſtratibus dare. Is ergò Furtadus decurio è riuo Nigro, cui præerat, viginti è ſuis ſociis & vnam fœminam cum captiuis quatuor & viginti, vna tantum ingenti lintre prouinciali demittebat ſecundo flumine ad Vaſchum Præfectum & ſocios. Eccè illos ex tranſuerſo quatuor vru, id eſt, monoxyla impetunt, proſternunt: neque enim parati deſcendebant per fluminis alueum, quia nil tale ſuſpicabantur. Lintrem noſtrorum inuertunt, trucidant quos aſſequi poſſunt. Cæteri obruuntur, duobus exceptis, qui ligna quædam complexi, ad ſocios vſque, ab hoſtium furore lignorum faſcibus, qui per alueum deſfluebant, inuoluti, deceptis hoſtibus, euaſerunt. Ab his duobus ſeruatis moniti, quid rei hoc ſit, ſcrutari omni ſtudio incipiunt: ſoliciti de ſeipſis, meditantéſque ſociorum in riuo Nigro diſcrimen, niſi ſors recentes illos triginta demiſſos, nocte inſidias præcedente ad vicum appuliſſet. Concilia frequentant: in re tam dubia muſsitantes, quid conſilij capiant, haudquaquàm occurrit. Sagaci tandèm indagine veſtigando intellexerunt, regulos quinque, putà Abibeibam paluſtris arboris incolam, Cemacchum vico, quem noſtri habitant, ſpoliatum, Abraibem & Abenamacheium affines, riui Nigri accolas, & Dabaibam piſcatorum anguli ſinualis, quem diximus Culatam appellari, dominum, de trucidandis ſtatuto die Chriſtianis cõueniſſe. Et quippe ceſsiſſet, niſi vetuiſſent ſuperi. Miraculo aſſcribitur, & quidem non iniuria, ſi piè librauerimus, quonam pacto ſors regulorum conſilium patefecerit. Auditu dignum eſt, propterea rem breuibus pandam ordine ſuo. Vaſchus ille Nunnez, qui magis vi quàm ſuffragiis

principatum in Darienenses vsurpauerat, egregius digladiator, inter multas quas rapuerat fœminas prouinciales, vnam præter cæteras habebat forma eximia. Ad eam ibat ac redibat frequens germanus eius, qui Cemaccho regulo familiaris erat palatinus: domo & ipse priuatus patria, sororis amore stimulatus, inter loquendum hæc verba protulit: Dilecta mihi soror, dilecta, ausculta meis dictis, & celato, quæ referam, si tibi mihíque, vniuerso etiam generi nostro benè consultum iri desideras. Est horum hominum, qui nos auitis laribus propellunt, insolentia tanta, vt nullo pacto eos ferre vltrà constituant terræ principes. Ducibus quinque regulis (regulos ordine suo nominatim enumerauit) ad rem gerendam, centum esse vru paratas: mari terráque multitudo armatorum ad quinque millia cogetur. Ad exercitum nutriendum commeatus in vico Tichiri coaceruantur. Diuisisse etiam regulos inter se ex composito nostrorum & capita & facultates, enarrat sorori bonus frater. Propterea monet, vt statuto die in tutum se recipiat, occasionem nacta aliquam, nè in confuso trucidetur. Nescit nanque victor miles occurrenti cuiquam ignoscere. Et diem cædi addictum, puellæ sorori patefacit. Puella verò, quia ferrum est quod fœminæ obseruant, magis quàm Catonianam grauitatem, siue quod Vaschum amaret, siue quod vereretur, parentum & propinquorum omnium & vniuersæ viciniæ oblita, regulorum etiam quibus gladium iugulo tenus imposuit, Vascho rem omnem aperuit, nil eorum prætermisit, quæ imprudens germanus disseruerat. Re intellecta, datur opera per Fuluiam, vt frater reuertatur. Accitus à sorore, ilicò regressus est. Capitur, fateri cogitur: Cemacchum regulum herum suum quatuor illas vru ad nostrorum perniciem misisse, Cemacchique consilio paratas esse insidias, apertè fatetur. Struxisse etiam Cemacchum particulatim interitum ipsi Vascho, dato in mandatis quadra-

ginta ditionariis suis, quos in amicitiæ pignus ad Vaschum miserat, ad colendum Vaschi agros, serendos, more patriæ, ut marris interficerent. Solebat Vaschus adire fossores, uti moris est bonorum œconomorum, quo animum præberet ad laborẽ ferendum. Ditionarij tamen heri reguli mandatum exequi haudquaquam ausi sunt, quia nunquam pedes aut inermis ad eos profectus esset Vaschus. Equam nanque habebat, qua visebat agricolas, & lanceam dextra gestabat semper suo patrio more. Quare frustratus particulari consilio Cemacchus, hoc ultimũ aggressus est, sibi uniuersísque finitimis perniciosum. Coniuratione nanque patefacta, Vaschus ipse septuaginta vocat viros: se sequantur, edicit. Quo tendat, quidve statuerat, nemini palam facit. Ad Cemacchum primò tendit, qui agebat ab ipsis millia passuum decem. Sed esse apud Dabaibam palustrem Culatæ regulum profugum intellexit. Sacchũ eius, id est, primariũ affinẽ palatinum (sic enim primarios appellãt uti regulos chebi) cũ cæteris familiaribus præhendit, captiuos ducit. Aliquot ibi tam mares quàm fœminas reperit. Eádem hora qua ipse, Cemacchum quæsiturus pedem è terra mouit, Rodericus Colmenares, aduerso flumine cum vru quatuor & viris sexaginta, duce puellæ fratre, tetendit: vicum

Tirichi adoritur Tirichi appellatum, in quo diximus cogi commeatus ad alendum exercitum. Vicum occupat: quicquid ibi coaceruatum erat, putà vini diuersorum colorum, uti apud Comogrum diximus, & ex omni genere panis, reliquorúmque edu liorum prouincialium, in suam potestatem reducit. Sacchum Tirichensem, cuius veluti per prætorem exercitus res patranda erat, vnà & quatuor primarios præhendit: imparatos nan que reperit: Suspensum ab arbore, quam ipse coluerat, Sacchũ sagittis configi ante oculos incolarum, & primarios patibulis colligari, iussit Colmenares, ad aliorum exemplum. Hac pœna

coniuratis illata, formidine tanta repleuit prouinciam vniuersam, quod nullus est iam, qui audeat erigere vel digitum contra torrentem nostrorum iram. Pacatò iam viuunt: subdũt colla libentes cæteri reguli: neque vltra sæuitum est in reliquos. Ex hostium horreis & cellis vinariis refertis in Tirichensi vico, geniales egerunt dies aliquot.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SEcundæ, Crediti continentis cap. sextum.

Post hæc vocatis in concionem sociis, omnium suffragiis sancitum est, vt procurator aliquis ad Hispaniolam, vnde ius & auxilia expectant: deindè in Hispaniam ad regem mittendus deligatur: qui seriem rerum omnium Almiranto & gubernatoribus, regi deindè proponat: nitatúrque regi persuadere de mittendis mille hominibus illis quos iuuenis Comogreus ad traijciendos montes, australem plagam ab eis dirimentes, opus esse dixerat. Ambiuit sibi Vaschus Nunnez procuratorium id munus, sed minimè sociorum suffragiis id assequi potuit neque factionarii eius assensi sunt, vt indè discederet, cum quia se desertos arbitrarentur, tũ etiam quia immurmurabant omnes, Vaschum, si semel indè euaderet, ad eam calamitatum combustionem nunquàm rediturum, exemplo Valdiuiæ ac Zamudii, quos à mense Ianuario miserant, putabántque deliberatò noluisse reuerti. Sed aliter, vti suo loco dicemus, res se habebat: nam perierant. Scrutiniis igitur variis inter se diù contendunt. Deligunt tandem Ioannem quendam Quicedum, virum grauem & maturum ætate, fisci regij Quæstorem in illis

terris. In hoc Quicedo fidem habebant summam de re benè gerenda: de reditu etiam, quia vxorem ad eas regiones secum duxerat, quam in pignus sui regressus in sociorum potestate relinquebat. Quicedo electo, de collega illi præbendo, diuersæ surgunt sententiæ. Maximo esse discrimini, inquiunt aliqui, rem tantam locare in vnius viri manibus: non quod Quicedo diffidant, sed quia sit vita hominum fragilis, ipsis præcipuè iam æquinoctiali vicinæ temperiei assuetis, si cogantur ad septentrionem reuerti ad varias aëris & ciborum mutationes. Dandum ergò esse collegam Quicedo censent, vt vno deficiente, quod facilè potest accidere, supersit alter: vtque duorum relatui, si ambo euaserint, firmior a rege fides adhibeatur. In diuersa studia rem distendunt. Sors tandem in Rodericum Colmenarem, de quo sæpè mentionem fecimus, cecidit, quia polleret rerum experientia. Percurrerat nanque ab adolescentia ac iuuentute mari ac terris Europam vniuersam, & rerum in Italia gestarum in Gallos, fuerat particeps. Non infirmior tamen illis causa visa est, qua sperare deberent Colmenarem, si viueret, rediturum, quod in Dariene maxima sibi prædia comparásset, maximásque sementes iactas relinqueret, quibus vendendis sicco pede speraret se aurum promercale à sociis consecuturum. Reliquit igitur curam rerum suarum contubernali cuidam suo Matritensi municipali Alfonso mei hospitis filio vnico, Nunnez nomine: qui iuris dicendi prætor erat, & ferè sociorum suffragiis fuerat procurator electus pro contubernali Colmenare: perfectúmque fuisset: nisi sponsam Nunnez ipsum habere Matriti, è sociis vnus patefecisset. Veriti nanque sunt, nè sponsæ lachrymis deuinceretur, & abiret non rediturus. Colmenare igitur libero viro electo Quicedi collega, bergantinum ambo, neque enim grandius iam vllum nauigium habebant, ingrediuntur quarto calendas Nouembris anni duodecimi supra quingentesimum & millesimum

Cōsuetum aerem mutare, periculosum.

1512.

millesimum à nostra redemptione. Ex itinere variis agitati tempestatibus, vi ventorum proiecti sunt ad occidentale littus eius vastæ insulæ diù creditæ continentis, quam in prima decade Cubam diximus appellari. Egestate iam summa premebantur ob diuturnitatem temporis: agebatur nanque tertius iam mensis à discessu à sociis: terram captare coguntur, vt si qua reperiant, ab indigenis auxilium experiantur. Fortè ad eam eius insulæ oram appulsi sunt, in qua & Valdiuia tempestatibus quassatus terram captauerat. Proh miseri: expectate Darienenses, Valdiuiam vt vestris ærumnis mederetur missum, expectate. Appulsum Cubenses incolæ cum sociis omnibus ad vnum trucidârunt, & discerptam in littore carauelam qua vehebantur, reliquerunt. Super repertas quasdam carauelæ tabulas arena semiobrutas, Valdiuiam & socios deplorarunt. Cadauer nullum offenderunt: putant vel in mare proiecta, vel Canibalibus edenda præbuisse recentia. Eas nanque regiones Canibales sæpè incursitant edendorum hominum causâ. Ab insularibus duobus, quos deprehenderunt Valdiuiæ intellexerunt perniciem, auri etiam cupiditate, quod habere Valdiuiam incolæ ab loquace è sociis vno cognouerat, pellectos, de patrando tanto scelere cogitâsse suos conterraneos, duo illi professi sunt: aureis nanque & isti monilibus oblectantur. Truculenta sorte perculsi, quia præcipuè frustra sociorum vltioni intendissent, aufugere crudeles terras & auaram nudorum hominum sæuitiam constituunt. Iter ergò suum, mœsti ob causam sociorum, penuria rerum laborantes prosequuntur. Priusquam Cubæ latus illud meridionale superarent, mille illis aduersi casus acciderunt: & Fogedam intellexerunt appulsum, & ipsum per ea littora infelicissimam transegisse vitam tempestatibus quassatum, aiunt: per mille anfractus, ærumnarum mille genera fuisse perpessum: dehinc penè solum, sociis amissis vel fame anhelantibus in

diuersa relictis, vix viuum ad Hispaniolam deuectum, veneníque tandem atrocitate ex illo vulnere, quo percussum diximus ab incola Vrabensi, proiecisse animam. Ancisus vero prætor electus, secundiore fortuna terras easdem peragrauit. Se optatos ventos inter ea littora offendisse, mihi assensus est in curia, & ab incolis Cubæ se fuisse benignè susceptum, iactitauit: sed in Cacici cuiusdam præcipuè dominatu, cui nomē est Commendatori. Is cum baptizari à transeuntibus Christianis peteret, quo nomine Hispaniolæ vicinæ insulæ gubernator appellaretur, interrogans, Commendatorem nominari audiuit. Erat enim eo tempore, quo is voluit baptizari, gubernator quidam egregius vir ordinis equestris militiæ Calatrauæ: cuius institutionis equites, Commendatores appellantur. Optauit prætereà cacicus ille, id est regulus, appellari Commendator. Commendator igitur iste insularis Ancisum ad se appulsum, benignè suscepit hospitio, & oppleuit necessariis ad victum. Sed quid de religione sanctimoniáque ibi Ancisus seruari didicerit ab incolis, tu sanctissime Pater, cuius dextra religionem sanctimoniámque induimus, accipito. Nautam ignotum malè se habentem, per Cubensia littora faciētes iter è nostris quidam, reliquerant apud Commendatorem regulum. Nauta in honore habitus à regulo & eius ditionariis, valetudine recuperata, Commendatoris Præfecturam in bellis gerendis sæpè exercuit: mutuis nanque sese inuicem conficiunt præliis: & victor euasit semper. Is licet literarum ignarus, bono animo vir, beatam Virginem Deiparam pientissimè colebat, & secum perpetuò consutum in pectore Virginis ipsius in charta pulchrè depictum gestabat simulacrum. Eam pietatem victoriam sibi semper peperisse Commendatori significauit: atque vna Commendatori persuasit, abiiciendos esse Zemes omnes, quos ipsi colerent, quia nocturnos lemures anima-

rum nostrarum voratores infensissimos referrent: beatámque Virginem Deiparam patronam sumerent, si felici ductu res suas omnes bello & pace iri gubernatum optarent. Defuturam nullo tempore Virginem Deiparam, si corde pio numen eius inuocauerint. Facile nudis gentibus nauta persuasit. Virginis ergò simulacrum regulo roganti dono dedit, cui & ædē & altare dicauit: Zemibus, quos auitos colebant, posthabitis. De Zemibus, Pater beatissime, ex gossampino ad nocturnorum lemurum, quos familiariter passim vident & alloquuntur, similitudinem contextos, & eodem gossampino in miram duritiem interius constipatos, in decimo nostræ decadis libello latissimè. Ex nautæ instituto, sole vergente ad occasum, Commendator ille regulus & vniuersi eius ditionarij vtriusque sexûs, domum Mariæ Virgini dicatam adeùt quotidiè. Ingressi flexis genibus, capite reuerenter obstipo & manibus iunctis simulacrum his verbis multiplicato salutant: Aue Maria, aue Maria. Pauci nanque ex eis, plura proferre eius orationis verba didicerunt. Ancisum itaque & socios adeuntes, dextra præhensos ad dicatam domum alacres ducunt: se illis mira ostensuros inquiunt. Simulacrum digito monstrauerunt, monilibus & fictilibus vasis, eduliis & aqua plenis, per podia circunseptum. Hæc nanque simulacro, sacrificij loco, donant ex auita religione erga Zemes. Inquiunt, ea se simulacro præbere, nè, si fame vrgeatur, desint cibaria. Fame vrgeri posse simulacrum, integro sensu putant. Sed quid auxilij à simulacri numine, hoc est, à beata Virgine, se fateantur habuisse, auditu pulcherrimum est: & medius fidius, beatissime Pater, pro certo habēdū: tātus est enī, ex nostrorū relatu, pietatis erga Deiparā Virginē in his simplicibus incolis feruor, vt ad se laborantes in prælio, præcipuè contra suos hostes, penè dixerim, cogant è cælo descendere: quandoquidem precium, quo

Sic nimirum fit, vtre ligio alia in aliā mutata, ex priore plurima seruet.

emere ipsum & suos cælites possimus, reliquit hominibus Deus, pium scilicet amorem & charitatem ardentem. Quonam igitur pacto poterit vllo tempore deesse beata Virgo, præsidium eius pura fide inuocantibus? Anciso & sociis Commendator & palatini eius omnes asseuerant, conserta manu, nauta duce, simulacrum portante secum, Zemes hostium in conspectu simulacri virginei, omnibus rem intuentibus, versa facie intremuisse. Zemes enim quíque suos ad prælium in auxilium portant. Nec simulachrum modò, sed viuentem

Miracula pugnæ tẽpore.

fœminam candidis vestibus pulchrè amictam, pugnæ tempore auxilia ferentem in hostes, se vidisse asseuerant. Fatentur itidem hostes, ex aduerso sceptratam & minacem apparuisse, suis hostibus fauentem, mulierem: cuius adspectu præcordia sibi horrescere sentiebant. Posteà verò quam abiuit nauta, ab adeuntibus ea littora Christianis susceptus nauigio, seruâsse ad vnguem nautæ instituta se, Commendator fatetur. Cum finitimis exortam esse diram contentionem de Zemibus retulit: puta quinam Zemes esset alio sanctior ac potentior, supérque hac disceptatione certatum fuisse aperto Marte sæpius cũ finitimis: sed beatam Virginem defuisse nunquam, quin ingruente certamine affuerit, attulerítque contra maximas hostium copias parua manu facilem victoriam. Quibus verbis clamore sublato in hostes irruerent, interrogati: se nil aliud vnquam ex nautæ doctrina protulisse, quam, sancta Maria adiuua nos: sancta Maria adiuua nos: idiomate tamen Castellano. Id enim in omnium ore liquidè prolatum nauta reliquerat. Dum ita sese inuicem crudeliter trucidarent, pacto fœdere conuentum est: non vt singulari electorum ex vtroque exercitu certamine, vt sæpè Romanis, multísque aliis contigit apud antiquos: aut sagaci aliquo consilio res decerneretur: sed vt alternè ex vtroque populo manibus post terga ligatis, & ad vincientis arbitrium post terga innodatis vinculis, in

aperto agro singuli iuuenes sisterentur, eúmque meliorem esse Zemen aduersi annuerent, qui suæ partis colligatū iuuenem celerius liberaret. Sancito fœdere, iuuenes alternè vinciunt duos: Commendatoriani aduersum, aduersi vero Commendatorianum: ter idem tentâsse inquiunt, térque inuocatum sui Zemis dæmonem, ad ligatum ex aduerso accurrisse, vtroque vincto inspectante. Sed proclamante Commendatoriano assuetam appellationem, sancta Maria adiuua me, sancta Maria adiuua me: aduentâsse ilicò candidatam Virginem: & fugato dæmone, imposita virga, quam manu gestabat, in Commendatoriani vincula, solutum subitò fuisse ante alterius oculos Commendatorianum, transisséque in aduersum ea vincula, quibus erat Commendatorianus ab hostibus innodatus, ita quod hostes repererint liberatum aduersæ partis iuuenem, suū vero duplicibus adstrictum vinculis. Sed neque his contentos referunt hostes, præstigiis nanque id agi humanis arguunt, nō melioris numinis aduenientis potestate. Vt igitur viri graues ætate ac moribus pollentes, ab vtroque populo quatuor adsint in prospectu ligandorum iuuenum, qui an fraus insit, necne, dijudicent, expostulârunt hostes. O simplicem, ô puram animorum benignitatem, ô auream, ô beatam simplicitatem. Annuit hostium postulatis cum suis familiaribus Commendator, ea fide, qua petiisse salutem sanguinis alluuie valetudinariam: qua petrum, cuius beatissime Pater vicem geris, siccis pedibus viso Domino fluctus calcasse didicimus. Fœdus icitur, vinciuntur iuuenes, viris grauibus octo adstantibus: statuto limite locantur. Dato signo, suum quisque Zemen appellat, in auxilium vocat. Aduentantem sui Zemis dæmonē caudatum, hiatu vasto dentatum, cornutum, Zemen ipsum manufactum æmulantem, & ligati & spectantes cernunt, volentem è vinculis iam soluere sibi dicatum iuuenem. Ad proclamantis Commendatoriani vocem præsto fuit beata Vir-

Incredibilia miracula.

go, viris grauibus protentis oculis ad rem tendentibus animũ: assueta facit virga in aduersum, fugato dæmone, transilire sui clientis vincula. Perculsi tanto miraculo Commendatoris hostes, Virginis Zemen suo Zeme digniorem esse fatentur. Eius rei argumentum est, quod audito Christianorum appulsu ad eas terras, pagani Commendatori finitimi, qui cum eo capitalia odia exercuerant, & sæpè conflixerant, oratores ad Ancisum miserunt, rogatum, vt sacerdotes ire iuberet, qui eos baptizarent. Duos quos secum habebat Ancisus properè mittit. Centum triginta vno die ex Commendatoris quondam hostibus, tunc amicis & affinibus, baptizarunt. Gallinaceum genus apud hos incolas nostrorum industria coaluisse diximus. Quicunque ad baptismum confluxerant, sacerdotibus gallinam offerebant, aut gallum: caponem haudquaquam. Neque enim, vt capones efficiant, castrare pullos adhuc didicerunt. Salsos etiam pisces, & ex pane recentes afferebat quisque placentas, vna cum altilibus. Redeuntes ad littus sacerdotes illos, sex homines ex baptizatis, muneribus onusti, comitati sunt, quibus lautum pascha peregerunt. Ante Lazari nanque Dominicum diem, biduo tantum ex Dariene discesserant: & vltimum Cubæ angulum cuneatum, ab Oriente Hispaniolæ vicinum, eo tempore abradebant. Commendatoris rogatu, relictus est apud eum vnus è sociis, libens tamen, non alia de causa, quam vt ipsum ditionariósque suos, & finitimos, si accesserint, angelicam salutationem edoceat. Arbitrantur nanque se maiori curæ fore numini Deiparæ virginis, quo plura eius orationis verba didicerint. Assensus est Ancisus Commendatori: & his actis, iter suum ad Hispaniolam, cui iam proximus erat, prosecutus est. Dehinc ad regem in Valladolæto morantem, se contulit, vbi mecum versatus est familiariter, & in Vaschum Nunnez gladiatorem acriter concitauit: promulgatáque fuit in eũ aduersa sententia. Anciso procu-

rante. Hæc volui, beatißime Pater, de incolarum religione recensuisse: quæ non ab Anciso solum, verumetiam à pluribus alijs authoritate pollentibus viris scrutatus sum: quô intelligat Beatitudo tua, quàm docile sit hoc genus hominum, quámque facilis pateat eis ad nostræ religionis ritus imbuendos aditus. Nequeunt ista fieri repentè. Paulatim ad Christi legem euangelicam, in cuius culmine sedes, trahentur omnes: & tui gregis oues multiplicatas indies magis ac magis, beatißime Pater, intelliges. Iam Darienenses procuratores repetantur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SECVNDÆ, Crediti continentis cap. septimum.



ST ab Dariene ad Hispaniolam octo dierum, & interdum breuior, si flauerint in puppim placidi venti, nauigatio. Eam vix centum diebus procellarum causa procuratores peregerunt. Paucos nanque dies in Hispaniola commorati, mandatis Almiranto & gubernatoribus expositis, paratas ipsis adeuntibus mercatorias naues, quæ frequentes ad Hispaniolam eunt & redeunt, ascenderunt: nec ante calend. Maii alterius anni ab eorũ discessu, ex Dariene ad curiã profecti sunt. Duo igitur Darienensiũ procuratores Quicedus & Colmenares, mẽse Maioanni decimitertij & quingẽtesimi à millesimo curiã ingressi sunt. 1513. *Ioãnes vero Fonseca (cui ab initio curãdæ negociationis huius fuit onus demãdatũ: quẽ ob fida in reges obsequia in Pacensẽ, dehinc Cordubensẽ, post Palantinũ & vnà Rosanũ Antitistem, alij pontifices: nunc tua Sãctitas in Burgensem, erexistis: & quia sit regiæ domûs capellanus maior & con-*

filiarius, indulti regij cruciatæque regibus contra Mauros concessæ generalem commissarium creastis) venientes Quicedum & Colmenarē ab orbe diuerso, à gentibus nudis, à terris aliâs ignotis, suscepit honorificè. Burgensis ergo antistitis patrocinio Quicedus & Colmenares à catholico rege audiuntur. Quæ attulerunt, regi palatinísque omnibus auditu grata fuerunt, ob rerum nouitatem. Et apud me sæpè cōtubernati sūnt. Darienensis aëris inclementiam horum vultus testantur: flauescunt nanque similes ictericis, & turgescunt. Sed ipsi præteritæ id ascribunt egestati. Ab iis procuratoribus & Anciso, Zamudióque: altero etiam Baccalario iurisperito, qui Baëcia dicebatur, & terras illas peragrauerat: & à Vincentio AnneZ nauium patrono, littorum omnium illorum perito: & Alfonso Nigno, multis prætereà gregariis, qui ductu eorum eas oras adnauigauerant, quæcunque gesta sunt intellexi: nullus nanque ad curiam rediit vnquam, qui non fuerit delectatus & voce viua & scriptis mihi, quæcunque ipsi didicissent, patefacere. Ego verò è multis quæ quisque mihi recensuit, prætermißis memoratu minimè dignis, illa tantum colligo, quæ meo iudicio satisfactura historiæ amatoribus arbitror. In tanta quippe rerum magnitudine, multa necessariò emergunt, quæ, nè nimis longa texatur oratio, prætereunda iudico. Sed ad effectum, quem procuratorum aduentus pepererit veniamus. Priusquam ij procuratores aduentarent, fama relatum erat, primarios illos præfectos Nicuesam & Fogedam, Ioannem etiam à Cossa, tanti momenti virum, vt regio diplomate nauium magister appellatus sit regius, infelici sorte perisse: dißideréque inter se paucos illos superstites in Dariene: ita vt neque trahendis ad fidem nostram simplicibus illis gentibus studeretur, neque de vestiganda natura terrarum curam gererent. Fuit consilium mittere ducem, qui rem deperditam, sublato imperio iis qui iniussu regio imperium vsurpauerāt,

restitueret. Eligitur ad prouinciam hanc capessendam Petrus Arias Abulensis, ciuis autem Segouiensis, cui est inter Hispanos antonomasicè nomen inditum lustatori: quia egregius fuerit à iuuentute hastilusor. Vulgato per procuratores Darienenses, in curia, quanti momenti res sit, tollere Petro Ariæ ducatum è manibus, multi apud regem pertinaciter institerunt. At capellanus maior Burgensis antistes, cuiā interest, vti iam diximus, huic negocio laboranti præbere remedia: regem adiens, re intellecta, his verbis compellauit: Cùm Petrus Arias forti animo, rex catholice, tuæ maiestati sub incerta discrimina trahendam obtulit vitam, sciamúsque longo experimento militibus regendis aptum esse: sed in Africanis certaminibus præcipuè, in quibus se gessit vti strenuū decet militem, & sagacem militiæ Præfectum oportuit: impium fore iudicarem; si cuiusquam alterius auaritia tantùm excitati causa, hic exauthoraretur. Eat vir bonus iste dextris auibus, eat tuæ maiestati fidus alumnus, in regia educatus à teneris. Ex Burgensis igitur episcopi consilio rex, Petri Ariæ cum amplioribus mandatis firmauit electionem. Mille ducentos bello aptos milites stipendio regio Burgensis episcopus conscribit Petro Ariæ. Ex iis plerosque duxit è curia, discessítque ex Valladoleto circiter calend. Octobris anni tertii decimi supra quingentesimum à millesimo, Hispalim vrbem, vulgò Siuillam appellatam, multitudine ciuium & opulentia insignem, profecturus: vbi per regios magistratus, & militum supplementum, & commeatus, reliqua etiam ad rem tantam facientia, sunt illi tribuenda. Habet enim rex in ea vrbe ad oceanea tantum negocia domum erectam, ad quam euntes redeuntésque negociatores confluunt, de ijs quæ ad nouas terras important, déque auro indè relato rationem præbituri. Domū vocant Indicæ Contractationis. Reperit Petrus Arias Hispali

forte Hastatori.

Petro Ariæ 1200. milites concessi.

Dom⁹ Indicę contractationis.

coacta iuuenum duo millia amplius: auarorum etiam senum non exiguum numerum: è quibus multi sese Petrum Ariã propria pecunia sine stipendio regio secuturos obtulerunt. Sed nè nimium disteinata nauigia onerarentur, ne ve commeatus aliquando deficerent, traiiciendi libertas ablata est. Est prætereà cautum, nè alienigena quisquam iniussu regio commisceatur Hispanis. Propterea fui admiratus, Aloisium quendam Cadamustum Venetum, scriptorem rerum Portugallensium, ita perfricata fronte scripsisse de rebus Castellanis, Fecimus, Vidimus, Iuimus: quæ neque fecit vnquam, neque Venetus quisquam vidit. Ex tribus meæ decadis primis libellis, ad Cardinalem Ascanium & Arcinboldum, quibus eram cõterraneus quandò illa fiebant, scriptitata ea excerpsit & suffuratus est, existimans nostra nunquam preditura in publicum. Potuit & fortè apud oratorem aliquem Venetum in eos libellos incidisse. Celebres nanque viri ab illustrißimo senatu illo mißi sunt ad reges hos catholicos: quibus ego ipse illa ostendebam libens: vtque exemplaria ab eis caperent, facilè assentiebar. Vtcunque sit, bonus vir Aloisius Cadamustus, alieni laboris fructum sibi studuit vendicare. De Portugallensium inuentis quæ quidem admiranda sunt, an visa, vti ait, annotauerit, an ab alterius eodem modo vigiliis subtraxerit, non est meum vestigare. Viuat & ipse Marte suo. Nullus ergo mare conscendit in ea militum copia, qui non fuerit à regiis magistratibus conscriptus. Censiti tamen sunt extra ordinem plerique, inter quos & iuuenis quidam, nomine Franciscus Cotta, conterraneus meus: sed adepto meo supplicatu diplomate regio, quo vt illum aduenam cum Petro Aria traiicere sinerent, magistratibus imperabat: aliter haudquaquam licuisset. Eat ergo Cadamustus Venetus, & se cuncta vidisse scribat: cùm sex & viginti annorum, quibus huic catholico regi non malè gratus semper adstiti, authoritas vix va-

Aloisi⁹ Cadimustus carpitur.

luerit ad impetrandum de transitu aduenæ diploma. Ex Genuesibus aliquibus, (sed quidem paucis) ob Almirantum primi earum terrarum repertoris filium, ea impenditur venia: cæteris minimè. Conscendit igitur mare Petrus Arias per Bætim Hispalim interluentem, secundo flumine circiter anni principium millesimi quingentesimi quartidecimi. Sed malè auspicatò soluit. Tanta classem eam tempestas adorta est, vt naues duas discerpserit: & è reliquis deiicere in mare commeatuum partem ad naues exonerandas fuerint coacti. Superstites ad Hispana littora retrocesserunt. Sed ilicò à regiis magistratibus refecti, remissi sunt. Prætoriæ nauis, iussu regio, magister nauclerus erat Io annes Vespucius Florentinus, Americi Vespucii, de quo supra, nepos: cui patruus hæreditariam reliquit artis naucleriæ graduúmque calculi peritiam. Secundioribus ventis, ex Hispaniola relatum est, oceanum illos suscepisse. Veniens nanque nundinaria nauis, iam captare volentes Hispaniolæ vicinas insulas, eos offendit. Interea tamen dum stimulatores mei Galeacius Butrigarius, & Ioannes Cursius tuæ sanctitatis studiosissimi, paratum se habere tabellarium, qui nostras has oceaneas malè comptas Nereides, sit delaturus ad Beatitudinem tuam, ne tempus teramus incassum, pleraque alia postergata, memoratu digna tamen iudicio meo, licet non locata suis sedibus, recensebo. Petrus is Arias ductor vxorem habet, cui nomen est Elisabeth à Boadilla, ex fratre neptem, Boadillæ Marchionissæ à Moia: quæ vrbem Segouiam Fernando & Elisabethæ regibus, Portugallensibus Castellam inuadentibus, tradidit: vnde vires ad resistendum primo, dehinc ad bellũ aperto Marte Portugallẽsib⁹ inferẽdũ propulsandosq́ ipsos, sũpserũt: ob thesauros quos ibi Henricus rex Elisabethæ, reginæ frater, coẽgerat. Bello & pace Marchionissa hæc dum viueret, virilem ostendit animum, & eius consilio

1514.

præclara multa gesta sunt in Castella. Huius est neptis ex fratre, Petri Ariæ vxor. Amitam magnanimitate neptis æmulata, discedere ad ignotas orbis oras & vastos terrarum pelagíque discursus parantem se, maritum his verbis compellat: Dilecte coniunx, maritali iugo nos fuisse à iuuentute nostra coniunctos hac lege, arbitror, vt vnà, non seiunctim, vitam ageremus: quacunque te fata trahent, siue per vndosos oceani furores, siue per horrenda terrarum discrimina, comitem me tibi futuram scito. Nullum mihi potest periculum imminere adeo atrox, nullum genus mortis occurrere, quod mihi non sit multo leuius perferendum, quàm à te tanta locorum intercapedine me semotam viuere. Emori semel satius est, & in mare piscibus, aut in terram Canibalibus vorandam proijci, quam continuo luctu & perpetuo mœrore, non maritum, sed mariti literas expectando, contabescere. Mea est hæc non temerariè, non ex tempore, non fœmineo raptu excogitata, sed maturè librata sententia. Vtrum malis eligito: vel iugulum mihi gladio impete, vel meis postulatis assentire. Nec filiorum quos Deus nobis præstitit, (quatuor enim mares & fœmellas totidem relinquebant) vel momento me retardabunt. Auitas illis & dotales opes, quibus queant inter sui ordinis equites vitam agere, relinquemus. De cætero nil mihi curæ. Hæc vbi virilis animi matrona disseruit, videns maritus fixũ vxoris animum ad ea perficienda quæ dixerat, contraire postulatis minimè ausus est, sed vxoris tantæ propositum commendauit. Secuta est ergò, vti suum Ipsicrateia scißis crinibus Mithridatem. Amat viuum hæc, vti mortuum Alicarnassea Caria, Mausolum suum Artemisia. Intelleximúsque non infirmiore pectore oceanea murmura Elisabetham Boadillam generosam, molli pluma (vt est in prouerbio) educatam, perferre, ac maritum, aut è nautis inter marinos fluctus educatis quenquam. Sunt & alia è postergatis quæ referam.

Ad iam discessurum maritũ vxoris impensè amãtis oratio.

In prima Decade mentio facta est non vulgaris de Vincentio Annez Pinzono. Is Christophoro Colono Genuensi, posteà Almiranto, in prima nauigatione fuerat comes. Per se & pecunia sua postmodum, cum diplomate ac venia regia, vti est in Decade, vno tantum nauigio explorauit. Anno priore à discessu ducum Nicuesæ & Fogedæ, iterum tertiò tractus illos percurrit ex Hispaniola. Hic Vincentius Annez meridionale Cubæ latus vniuersum ab Oriente perlustrauit ad Occidentem: & Cubam, à multis ad ea vsque tempora, ob suam longitudinem, continentem putatam, circuiuit. Itidem & alij plures se fecisse aiunt. Vincentius Annez cognito iam experimento patenti, Cubam esse insulam, processit vlterius, & terras alias ad Occidentem Cubæ offendit: sed tactas prius ab Almiranto. Quare implicitus noua terra, in læuam conuersus, illius terræ littora per Orientem abradens, Beraguæ, Vrabæ & Cuchibacoæ sinuum fauces transgrediens, ad regionem, quam diximus in Decade Pariam appellari, & Os Draconis, nauim suam qua vehebatur, applicuit: ingressúsque est vastũ sinum, à Colono tactum, dulcium aquarum & piscium copia insularúmque multitudine celebrem, ab Oriente à Curiana distantem milliaria centum triginta circiter: in quo tractu sunt mediæ Cumana & Manacapana: quibus principatum de margaritis plerique donant, non Curianæ. Facti certiores de nostrorum aduentu regionis eius reguli, qui Chiacones, vt in Hispaniola cacici, appellantur, exploratum mittunt, quæ gẽs hæc noua sit, quid ve noui afferat, quid velit: atque vnà lintres vniligneas (quæ monoxila esse diximus in Decade, vti de canóis Hispaniolæ) parari iubent armatas. Lintres isti chicos appellant. Stupuerunt quippe visis eius nauis protentis velis: neque enim ipsi velis vtuntur vllis: & si vterentur, exiguis vti opus esset ob lintrium angustiam. Suis ergo monoxylis pluribus ad nauim vectis, sagittis ausu temerario nostros,

adhuc ſpondarum repagulo vti mœnibus tutos, configere aut perterrefacere exiſtimarunt. Noſtri bombardas in illos excutiunt, quarum tonitribus & vaſta ſtrage quando feriebant, attoniti, ſeſe ipſi profligârunt. Diſperſos & fugientes noſtri per nauis cymbam ſeruitoriam aſſequuntur, & trucidant quoſdam, plures capiunt. His intellectis, & tormentorum mugitibus auditis, reguli oratores ad Vincentium Annez mittunt, veriti vicorum ſuorum direptionem, & hominum interniciem, ſi deſcenderent irati ex naui. Pacem orant, quantũ per ſigna & nutus colligerè poſſunt. Neque enim verbum vllum noſtri ſe intellexiſſe fatentur. In pacis optatæ ſignum noſtros egregiis muneribus donârunt: vtpotè auri tribus millibus ponderis eius, quod nummum Caſtellanum vocari diximus, vulgò peſum appellatum: & pleno maſculi thuris præſtantiſsimi ligneo dolio librarum octuncialium circiter bis millium ſexcentarum: quarè thuris feracem eſſe terram cognouerunt. Neque enim incolis Pariæ cum Sabæis eſt quicquã commercij: quippe quibus nihil penitus notum eſt extra ſua littora. Cúmque auro & thure & pauonibus patriis, à noſtris tamen diſsimilibus colorum varietate, fœminas viuas ad ſobolem nouarum volucrum procreandam in Hiſpania, & è maſculis numerum ingentem ad præſentem edendi vſum præbuerunt. Supellectilia etiam goſſampina quædam ad domorum ornatum pro aulæis, miris modis & coloribus diuerſis laborata, quibus erant pendula ſparſim per fimbrias appẽſa aurea tintinabula, id genus, quod vulgus Italum vocat ſonaglios, Hiſpanum caſcaueles. Loquaces quoque pſittacos variis coloribus quotquot placuit, dederunt. Eſt nanque pſittacorum apud Parienſes non minor copia, quàm apud nos palumbium aut paſſerculorum. Hos incolas omnes genu tenus mares, fœminas ſurarum tenus, goſſampinis veſtibus amictos ſimplicibus repererunt: ſed viros more Turcarum inſuto minu-

tim goßipio ad belli vsum duplicibus. Dico goßipium id lanuginis genus, quod alias bombycinum appellatione vulgari Itala dixi: asscripturíne sint ignorantiæ, an incuriæ, pleraque similia Latinißimi viri qui Adriaticum incolunt aut Ligusticum, si ad eorum manus nostra deuenerint aliquando, vti primam Decadem vidimus, nobis inconsultis, impressorũ prælis suppositam: neutro cruciari statuo ad summum: volóque sciant, me Insubrem esse, non Latium, & longè à Latio natum, quia Mediolani: & longißimè vitam egisse, quia in Hispania. Idem velim dictum genuinis Adriaticis siue Ligusticis Latio propioribus de bergantinis, de carauelis, & almiranto, adelantatoque vulgari appellatione Hispana. Me quippe non latet, Græcissantes architalassum: Latinissantes simul & Græcissantes, nauarchũ hos, pontarchum illos, garrire dici debere magistratûs eius principem. De cæteris huiusmodi idem, dummodò tuæ Sanctitati satisfactum iri credam, hac simplici mea de tantis inuentis narratione. His iam omißis, ad Pariæ regulos redeamus. Hos reperit Vincentius Annez esse apud Parienses tanquam annuos rectores vicorum primarios tantum, quos cæteri, siue bello siue pace sit agendum, sequũtur. Vicos habent structos in ambitu sinûs illius vasti. Ad nostros cum muneribus venisse è regulis quinque referunt: quorum nomina hîc inserere statui ad tantæ rei memoriam, Chiaconũ Chiauacchã, (Chiaconos nãque suos optimates vno nomine appellant) Chiaconũ Pintignanũ, Chiaconũ Chamailaba, Chiaconũ Polomũ, Chiaconũ Pot. Sinũ eũ ab Almiranta Colono primò repertũ, vocant Baiã natiuitatis, quia natalis Christi die fuerit eũ ingressus: prætereundo tamẽ, sinu non perlustrato. Baiam Hispanus vocat sinum. Icto fœdere cum illis Chiaconis, Vincentius Annez institutum iter suum prosequens, ad Orientem regiones inuenit aquarum crebra illu-

nie desertas, & stagnantia magnis tractibus loca. Nec destitit à propositis, donec terræ illius longissimæ cuspidem attigit: si cuspides appellare licet cuneos aut frontes acutas, vel promontoria marinas terras terminantia. Ea cuspis Atlantem videtur velle impetere. Illam quippe Africæ partem spectat, quæ à Portugallensibus Caput bonæ Sperātiæ dicitur, Atlantici montis squallentia in Oceanum protenta promōtoria. Sed Bonæ Sperantiæ Caput, gradus antarctici colligit quatuor & triginta: cuspis autem illa, septem tantum. Puto terram hanc esse, quam apud Cosmographiæ scriptores Atlanticam dici magnam insulam reperio, sine vlteriore de illius aut situ aut rebus exploratu. Et quandoquidem in huius terræ marginem primum ab Herculeo freto incidimus, non erit alienum à re, si pauca disseruero, quæ dissidium fortè parerent, nisi socer & gener essent, inter Fernandum regem catholicum, & Emanuelem Portugalliæ regem. Dico Portugalliæ, non Lusitaniæ, vti multos audio literarum non ignaros, qui falluntur non mediocriter. Nam si est Lusitania, quam egregij Cosmographi Ana & Duria fluminibus includunt, quota est portio Lusitaniæ Portugallia?

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SEcundæ, Crediti continentis cap. octauum.

VIuente Ioanne rege Portugalliæ, Emanuelis impræsentiarum regis & sororio & prædecessore, exorta est acris inter Castellanos & Portugallenses contentio de iis inuentis. Sibi deberi nauigationes Oceani vniuersas arguebat Portugallensis, quia prior & ferè ab immortali memoria

Oceanum tentare ausus sit. Castellani verò, quæcunque Deus ministra natura in terris formauerit, ab initio rerum fuisse hominibus communia proponunt: propterea licere cuique illa occupare, quæ Christianis habitatoribus vacua repererit. Dum ita in confuso res tractaretur, pars vtraque pacta est, vt à summo Pontifice decerneretur, quid iuris. Futuros se obtemperantes Pontificiæ sanctioni, fideiubent vtrinque. Res Castellæ tunc regina illa magna Elizabetha cum viro regebat, quia dotalia eius regna Castellæ sint. Erat regina Ioanni regi Portugalliæ consobrina: propterea facilius res est composita. Ex vtriusque partis igitur assensu, lineã ex plumbata bulla summus pontifex Alexander sextus illis à Septentrione ad Meridiem, extra earum insularum, quas vocant de Cabouerde pararellos, ad Occidentem lequas centum diametro tetendit, Alexandri nanque sexti pontificatu, res hæc in contentionem venerat. Intra iactam lineam, licet negent nonnulli, cadit eius terræ cuspis, sancti Augustini Caput appellata. Propterea non licet Castellanis figere pedẽ in eius terræ initio. Regressus ergo indè est Vincentius Annez, habito ab incolis, quod Ciamba prouincia ferax auro, ad aliud latus montium altorum, quos ante oculos habebant, ad meridiem iaceret: & è captis in sinu Pario, qui aperte Castellanæ est ditionis, abduxit quosdam ad Hispaniolam, Almirantóque iuueni reliquit, vt nostra discant idiomata: quô interpretum posteà loco vti poßint ad secreta regionum illarum exploranda: ipséque ad curiam venit, impetraturus à rege, vt bona eius venia, liceat sibi nomen sumere gubernatoris insulæ sancti Ioannis, quæ ab Hispaniola tractu distat lequarum quinque & viginti tãtum: quoniam in ea gigni aurum, primus ipse Vincentius Annez patefecerit. Ab incolis diximus in decade prima, Buricchenam hanc appellari insulam. In ea insula gubernator erat Christophorus quidam, comitis Camignæ Portugallensis

filius. Hunc vicinarum insularum Canibales cum Christianis omnibus trucidârunt, præter episcopum & familiares eius, qui sese, templo & templi ornatibus derelictis, in tutum receperunt aufugientes. Episcopos nanque iam quinque supplicatu regio, tua Sedes apostolica, beatissime Pater, nouos erexit. In vrbe primaria sancti Dominici in Hispaniola fratrem Garsiam de Padilla, diui Francisci regularem. In Cōceptione oppido, doctorem Petrum Xuarez de Deza: & in insula sancti Ioannis, Licentiatum Alphonsum Mansum, ambos diui Petri institutionis obseruatores. Quartum, fratrem Bernardum de Mes, v bilem, genere Toletanum, concionatorem, Dominicum asseclam, in Cuba insula. Quintum, Ioannem Cabedum, & eundem Franciscea obseruationis pulpitarium concionatorem, tua sanctitas vnxit, vt Darienensibus præsit. Rependent propediem Caribes debitas pœnas. In illos ibitur: præcipuè quia patrato illo nefario scelere, post menses aliquot reuecti ex vicina sanctæ Crucis insula Cacicum nostris amicum, & familiam eius vniuersam trucidârunt, comederúntque, vico eius funditus euerso: nacti occasionem, quod regulus ille violato iure hospitij, Caribes septem conficiendarum canoarum magistros apud eum relictos, vt canóas quasdam construerent, quia proceriores arbores ad ea monoxyla formanda insula sancti Ioannis nutriat, quàm eorum insula, Sancta Crux cognominata. Caribibus his adhuc in insula manentibus, è nostris plerique traiicientes ex Hispaniola, in eos inciderunt. Re intellecta per interpretes, incipiunt à Caribibus velle de tanto facinore rationem exigere. Illi autem arcubus & venenatis sagittis in nostros directis, trucibus & toruis vultibus nostris edicunt, nè vim tentent, ni sinistris auibus venisse velint. Nostri venenatas sagittas veriti, neque enim parati ad certamen venerant, signa pacis dant. Cur vicum euerterint, & vbinam sint regulus & eius familia,

Quinque Episcopi noui, in terris nouis.

interrogati Caribes, respondent se vicum deleuisse, regulúmque & familiam eius in frusta sectos comedisse, in suorum septem opificum vindictam: in compositósque fasces illorum ossa seruari ad opificum vxores & filios deportanda, quò intelligant non iacere inulta maritorum & parentum corpora: fascésque oßium nostris ostenderunt. Stupidi tanto facinore nostri, rem dißimulare coacti, conticuerunt, neque incusare aut coarguere Canibales ausi sunt. Ex his & huiuscemodi multa eueniunt quotidie, quæ, ne sacras aures tuas S. hisce cruentis narrationibus inficiam, prætereo. Satis euagatum est, beatißime Pater, extra Beraguensem, & Vrabensem regiones, instituti nostri primarias nutrices. Prætermittemus ne quæ sit Vrabensium fluminum amplitudo? quæ profunditas? quid ve ipsa, quidque ablutæ ab eis terræ gignant? déque terræ magnitudine ab Oriente in Occidentem, ac latitudine à meridie in septentrionem? quid ve credatur de ignotis adhuc in ea? minimè quidem, beatißime Pater. Vrabam igitur repetamus, & à nominibus prouinciarum recenter impositis exordiamur: prouinciásque liceat appellare, quia procul victæ Christianis parent.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SECVNDÆ, Crediti continentis cap. nonum.


Eraguam, statuerunt Castellam auriferam: Vrabam vero, Andaluziam Nouam appellari: & veluti ex insulis pluribus Hispaniolam, in quam multæ deductæ sunt coloniæ, in caput insularum habitandam elegerunt, ita in immensis Pariæ tractibus, in duabus regionibus Vrabá & Beragua, statuta est mansio: vt ad eas tanquàm ad portus vagaturi sese recipiant, fessique & rerum indigentes, sese queant ibi reficere. Sata iam in Vraba & hortensia omnia, mirificè coalescunt. Non ne hoc admiratione dignum sanctissime Pater? Omnium rerum sementes, taleas quoque, surculos, & calamos, propagines etiam aliquarum arborum ad eas terras, vti de quadrupedibus & altilibus diximus, important. O mira vbertas. A iacto semine cucumerum & huiuscemodi rerum, ad diem citra vigesimum fructus eorum colligunt. Caules, betas, lactucas, boragines, & hortensia his similia, intra decimum. Cucurbitas verò & melones decerpunt intra octauum & vigesimum à sementis satione. De taleis & surculis arborum nostratium per seminaria & scrobes satis, & calamis in ramulis patriarum, quæ consonent, insertis, eadem referunt celeritate fruticare, qua diximus de Hispaniola. Arboreos natiuos fructus habent Darienenses multiformes, & variorum saporum ad vsum humanũ salubres: è quibus est consilium præstantiores describere. Guaianam colunt arborem, quæ fructum parit citrorum generi, quos vulgus limones appellat, persimilem, sapore acri, dulci commixto. Nucibus etiam pineis abundant, & palmarum variis cariotis, iis quæ nobis notæ sunt, grandioribus, sed minimè aptis ad esum ob austeritatem. Palmulas steriles, quæ tamen ipsæmet eduntur, & folia creant ad scoparum vsum, passim ac sponte sua nasci certum est. Guarauaná verò, quæ aurea mala ferente arbore procerior est, fructum gignit magnum, malum ci-

Arborei fructus, varietate & vtilitate insignes.

treum æquantem. Est & alia arbor, castaneæ fermè similis: hæc ficum grandiorem fructu suo emulatur, sapore dulci & salubri. Mameis est arbor alia, quæ fructum producit aurei mali magnitudine, sapore melone optimo haud insuauior. Guananalá fructum dat cæteris minorem, sed odoriferum aromaticè, & super omnes sapidum. Hóuos est alia, quæ prunis persimilem generat fructum & forma & sapore, sed aliquanto grandiorem: hanc myrobalanum esse pro certo habent. Est Hispaniolæ arbor hæc adeo peculiaris, vt eius fructibus porci saginentur: neque cùm maturescunt, retinere illos aut regere subulci queunt, quin ex eorum ferula elapsi, syluas earum arborum altrices sparsim petant: vndè multitudo ingens syluestris effecta est. Propterea suillas aiunt carnes, arietinis esse in Hispaniola saporosiores salubrioresque: nemini nanque dubium est, quin varia ciborum genera, variam carnibus edendis vim gustúmque longè alium ingenerent. Alium fructum se inuictißimus rex Ferdinandus comedisse fatetur ab iisdem terris aduectum, squammosum, piniôs nucamentum adspectu, forma, colore æmulatur, sed mollitie par melopeponi, sapore omnem superat hortensem fructum: non enim arbor est, sed herba, carduo persimilis aut acantho. Huic & rex ipse palmam tribuit. Ex iis ego pomis minimè comedi, quia vnum tantum è paucis allatis reperere incorruptum, cæteris ex longa nauigatione putrefactis. Qui in natiuo solo recentia ederunt, illorum cum admiratione suauitatem extollunt. Effodiunt etiam è tellure suapte natura nascentes radices, indigenæ Batatas appellant, quas vt vidi, Insubres napos existimaui, aut magna terræ tubera. Quocunque modo condiantur assæ vel elixæ, nulli crustulo, aut alio cuiuis edulio cedunt dulcorata mollitie: cutis aliquanto tenacior quàm tuberibus aut napis, terreíque coloris, caro candidißima. Seruntur etiam & coluntur in hortis, vti de iucca diximus in Decade prima. Comedũtur

& crudæ. Viridis castaneæ gustum cruda imitatur, est tamen dulcior. Sed de arboreis & hortensibus vegetatiuisque aliis iam satis: ad sensitiua veniamus. Terræ illius horrentes saltus depascunt præter tigres & leones, cæteráque nobis iam nota animalia, vel saltem ab egregiis authoribus descripta, monstrosa plura. Sed animal vnum præcipuè procreat, in quo natura studuit sese miram artificem ostendere. Id est corpore bouē æquans: proboscide armatum est elephantina, non elephas: bouino colore, non bos: equinis vngulis, non equus: auriculis etiā elephantinis, sed minus patentibus & demissis: quàm cæterorum tamen animalium, patentioribus. De animali ferente secum natam sobolem in vterali crumena, (scriptorum nulli, meo iudicio, noto) quod serpim arboreis depascitur fructibus in Decade satis, quam puto ad tuæ Sanctitatis manus, priusquam id rerum culmen adipisceretur, deuenisse quandoquidē è meis latebris impressa euasit. Quid verò de fluminibus Vrabensibus restet, referamus. Darien angusto in sinum Vrabensem deuoluitur alueo: monoxylorum prouincialium vix patiens, & vicum quem habitandum elegerunt, præterlabitur. Sed fluuium in angulo sinûs, quem diximus à Vascho pernauigatum, reperêre latitudinis esse stadiorum quatuor & viginti, (lequam dicunt) profunditatis etiam immensæ, cubitorum putà ducentorum ampliùs: per diuersa ostia in sinum cadere. Hunc, vti legimus Istrum in Ponticum pelagus, & Nilum in Ægyptum, defluere in Vrabensem sinum aiunt, antonomasicè grandem fluuium appellant: quem magnorum esse ac multorum crocodilorum nutritorem inquiunt: veluti de Nilo didicimus, ego præcipuè, qui Nilum aduerso secundóque flumine nauigaui, Soldanum petens, & ab eo rediens. Quid propterea queam ex tot insignium doctrina & authoritate virorum scriptis de Nilo colligere, non intelligo: duos namque Nilos, siue à lunæ motibus, siue solis, aut è squallidis Æthio-

pum iugis vndecunquè fluere velint, aiunt naturam dedisse telluri irrigandæ: ad septentrionem, in Aegyptium sinum cadere vnum: in Oceanum meridionalem, alterum. Quid hoc loco dicemus? De Aegyptio nihil ambigimus. Meridionalem alium Portugallenses, qui per Nigritas & Melindos æquinoctialem circulum transmeant, in suis mirabilibus inuentis repererunt: & è lunæ montibus ipsi net deriuari arguunt. esseque Nili alueum alterum, quia crocodilos generet: neque alibi præterquàm in Nili fluentis, crocodilos gigni legerint. Senegã vocant fluuium Portugallenses: Nigritas is interluit, septẽtrionali ripa Fortunatus: meridionali, arenosus horridus. Crocodilos passim emittit. Quid ergò referemus de hoc tertio, immò & (penè dixerim) quarto? Crocodilos nanque esse puto, quos armatos conchis testudineæ duritiei, duce Colono, Castellani reperêre in flumine, quod dici Delagartos suprà memorauimus. Dicemus hos è lunæ montibus oriri? haud quaquàm, beatißime Pater. Crocodilos ergò posse alias, præter Niliacas, aquas producere, iuniores nostri experimento didicêre. Non enĩ hæc flumina è lunæ montibus scatent, neque possunt cum Aegyptio Nilo aut Nigrito siue Melindo, quacunquè illi deriuentur, eandem originem habere, quippe qui ex proximis defluunt montibus, quos diximus à septentrionali Oceano non magno discrimine mare aliud australe dirimere. In Darienis prætereà & aliorum fluminum palustribus locis relictis ex alluuie aquosis, phasiani, pauones, sed non picti, & multa volucrum genera à nostris dißimilia, tam ad esum apta, quam ad demulcendum variis concentibus audientium aures, nutriuntur. Sed aucupij imperitia, Castellani nostri negligẽter volucres insectãtur. Psittacorũ etiã sub eodẽ genere species in stagnãtib⁹ illis locis innumeræ garriũt. Sũt è psittacis, qui capones æquent magnitudine: sunt & qui ne passerculum quidẽ su-

perent. De psittacorum varietate, in prima decade satis. In huius nanque vastæ terræ discursu Colonus ipse ad curiam & misit, & tulit ex omni specie non paucos, quos omnibus vulgo licuit inspectare, feruntúrque quotidiè. Vnum restat, beatissime Pater, dignißimũ historia, quod mállem in Ciceronianas manus aut Liuianas incidisse, quam meas: tanti nãque miraculi est apud me, vt implicatius reperiam in eius descriptione ingenium meum, quam de gallinacco feratur pulliculo stuppis inuoluto. Terræ illius latitudinem à septentrionali Oceano ad australe pelagus, sex tantum dierum esse diximus, incolarũ testimonio. Magnitudo propterea fluuiorum & numerus hinc, illinc terræ angustia, me trahunt in ambiguum: quî fieri poßit, vt intercapedine tam exigua dierum trium, à supremis eorum montium cacuminibus dimetiẽdo, tot támque magna flumina diuertant in hoc septentrionale, non intelligo. Credere nanque licet ad australes incolas totidem defluere. Sunt hæc Vrabensia flumina exigua, si plerisque aliis comparentur. Aiunt se reperisse Coloni tempore Castellani, & pernauigâsse post illum, flumen, cuius ostium in mare cadens, passuum asseuerant esse paulò minus centum mille in primis Pariæ littoribus, vti alias diximus: nanque furibundo meatu in Oceanum ex altis montibus decidere prædicant, vt retrocedere mare etiam exæstuans, vi ventorum dico impulsum, suo impetu & amplitudine cogat: neque in magno eius spatio amari quicquam sensisse in aquis, sed potui aptas & suaues omnes inquiunt. Maragnonum appellant hunc fluuium incolæ: adiacentes autem regiones, Mariatambal, Camamorum, & Paricoram. Præter ea flumina quæ supra nominaui, Darienem putà, Grande Dabaibæ, Beraguense, Sancti Matthæi, Boij gatti, & Delagartos, & Gairam, paßim reperiunt alia multa, qui peragrant ea littora. Deliberanti ergò mecum, vndè sibi specus tanti capaces habeant hi montes, littoribus adeò vicini &

Inaudita fluminis magnitudo.

Philosophicę de aquarũ generatione rationes.

angusti, sententia incolarum, & vndè repleant vt humores tantos cogantur euomere, succurrunt varia: Magnitudo primū montium: latißimos quippe esse inquiunt. Aiebat & idem primus repertor Colonus: immò & aliud ipse differebat, esse deliciarum paradisum in eorum montium culminibus, qui ex sinu Pario & Ore Draconis apparent: sibíque statutò persuaserat. Vastæ ergò montium moles, vastos inesse specus multicapaces, arguunt: sed vndè repleantur, pensitandum est. Si dulcium aquarum omnium, ex sententia multorum, ita refluunt è mari flumina, maris ipsius ponderosa mole compulsa per terræ meatus, vti è meatibus ipsis scatentia videmus ad mare cursum dirigere: minus hic mirandum est, quam alibi. Quia nullibi adhuc legimus duo maria huiuscemodi terram vllam tam angusto limite, si vera ferunt incolæ, circunserpere. Magnum quippe est à dextro latere Oceanum, in quem sol vergit à sinistro, alium vndè nascitur, fortè non cedentem, quia putant Indico mixtum, habere cubitantes. Tanta ergo mole grauata (si valet sententia) tellus ista nimirum cogitur tot aquarum voratus deglutire: deglutitos, per patulos gurgites emittere. Sed si è mari sorbere humores terram negauerimus, fontésque gigni omnes ex aëris conuersione in aquam intra montium cauernas stillantem, assentiemur, vti plerique autumant authoritati magis eorū qui talibus innituntur rationibus, caput flectemus, quàm quod intellectus noster sit eius sententiæ capax. Conuerti in aquam, absorptum in cauernis montium aliquibus aërem, non quippe recuso: vidi nanque ego ipse in Hispania è pluribus antris guttatim imbres decidere perpetuos & indè collectas aquas, per collium latera riuos demittere, quibus plantata in cliuis vineta, oliuetáque ac fruteta omnis generis, rigabantur. Sed vno in loco præsertim, testes habeo illustrißimum Ludouicum Aragonium Cardinalem tuæ Sanctitatis obseruantißimum, & Antistites duos Italos,

episcopum vnum Bouiensem, Siluium Pandonum nomine: archiepiscopum alterum, cuius neque nomen proprium recolo, neque titulum didici. Granatæ nanque, nuper è Maurorum potestate ereptæ, agebamus: & nos omnes oblectandi animi gratia ad quosdam amœnos tumulos duxit, per quos suaui murmure riuus irrigans defluebat. Intereà loci, dum illustrißimus noster Ludouicus salientes per arbusta riuo inhærentia, volucres sagittis insectatur, ego & antistes vterque cliuum ascendere statuimus, vt, vndè riuus oriretur, intelligeremus: eramus nanque cacumini montium illorum proximi. Succincti ergo riui vestigia sequentes, antrum reperimus eiusmodi perpetuo imbre vberrimum: ex cuius aqua, per frequentes guttas cadente in receptaculum, in subiacentibus saxis manu cauatum, riuus efficitur. Licet vulgò conspicere & aliud rorans antrum in hoc celebri oppido Valladoleto, vbi nunc agimus, in oppidani egregii viri iurisperiti, cognomine Licentiati de Villena, ab oppidi mœnibus minus stadio distãte, viridario. Fateor igitur ex antrorum roratu per cõuersionem aëris, inter pendentium rupium cauernulas absorpti, posse fontes alicubi generari. Sed naturam arbitror de tanta illuuie aquarum, hac industria tenui generanda, minimè fuisse solicitam. Consonant ergo rationes duæ ingenio meo: vna, frequentium pluuiarum casus: altera, ob perpetuum ibi ver vel autumnum: quia sunt ita propinquæ æquinoctiali circulo terræ illæ, vt vulgus non apertè dignoscat diei ac noctis discrimen toto anno, súntque hæc duo tempora gignendis pluuiis aptiora, quàm grauis hyems, aut æstas feruida. Altera prioris effectiua, est huiuscemodi: si porosum esse mare, pérque poros eius, austris illos aperientibus, vapores, quibus aquosæ nubes generentur, eleuari assentiemur, terram hanc oportet crebrioribus pluuiis madefieri, quam terram aliam, si sit (vti aiunt) angusta, dúoque teneat im-

mensa maria, quæ illam ita proximè sepiant, collateralia. Vtcunque sit, beatißime Pater, nequeo tot viris eas terras frequentantibus non credere: cogórque illa, licet pleraque videantur non verisimilia, referre. Propterea per hæc argumenta fuit consilium discurrere, ne viri doctrina celebres, hinc illinc quærendarum occasionum in aliena scripta studiosi, nos ita hebetes esse diiudicent, vt nulla ratione media, fidem facilè præstemus emergenti cuique narrationi. De impetu tamen illo dulcium aquarum, qui obiectus pelago, facit ostium adeò ingens, vti suprà diximus, aquas existimo cadentium multorum esse fluuiorum coactas, quæ lacum ingentem efficiant: non autem fluuium vnum, vt ipsi aiunt. Sed quia sint montes ardui, tantam esse puto vim declinantium aquarum vt impulsu stagnantium ea fiat conflictatio, & ne salsæ aquæ ingrediantur in sinum, resistant. Surgent & fortè alii, qui me tantoperè fuisse admiratum mirabuntur, & subsannabunt, dicentes: En quid pro miraculo hic recitat, magna inesse flumina regionibus illis? Nonne Italia suum creat Eridanum, fluuiorum regem ab authoribus egregiis appellatum? Nonne & regiones aliæ sua ingentia producunt? Vti de Tanai, Gangéque legimus, atque Istri fluentis, quæ vincere mare ita produntur, vt dulces haustus in XL. millia passuum liceat colligere. His satisfactum iri velim hac ratione: Padus alpinos aggeres, Gallias & Germanias Pannoniásque secernentes ab Italia, sibi habet à tergo magna mole succosos, longóque tractu Ticinum, & innumera alia bibens flumina, tendit in Adriaticum. Idem de cæteris. Flumina verò hæc, plenioribus alueis è proximo, vti ex regulorum dictis nostri referunt, lapsa cadunt in Oceanum. Sunt tamen qui amplißimam esse alibi, licet hîc angusta sit, arbitrentur terram. Succurrit & alia causa, quàm licet habeam pro inualida, scribere tamen eam statuo.

Longitudo forsan terræ ab Oriente protenta per immensum in Occidentem, si angusta est, adiumēto erit. Quia sicuti legimus Alpheum ab Elide in Siculam Arethusam per meatus subtermarinos occultos scatere: ita & posse montes illos producτas adeò cauernas habere, vt longißimè distantibus terrarū cauernis respondeant: augeantúrque paßim aquæ, venientes aëris illa transmutatione, quam diximus. Capiant & qui sano pectore aliena interpretātur, & qui subsannationibus inuigilant, rē vti malint. In hac re nescio quid vltra referā in præsentiarū: quādo aliter rem esse repererimus, candidè verū profitebimur. Quādoquidē de terræ huius latitudine tot tantáque disseruimus: de longitudine formáque ipsius iam tandem sermo resurgat.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS SEcundæ, Crediti continentis cap. decimum.

EST in mare protenta terra illa, non secus ac Italia: licet non humano cruri hæc, vt illa, similis. Sed pygmæolum giganti comparo. Est nanque pars ea quam à dicta cuspide Orientali, quæ vergit ad Atlantem, Castellani percurrerunt, (sine nondùm raperto ad Occidentem) Italia longior octuplo amplius. Qua ratione fretus, octuplum hoc ausim promere, vult tua Sanctitas intelligere. Ex quo parere statui postulantibus, vt Sanctitatis tuæ nomine ista redigerem in Latium sermonem, ego non Latius, curaui, nè quid prodeat non ritè exploratum. Burgensem antistitem

huius nauigationis confugium, de quo supra lata mentio, adiui. Inclusi vno cubiculo, multos harum rerum indices habuimus ad manus: solidam vniuersi cum his inuentis sphæram & membranas, quas nautæ chartas vocant nauigatorias, plures: quarum vna à Portugallensibus depicta erat, in qua manum dicitur imposuisse Americus Vespucius Florentinus, vir in hac arte peritus: qui ad antarcticum & ipse, auspiciis & stipendio Portugallensium, vltra lineam æquinoctialem plures gradus adnauigauit. In hoc indice latiorem esse primam huius terræ frontem reperimus, quam reguli Vrabenses nostris persuaserint de suis montibus. Alteri Colonus viuens, cum ea perlustraret loca, dedit initium: cui & frater eius Bartholomæus Colonus, Hispaniolæ Adelãtatus, iudicium suum addidit: peragrauit nanque & ipse ea littora. Præterea Castellanorum omnium, quotquot sibi sentire, quid sit metiri terras & littora, persuadent, suam quisque nauigatoriam depinxit membranam. Ex omnibus commendatiores seruant, quos Ioannes ille de la Cossa, Fogedæ comes, quem à Camairẽsibus apud Carthaginis portum, peremptum diximus, ediderat: & gubernator alius nauium, nomine Andreas Morales, cum ob maiorem earum rerum experientiam, (familiares enim notósque habebant ambo tractus illos, non minus iam ac suæ domus cubicula) tum etiam quia Cosmographiæ naualis peritiores haberentur, quam cæteri. Omnibus igitur indicibus allatis, in quorũ singulis iacebat linea, quæ Hispano more nõ millia passuum, sed leguas designabat: circinos afferri iubemus, & hoc ordine cœpimus littora metiri. A cuspide siue fronte illa quam diximus Portugallensium includi linea, per eos insularum quas vocant de Cabouerdè, parallelos deducta, sed leguas centum vlterius ad Occidentem, quam & ipsi vltrò citróque iam explorarunt, reperimus ad Maragnoni fluminis ostiũ leguas tercentũ. Indè ad Os vsque Draconis leguas septingẽtas,

in nonnullis paulò minus, neque enim penitus conueniunt volunt lequam Hispani millia passuum quatuor continere mari præsertim: terra verò, tria. Ex Ore Draconis ad Cuchibacoæ protentam in mare cuspidem, qua superata, in læuam sinus efficitur, lequas tercentum dimensi sumus in vno, in alijs circiter. Ex Cuchibacoæ illo promõtorio cuspidali ad Caramairiensem regionem, vbi portus est Carthaginis, circiter centum septuaginta. Ex Caramaira ad insulam Fortem: quinquaginta. Indè ad Vrabæ fauces, intra quas vicus est sanctæ Mariæ Antiquæ, vbi sedes posita est, quinque tantùm & triginta. Ex Vrabensi Dariene ad Beraguensem fluuium vbi fixurus erat pedem Nicuesa, nisi aliter apud superos statutum reperisset, centum triginta interesse dimensi sumus. Ex Beragua ad eum fluuium, quem diximus sancti Matthæi appellatum à Colono, in quo Nicuesa, carauela amissa, pererrauit omnium hominum calamitosissimus, lequas in indicibus centum quadraginta tantum reperimus: multo tamen plures in hoc tractu à sancto Matthæo, multi è redeuntibus mihi retulerunt: in quo & locant diuersa flumina, putà Aburema cum præiacente insula nomine Scutum Cateba, cuius regulus, Facies combusta, est appellatus: aliud Zobraba, Vrida post illud Durabáque auriferum: & portus etiam egregios, inter quos Cerabaroum & Hiebram, incolarum appellatione. Si ritè dinumeraueris, beatissime Pater, lequas inuenies in hoc calculo quinque & viginti post quingentas à mille: quæ amplectuntur milliaria septuaginta supra quinque millia à cuspide ad sancti Matthæi, quem Perditorum vocant sinum. Sed non sistit opus. Astur Ouetensis auito genere quidam, nomine Ioãnes Dias de Solis, qui se Nebrissæ, quæ doctos edit viros, natũ, inquit, ab eo fluuio ad Occidentem tendens, lequas & ipse percurrit non paucas. Sed littus illud medium ad septentrionem curuatur. Propterea nõ examussim locatũ inter dimensa: puta-

Leuca Hispanica, marina & terrestris.

mus tamen colligere diametro leguas tercentũ circiter. Quanta ergò, beatissime Pater, sit terræ illius, quæ tuo throno subiicienda est, longitudo, ex dictis colligito: de latitudine forte aliter aliquandò sentiemus. De polarium nunc graduum varietate pauca referamus. Terra hæc, licet ab Oriente protenta sit in Occidentem, retorta tamen est, & ad meridiem sua cuspide tantum incuruatur, vt polum arcticũ amittat, æquinoctialémque superet lineam ad antarcticum septem gradus. Sed Portugallensium est eius cuspidis iurisdictio, vti iam diximus. Cuspide relicta, Pariam versus, arcticus reuisitur polus: & quo magis ad Occidentem regio vergit, eo magis polus eleuatur. Habent ergo Castellani variam graduum eleuationem, donec ad Darienem, statutam earum terrarum sedem primariã, veniatur. Beraguensis nanque derelicta est, vbi eleuatum gradus octo repererunt polum. Sed indè tantum terra incuruatur ad septentrionem, vt quasi Herculei freti gradus æquet, si præcipuè terras dimetiamur quasdam ad latus Hispaniolæ septentrionale ab iisdem repertas. Inter quas ad leguas ab Hispaniola quinque ac XX. supra tercentum vnam esse insulam fabulantur, qui eam explorarunt ad intima, nomine Boiuca, aliâs Agnaneo, fonte perenni adeò nobilem, vt eius fontis aqua epota senes reiuuenescant. Nec arbitretur Beatitudo tua hoc dictum iocosè aut leuiter: ità seriò rem hanc per curiã vniuersã ausi sunt spargere, vt populus omnis, & ex iis, quos virtus aut fortuna secernit à populo, nõ pauci rẽ esse verã arbitrẽtur. Ego verò, si, quid sentiã, interrogaueris: naturæ rerũ genitrici non me tantũ tribuere respondebo, sibiq; seruâsse Deũ hãc prærogatiuã pro non minus propria, quã scrutari corda hominum, aut priuationi dare accessum ad habitũ, existimo: Nisi Colchia fortè fabulam de renouato Esone, Erythrææ Sibyllæ fuisse folia crediderimus. Hæc de longitudine latitudineq; ac montibus abruptis, & eorum specubus aquosis, déque variis terræ illius

gradibus, & quidem satis. Sed minimè prætereunda puto, quæ miseris inter generales calamitates acciderunt. Horrebant puero mihi viscera, cruciabárque præ miseratione de Achemenide Vergiliano, inter Cyclopum littora ab Vlysse relicto, quod baccis lapidosísque cornis ab Vlyßis transitu ad Aeneæ aduentum dies non multos fuisse depastum Vergilius recenseret. Baccas lapidosáque corna, pro delicatis epulis infelices habuissent Hispani, qui Nicuesam secuti, Beraguam habitandam elegerant. Quid de asini capite, magno empto, opus est magnifacere rem? Quid de huiuscemodi multis, quæ obsessos pati oportet? Postquàm Nicuesa cōsilium cepit de Beragua deserenda ob terræ squallorem & sterilitatem, Portum Belliū & dehinc promontorij Marmoris appellati littora tentauit, an ibi fortunatius quiret insidere. Oppreßit socios eius egestas tanta, vt neque à scabiosis canibus, quos venatus & tutelæ causa secum habebant, (in certaminibus nanque cum nudis incolis, canum opera plurimum vtebantur) neque aliquandò à peremptis incolis abstinuerunt. Non enim ibi fructificantes arbores, aut volucres, quas Darienem alere diximus, procreari, ac proindè terram minimè frequentem habitatoribus, reperiebāt. Conuenerunt è sociis quidam de cane macerrimo emendo, qui iam ferè & ipse deficiebat ob esuriem: multos præbent canis domino auri pesos, id est, aureos castellanos: canem excoriant comedendum: scabiosam canis pellem, capitis oßibus appensis, inter dumeta proxima proiecerunt: postridie pedes quidam è sociis in abiectam pellem incidit, vermibus iam refertam ac semifœtentem, domum absportauit. Excußis vermibus, pellem in ollam coquendam coniecit, coctam edit. Ad coctæ pellis ius multi cum suis paropsidibus, singulos castellanos aureos pro singulis iuris paropsidibus offerentes, accurrebant. Bufones alius duos reperit, coctos ægrotus quidam à bufonum domino emit comedendos: próque illis duas fertur lineas auro intexto

Fames militū incomparabilis.

subuculas,

subuculas, quæ valorem æquabant castellanorum sex, præbuisse. In campestri via quadam mortuum repererunt plerique incolā à sociis interfectū, & iā putridū: dimembrārunt secretò: siue aßis siue elixis, carnibus illis tanquam pauonis esca famem tunc pepulerunt. Saburra, inquiunt, contentum palustri per aliquot dies è sociis alium, qui noctū à sociorum cuneo secedens piscatum, inter palustres vluas diuerterat, donec serptim iam semimortuus, viam ad socios reperit. Hæc & huiusmodi multa perpeßi infelices Beraguenses, ex numero militum septingentorum septuaginta amplius, ad vix quadragenarium reducti, Darienenses & ipsi effecti sunt: ab incolis perempti pauci, fame cæteri consumpti, animas euomuère anhelantes, aperiendo viam ad nouas terras posteris pacandas suo sanguine. Ad conuiuia ergo posthàc nuptialia cæteri, si quæ hi paßi sunt, pensitauerimus, per tuta nouáque itinera, ad tutas nouásque terras, in quibus & habitatores & sata iam reperirent, proficiscentur. Quò autem Petrus Arias ductor cum regia classe sit appulsus, ad hanc vsque horam non intelligimus. Quæ successerint, si hoc Sanctitati tuæ gratum fore cognouero, vigilantius explorabo. Ex Catholici regis curia, pridiè nonas decembris. Anno à Christi natali. M.D.XIIII.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. PROTONOTARII APOstolici, Regiique Consiliarii, ad Leonem decimum Pontificem maximum, de orbe nouo tertię Decadis caput primum.



CLAVSERAM orbi nouo portas, beatißime Pater, satísque me per illius oras vagatum arbitrabar, quando nouæ literæ, allatæ patefacere illas iterum, & repositum sumere calamum coëgerunt. AVascho Nunnez, quem, eiectis Nicuesa duce & Anciso prætore ex Dariene, principatum sibi, manu promptorum audacia fretum, vsurpasse memorauimus: à socijs etiam plerisque literas habemus, suo militari stylo compactas, quibus didicimus eum superásse montes illos, oceanum nobis notum, ab altero australi æquore adhuc latente, dirimentes. Est eius epistola Capreensi Desiano grandior. Sed ea tantum ab illa cæterísque excerpsimus, quæ memoratu esse digna duximus. Catholici regis animum sibi Vaschus non modo iratũ reconciliauit, verumetiam gratiosum effecit. Donatus est à rege Vaschus, donati & plerique alij præstantibus & honoratis priuilegiis pro talibus ausis. Attentas nobis aures tua Sanctitas præbeat: & quæ illis paßim in re tanta euenerint, serena fronte & gaudenti pectore suscipiat: quandoquidem non centurias solum & legiones, sed innumeras hominum, natio hæc Hispana per varios labores & multa vitæ discrimina, tuo sacro throno subdendas, domat myriades. Vaschus Nunnez (siue impatiens ocij, quia nescit stare loco fortis animus, siue nè rem tantam surriperet alter, veritus: putant nanque multi Vaschum de Petri Ariæ præfectura intellexisse: siue vtráque motum causa, & quòd iratum regem ex anteactis sentiret) aggredi prouinciam ipse cum paucis constituit quam à Comogri reguli filio etiam mille armatis fore difficilem audiuerat. Accitis ergo Darienensibus veteribus aliquot & pluribus ex iis qui ab Hispaniola recentes venerant, vberioris auri copiæ fama compulsi, centũ nonaginta armatorum

manum comparauit. In calendis Septembris anni superioris M. D. X I I I. facturus iter mari dum liceret, ex Dariene cum vno bergantino, & monoxylis, id est, vniligneis, prouincialibus decem cymbis, discessit. Caretæ littoralis reguli Coibensis amici terram primum capit: relictis ibi nauigiis, vt cœptis Deus faueat, supplex petit: & vna carpit iter terra montes versus. In Ponchæ reguli ditionem primum incidit. Poncha, vti aliàs ipso adeunte fecerat, aufugit. Per nuncios ducibus Coibensibus Caretanis Ponchæ tutelam ab omni hostium iniuria, & amicitiam fide præbita multáque beneficia pollicetur. Promissis ergo & blanditiis tam nostrorum quàm Caretanorum emollitus Poncha, venit ad nostros: libens gaudénsque Poncha fœdus suscepit. Nè vltra vereatur, Vaschus Ponchæ suadet. Dant dexteras, & sese inuicem complectuntur, mutuísque se muneribus afficiunt. Auro Poncha, sed modico, centum putà & decem aureis ponderibus, quæ singula castellanum æquant nummum: fuerat nanque spoliatus anno superiore, vti supra retulimus. Vaschus vt dono donum pensaret, Poncham rebus nostris, vitreis scilicet calculorum sertis ad colli & brachiorum gestamen, speculísque ac tintinnabulis orichalceis, & huiuscemodi mercibus institoriis, donauit. Has indigenæ magnifaciunt, quia id vbiquè preciosæ rei loco habetur, quod est peregrinum. Securibus etiam ferreis ad arbores scindendas paucis Poncham ditauit: nil nanque maioris faciunt, quòd ferro & metallis omnibus careant, auro excepto: & secare ligni genus vllum, ad construendas domos præcipuè canoásque cauandas, sine ferreis instrumentis difficilimum sit: fluuialibus quippe lapidibus quibusdam præacutis lignariam omnem exercent fabrificinam. Poncha igitur deuincto, vt à tergo tuta relinquat omnia Vaschus, ad montana ducit agmen, datis à Poncha ducibus & calonibus, qui viarum angustias sternendo præeant: per saltus

nanque inuios & ferarum latebras atque anfractus montiũ penetrandum erat. Pauca quippe raráque sunt inter eos commercia: quia paucis nudi homines, & pecuniæ expertes, indigent: & si qua exercent, è proximo agunt, auri ad ornatum, & supellectilium ad vtilitatem permutatione. Propterea haudquaquàm trita sunt inter eos ex minimè frequentibus concursationibus itinera. Notas, tamen occultas, obseruant semitas eorum exploratores, quarum ductu se per insidias & nocturna latrocinia infestant alternè trucidantes, ac in seruitutem se vicibus redigentes. Ponchensium igitur & carpentariorum nostrorum opera & montes superauit horridos, & per obuia ingentia flumina plura, structis pontibus, aut sublicium trabium congerie connexa, duxit incolumem cateruam. Hic eorum multa prætereo, quæ tum ex rerum penuria, tum ex immenso labore paßi sunt, ne sim minuta recensendo molestus. Sed quæ cum regulis ex itinere acta sunt, prætermittenda minimè duco. Priusquam alta montium cacumina pertingeret, regionem ingressus nomine Quarêquam, regulum eodem nomine nuncupatum, obuium habuit, armatum eorum more, arcubus putà & sagittis, machanísque, id est, ensibus amplis, ligneis, oblongis, vtráque manu agitandis, & sudibus præustis, mißilibus etiam, quæ certißima iaculantur. Is superbè nostros & hostiliter excepit, cum ingenti ditionariorum multitudine transitum prohibiturus: quò irent, quídque peterent interrogans: retrocedant, vultu toruo per internuncios cõmonefacit, ni velint ad vnum trucidari. Hæc dicens, prodit in apertum vestitus ipse ac palatini, cæteri nudi: & nostros impetit retrocedere recusantes. Breuibus actum est: sclopetarum sclopos (quibus auditis, nostros secum habere fulmina & tonitrua arbitrati sunt) & scorpionum sagittas non diù sustinuerunt. Terga igitur vertunt fugientes. Veluti per macella lanij bouinas arietinásque secant in frusta carnes, ità huic

nates, illi femur, alteri humeros vno ictu nostri scindebant: veluti animalia bruta, perierunt ex eis vnà cum regulo sexcenti homines. Huius reguli domum reperit Vaschus nefanda infectam Venere. Fœmineo amictu reguli fratrem, pluresque alios comptos, & vicinorum testimonio pathicos, offendit. Iussit à canibus circiter quadraginta lacerari. Canum opera nostri vtuntur in præliis contra nudas eas gentes: ad quas rabidi insiliunt, haud secus ac in feros apros aut fugaces ceruos: nec minus fidos Hispani suos reperiunt in periculis subeundis quàm Colophonij vel Castabalenses, qui ad bella gerenda canum cohortes instituebant, ità quod primam aciem in prælio canes seruarent, nec vnquam detrectarent pugnam. Audita nostrorum in obscœnum id genus hominum seueritate, tanquam ad Herculem populi confluebant: quoscunque morbidos ea peste sentirent trahentes, vt è medio tollerentur, expuendo in illos inclamitabant: in palatinos quippe, in populum haudquaquam, contagio fluxerat. In cælum oculos manúsque tendentes, Deum insinuabant esse tanto sceleri iratum: indè mitti fulgura, tonitruáque: crebris nanque fulguribus vexãtur, & aquarum frequentes alluuies, quæ sata omnia raptent, famémque & morbos indè prouenire, conquerebantur: licet nil aliud pro Deo colant, præterquàm Solem. Hunc præstare, hunc tollere solum existimant. Dociles tamen sunt: ad nostros ritus facilè trahentur, si doctores eos adierint. Nil tetricum, nil prolatu durum in eorum lingua esse, quin Latinis poßint literis, vt de Hispaniolis aliquando diximus, eorum vniuersa vocabula scribi & proferri, cognouerunt. Bellicosa gens est hæc, & quæ finitimis molesta fuit hactenus. Sed prouincia non auro aut agrorum vbertate fortunatur: montana est ac sterilis, & ob squallorem montium algens. Propterea vestiuntur ibi, qui vestes assequuntur, palatini: cætera turba naturæ beneficio contenta viuit. Mancipia ibi nigra repererunt, ex regione

Canũ vsus in prælio.

distante à Quaréqua dierum spatio tantum duorum, quæ solos gignit Nigritas, & eos feroces atque admodùm truces. Ex Aethiopia putant traiecisse quondam latrocinij causa Nigritas, inque illis montibus naufragatos fixisse pedem. Cum his nigris odia exercent intestina Quarequani, & sese seruitio addicunt vicißim, aut trucidant. In Quaréqua relictis pluribus è sociis, qui nondum assueti laboribus, & esuriei tantæ, deciderant in valetudines, duces capit è Quaréquanis, ad vertices montium tendens. Ex Ponchæ regia sex breuium dierum spatium ad alterius æquoris prospectum iacet medium: id nequiuit minore, quàm quinque & viginti, variis implicitus casibus & summa rerum egestate, perficere. Septimo tandèm calend. Octobris monstrata per Quaréquanos celsa culmina, è quibus optatum mare aliud despici poterat, protentis oculis intuetur. Sistere agmen iubet: præit ipse solus, & verticem primus occupat. In terram prouolutus, & genibus flexis, manibúsque in cælum erectis, austrum salutat: & gratias immẽsas scribit se Deo cælitibúsque omnibus persoluisse, qui tantæ rei palmam sibi homini non magno ingenio pollenti, non perito, non optimati, asseruauerint. Sacris orationibus suo militari more peractis, commilitones dextra innuens vocat, desideratum pelagus ostẽdit. Repetito poplitibus deflexis, orat superos, atque in primis Deiparam Virginem, vt faustè felicitérque cœptis faueant: & lustrare, quas sub pedibus videant, terras liceat: itidem & socij omnes, sublatis præ lætitia vocibus, faciunt: Hannibale, Italiam & alpina promontoria militibus ostendente ferocior, ingentes opes sociis pollicetur: Eccè desideratum pelagus, eccè ô tot laborum socij commilitones, de quo nobis tot tantáque Comogri filius, & indigenæ reliqui prædicârunt. His dictis, in possesßionis signum, pro aris saxorum congerit tumulos. Ad dextra læuáque, nè posteritas arguat eos mendacij, declinans è vertice montium, inscribebat

Mare Australe à Vaschο Núnez primo detectum

passim arboribus, scisso cortice, Castellæ regis nomen: & saxeas erigebat vbique strues, donec ad reguli australis regiam ventum est, qui Chiapes dicebatur. Arma capit Chiapes, prosilit cum ingenti multudine minitabundus, prohibiturus non modo transitum, sed & accessum. Instruunt acies nostri, licet numero pauci: ruunt in aduersos. Sclopettis primùm, & molossorum, quos Alanos vulgus vocat, cohorte Chiapem salutant. Audito montium reboatu ex emissis globulis, & puluereo viso flammas euomente fumo, sulphureóque odore naribus percepto, (ad hostes nanque ventus flabat) seipsos profligant: perterriti, fulgura in se proijci arbitrantes, sternebantur. Ita solo iacentes, aut versos in fugam, nostri adoriuntur: agmine tamen composito & seruatis ordinibus primum, dehinc soluti assequuntur multos, trucidant paucos, capiunt plures. Statuerant nanque amicè agere, pacatóque terras explorare illas. Chiapæ igitur occupato atrio, soluit è captis in fuga plerosque, qui Chiapem quæritent, & hortentur, veniat: ex reditu pacem, beneficentiam, & amorem polliceantur. Si detrectauerit, sibi suísque imminere exitium & regni excidium, enuncient. Quò apertius ista Chiapæ patefiant, ex Quarequanis, qui nostris viæ duces erant, comites dat Chiapæis quosdam. Ità & per Quarequanos, qui à se & suo regulo coniecturas Chiapæ præposuerunt: & per suos Chiapes persuasus, datæ fidei se credit. E latebris prodiens, redit ad nostros. Datis acceptísque vtrinque dexteris, amicitiam ineunt, & fœderibus se inuicem adstringunt: muneribus etiam mutuis se deuinciunt. Quadringentos auri cælati pesos (diximus ducatum id pondus ferè triente superare) Vascho Chiapes donat. Vt de merito Vaschus benè mereatur, rebus nostris Chiapem munit. Ita cõtẽti vtrique, dies aliquot vnà cõmorati sũt, donec relicti à tergo in Quaréqua socii aduẽtarẽt. Quibus actis, gratis munusculis donatos dimittit Quarequanos: & Chiapæis ipsóq;

Chiapæ ducibus, quarto à montium verticibus die ad littus optatum læti procurrunt. Testibus & scribis regiis adstantibus, mare illud uniuersum & adiacentes mari terras omnes, imperio addicunt Castellano. Apud Chiapen sociorum partem reliquit, quò liberius explorare quiret vniuersa. Nouem capit è Chiapæis monoxylis, quæ ipsi Culchas vocant: & Chiape duce, fluuium traycit ingentem cum viris octoginta è suis, ad alterius reguli ditionem, nomine Coqueram. Is resistere primò ac reycere nostros armis certauit, iisdē auspiciis quibus & cæteri. Cogitata perfecit Coquera. Vincitur & ipse, fugatúrque. Chiapæorum Coquera suasu regressus est: hi nanque functi oratorio munere pro Vascho, quam inuicti nostri sint, quàm mites in supplices, quàm truces & seueri in renitentes, enunciant Coqueræ. Ex nostrorum amicitia, sui reguli & aliorum exemplo, tutelam, patrocinium, & animi tranquillitatem pollicentur. Ex iniuria & detrectatu, excidium & interniciem minantur. Lætus ergò talibus nunciis rediit Coquera: sex centum quinquaginta cælati auri pesos donat nostris. Contra Vaschus donis dona pensat nostratibus: vti apud Poncham diximus. Coquera pacato, redeunt ad Chiapæ regiam. Indè com militonibus reuisis, vbi paulum quieuit, explorare vicinum statuit sinum ingentem: quem ab vltimo ipsius in terram receptu ad patrias ab æquore faucium porrecturas sexaginta milliarium spatio constare aiunt. Sinui sancto Michaëli nomen indidit, quem aiunt habitatis insulis & squallidis rupibus esse frequentem. E nanalibus ergo Chiapæ nouem capit easdem culchas, quibus fluuium tranauerat, & cum sociis in columibus octoginta conscendit, Chiape dissuadente, rogantéque ne vllo pacto sinum tentare illo anni tempore velit: Esse tribus anni mensibus adeò procellosum significat, vt nullo modo sit ibi mare tractabile. Ante ipsius oculos voratas fuisse culchas plures à rabidis verticibus prædicat. Vaschus ta

men impatiens ocij, fore sibi fautores Deum & superos omnes in tali negocio prædicat, rem esse quæ Deum tangat, in qua Christiana religio vires protendet, & hauriendi sunt thesauri, quibus neruis bella geri queant, in hostes fidei. Pulpitarij gerit vicem oratoris, & sociis persuasis, clasiculam Chiapæā conscendit. Chiapes verò ne de ipsius fide Vaschus dubitaret, quacunque proficiscatur se præsto futurum comitem enūciat: assensurum nullo pacto instat, vt se relicto, Vaschus è sua regia pedem moueat. Vbi primum à littore culchas in altum detruserunt, tanta illos vndarum conflictatio adorta est, vt qua se verterent, aut vbi consisterent, consilium deesset. Versi alternè in facies, quisque socios pauidos & perterritos inspectabat: sed præcipuè Chiapem & suos, importuni maris illius peritos, res macerabat, qui multa huiuscemodi pericula summersionésque viderant in vicinis: elapsi tamen, culchis alligatis, in proximam se recipiunt insulam. Ibi pernoctando fluxus inclusit, & ferè totam cooperuit. Aiunt id australe pelagus æstuans adeò tumescere, vt multæ in eo tunc lateant magnæ rupes, quæ demum refluente videntur emergere. Contra, septentrionale qui inhabitant, omnes vno ore, vix cubito prodire à littore, asseuerant. Fatentur & ijdem qui Hispaniolam & reliquas incolunt conterminas insulas. Desiccato igitur à reflexu littore, ad culchas stupidi redeunt, obrutas omnes & arena repletas repererunt ex illis quassatas nonnullas, & hiscentes rimis, licet vniligneas ac ruptis rudentibus semideperditas. Cingulis & arborum corticibus & tenacibus quibusdam marinis herbis laceratas resarciunt, herbísque stipant ad necessitatem. Regrediuntur ergò naufragis similes, & fame penè consumpti, quia nil penitus eis ad vescendum tempestas reliquerat. Horrendos audiri mugitus æquoris toto anno, quandò fluit aut refluit, inter eas insulas indigenæ prædicant: sed præcipuè tribus illis men

sibus à Chiape nominatis: quos Octobrem, Nouembrem & Decembrem esse, ex illius sermone collegerunt: præsentem nãque lunam, & subsequentes duas insinuauit: erátque is mensis October. Refectus paululum, vno inutili regulo prætermisso, ad aliud è sinus illius lateribus tendit, cuius regulum Tumaccum à regionis nomine appellant. Is armatus prodit, vt cæteri. Contraitur & cum Tumacco, vti cum aliis. Vincitur fugatúrque, trucidantur obstantes: reliquis ignotum est: intenditur nanque pacandis nationibus & amicè tractandis. Vulneratus euasit Tumaccus. Per nuncios Chiapæos Tumacco suadetur vt redeat, nil vereatur. Neque pollicitis, neque minis mouetur. Mortem illi, & suo generi exterminium, locorúmque sui regni excidium ex peruicacia, disserunt. Filium tandem venire iussit. Hunc Vaschus vestitum & munusculis donatum remisit, vt genitorem accersat, & illum de nostrorum natura & fortitudine commonefaciat, hortatur. Hac benignitate in filium motus Tumaccus, in diem tertium ab adductu filij venit. Nil tunc attulit, sed missis familiaribus, sex centum quatuordecim auri pesos, & ducentos quadraginta egregios vniones, è minutis autem copiam maiorem afferri iussit. Vniones nostri admirabantur, licet non ritè candidos quia è conchis illos minimè eruunt, nisi prius assis, quo facilius sese ipsæ aperiant, & caro inclusa sapidiùs coquatur: sunt nanque edulia regum & obsonia carnes eorum, quas maioris pendunt quàm margaritas ipsas. Hæc Arbolantius quidam Hispanus Cantaber è Vaschi commilitonibus vnus, ab eo missus ad regem cum vnionibus & conchylibus, retulit. Credere oportet rerum participibus. Tumaccus ergò tanti facere vniones nostros inspectans: familiaribus quibusdam suis qui aderant, vt piscationi se accingant, imperat: dicto parent. Quarto ab indè die regrediuntur: libras octunciales vnionum afferunt duodecim. Pars vtraque gaudens, sese mutuis

Cóchylię vnionum, edulia regum.

stringit amplexibus: quòd nostros gratis muneribus donauerit, quódque admissus in amicitiam fuerit Tumaccus, se felicem esse arbitratur. Nostri hoc tanto grandium opum argumento se beatos fore, saliuam deglutiendo, interloquuntur. Rerum omnium Chiapes regulus & testis & comes erat. Lætabatur & ipse, quòd suo ductu & nostris satisfactum iri viderat, & vicino regulo, fortè non amico, sed potentiori, ostenderet quales sibi viros haberet amicos. Id suæ domûs authoritati cõducere nõ dubitãs: grauib⁹ nãque inter se odiis hi nudi reguli, ambitione sola eos exagitante, fatigantur. Vaschus iactat, apud Tumaccum se mira de illius terræ opibus secreta didicisse, quæ ad præsens velle se reticere, inquit: ad aurem locutum illi Tumaccum insinuat. Ab vtroque tamen regulo esse in eo sinu cæteris grandiorem insulam, aiunt, potente vno rege contentam: & qui sedati maris tẽporibus ad ipsos tranet magna culcharum classe, in prædámque raptet obuia cuncta. Ea insula distat ab hoc litore millia passuum circiter viginti: apparéntque illius promontoria ex continentis elatis collibus. In ea insula conchylia gigni feruntur vmbellam æquantia magnitudine: à quibus vniones, conchylium corda, eruuntur, faba & interdum olea grandiores: & quos Cleopatra optare potuisset. Licet adeò proximè ad littus insula se applicet, extra sinus fauces tamen eius initium in amplum æquor porrigitur. His intellectis, Vaschus isthac exhilaratur narratione lucratiua: & quò propensiores sibi regulos redderet, & arctiore vinculo deuinciret, ferocia in tyrannum verba detorquet, iurgiis & contumeliis iniurium regulum lacerat. Nulla mora interiecta, traiecturum se ad eum debellandum, prostrandum, trucidandúmq; iureiurando intonat: & vnà culchas parari iubet, quib⁹ dictis facta cõpẽset. Ast reguli Chiapes ac Tumacc⁹ amicè illũ hortãtur & cõmonefaciũt, vt prouinciã in pacati⁹ differat tẽpus: nulli esse nauigio ea tempestate (erãt enim iam

Nouembris Nonæ) mare illud peruium: procellosissimum & tempestuosum atque inhospitale penitus esse repetebant. Vera dicere regulos constabat. Horrendo quippe fremitu inter sinuales eas frequentes insulas, rugitus ex conflictationibus crebris exaudiebantur: & è montibus, relictis alueis, flumina saxa secum & magnas arbores trahentia, inaudito strepitu defluebant eo tempore: ventorúmque vis atrox furiebat non sine domorum iactura. Austri erant & Euronoti tractuum illorum, ea tempestate tonitruis & fulguribus associati, perpetui hospites. Sereno tempore noctù frigore vrgebantur, die verò molestus illis erat ardor solis. Neque id mirum, cum essent æquinoctio proximi: licet ipsi nullam de polo mentionem faciant. In tali nanque regione luna, cæteríque frigentes planetæ noctù: die verò sol, & factionis eius errantia sidera, vim suam exercent. Licet aliter vetustas senserit: quæ ob solis perpendiculum, desertum relinquebat æquinoctialem circulum: præter paucos authores, quorum sententiam experimento Portugallenses probant haud dubiè. Quotannis quippe ad antarcticos hyperboreorum ferè antipodes tranant, & commercia cum eis contrahunt. Antipodes dixi, quanuis me non prætereat, non defuisse viros alioqui ingenio singulari & summa doctrina pollentes, cælitibúsque ex his admixtos nonnullos qui antipodes negent. Non est cuiquam vni datum omnia scire. Assecuti sunt Portugallenses alterius poli gradum quintũ & quinquagesimum amplius: vbi punctum circumeuntes quasdam nubeculas licet intueri, veluti in lactea via sparsos fulgores per vniuersum cæli globum intra eius spatij latitudinem. Notabilem stellam huic nostræ similem, quam vulgus polum esse arbitratur, & tramontanam Italum, Hispanum nortem appellat: nullam aiunt illi polo vicinam, quæ non cadat in oceanum. Ex axe medio Libræ, sole cadente nobis, illis ascendit: & ver, quando nobis autumnum: æstatem, quan-

dò hyemem ad illos importat. De alienis ab instituto nostro, iam satis: nostros repetamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS tertiæ, cap. secundum.



Hiapæ ac Tumacci regulorum consilio, differre transitum ad insulam placuit in vernum aut æstiuum tempus: quo se futurum nostris comitem Chiapes obtulit. Intereà retia regulos habere, & piscaria concharum margaritas gignentium littora, pro prædiis, intellexit Vaschus: quas tanquàm è viuariis eripiunt regulorum egregii vrinatores, ad id exercitium à teneris educati, sed quieto tranquillóque mari littus æstu deserente, quo facilius ad earum stationes submergi queant. Et quo maioros conchæ sunt, eo profundius inhabitant: minores verò, vti filiæ, propiores aquæ margini: minimæ autem, vti neptes, supercilio viciniores degunt. Ad ima conchylia staturas viriles tres, quatuor interdum, descendunt. Ad filias aut neptes dimidio femore tenus, & breuius aliquandò, subnatant: quarum etiam post sedatum à feris tempestatibus æquor, multitudinem in arena ab vndis diuulsam, proiectámque in littus reperiunt. Quæ in arena leguntur, minutis pollent baccis. Conchyliorum eorum caro esui est, vti nostrarum ostrearum, accommodata: sed laudabilioris esse saporis illa ostrea ferunt. Fames fortè, omnium escarum optimum condimentum, id fateri nostros monet. An concharum sint corda margaritæ, vti placet Aristoteli, an fœtus interaneorum, vti Plinio, & ipsorum sint partus: hæreant ne perpetuo scopulis, an gregatim, senioribus ducatum agentibus, pelago vagentur: singulos procreent,

Fames escarũ optimũ condimentũ.

an plures vniones singulæ testæ, semel an iteratò: lima radantur fixæ, an facilè diuellantur, & maturæ prodeant sua sponte molles intra testam, an duræ sint margaritæ: adhuc nostris est incompertum. Certam propediem spero me rationem consecuturum, quandoquidem præ manibus rem nostri habeant. Vbi appulsum Petrum Ariam ducem nostrorum sensero, ab eo per literas petam, vt ista diligenti vestiget indagine, mihíque ad vnguem cuncta significet. Scio daturum operam, est nanque mihi amicus. Absonum quippe videtur, vt de re tanta mussitemus, quæ promiscuè viros ac fœminas, antiquitatem ac nostra tempora trahit, traxítque præcipites in immoderatum suî desiderium. Cleopatrarum posthac & Æsoporum hiatus satiare poterit margaritis Hispania. Neque vltra feracibus Stoidi aut Taprobanæ vel Oceano Indico Erythræó ve mari assurgetur, aut inuidebitur. Ad institutum redeamus. Tentare per suos natatores Vaschus Chiapæ margaritale prædium statuit. Huic vt morem gereret Chiapes, licet aduerso procellosóque tempore, triginta iubet è suis vrinatoribus illi arti assuetis, properare ad viuaria. Comites è suis mittit Vaschus sex tantum, qui rem inspectent è littore, nec se periculo tempestatis credant. Vna proficiscuntur. Distabat ab Chiapæ regia piscarium ad littus milliaria fortè decem. Fundum tentare ob maris iram minimè sunt ausi. E conchis superciliaribus, & è reiectis vi procellarum ad littus sex attulerunt sarcinas breui dierum numero. Harum carnibus more heluonum depasti sunt. Baccæ verò lente aut exiguo cicere nihilo grandiores, sed nitore candido, quia è crudis euulsæ. Nè mendacii, de concharum magnitudine arguantur, ad regem vna cum margaritis, egregiæ missæ sunt pleræque testæ carnibus exesis. Putamus nullibi terrarum reperiri posse grandiores. Conchylia igitur hæc, aurúmque vbique domorum repertum, naturam habere in illis tractibus reconditas ar-

guunt immensas opes, quia hæc in digitulo pigmæolo tantum. De gigantæa manu (Vrabæ nanque sola est tractata vicinia) quid erit, quandò vniuersas eius adeò vastæ telluris oras, penetraliáque illius secretiora explorauerint? Contentus & talibus inuentis gaudens Vaschus, regredi ad Darienem ad socios vbi & aurifodinas habent à vico milliaria fortè decem, sed diuersa constituit via. Dat Chiapæ veniam, ne vltrà sequatur: seruet se incolumem, suadet. Mutuis se amplexibus, ferè obortis Chiapæ lachrymis, adstringunt, dexterásque secedentes dant inuicem: valetudinarios relinquit, cum incolumibus carpit, ducibus Chiapæis nautis, iter. Traducit agmen per fluuium ingentem minimè vadosum, ad reguli ditionem nomine Teaocham. Audito nostrorum aduentu, quia mores eorum iam vestigauerat, summoperè delectatus est regulus. Prodit obuiam libens: nostros honoratè suscipit ac salutat amicè: inque amoris argumentum auri affabrè laborati Vascho libras offert octunciales viginti: præstantes quoquè vniones ducentos, licèt malè nitidos, quia læsos igne. Datis ergò vtrinque dextris, Teaochæ munere benè pensato, Chiapæis dat commeatum, id rogante regulo Teaocha, ne suo & ipse desiderio obsequendi nostris defraudetur. Theaocha igitur nostris ex ipsius regia discedentibus non modò dat viæ comites, sed & obsequiaria mancipia, quæ iumentorum vicem gerant ad comportandum humeris viaticum: quod eundum esset per deserta syluarum & steriles ac squallidos montes, feris tigribus & leonibus refertos: dátque mancipiis in ducatum regulus chariorem è filiis. Salitis piscibus & pane patrio ex iucca & maizio confecto, mancipia onerat: filióque imperat, nè à nostris vnquã recedat, aut reuertatur, donec Vascho libeat. Ad regulũ, his ducẽtibus, tẽdit Vaschus, nomine Pacrã, tyrãnũ atrocem, finitimorũ regulorum hostem infensum, potentiorem cæteris.

Is, siue conscientia scelerum territus, siue quod imparem se fore intelligeret, aufugit. Magnos æstus se fuisse passum Nouembri mense lethalémque sitim scribit, quia sit ea pars montium aquis malè fortunata. Periissent, nisi ostensum ab incolis in abdito syluarum secessu fonticulum agiles duo iuuenes è nostris, aquatum cum cucurbitis & vasis aqualibus quæ Teochenses gestabant, properè adiissent. Ex incolis ausus est nullus è turba secedere, quod nudos obuiæ feræ impetant. In illis præsertim iugis, & fontis illius vicinia, è domibus, inquiunt, se aliquando noctù raptari, nisi diligenter solicitéque vectibus & seris clausis domorum ostiis sibi cauerint. Operæprecium erit particularem casum, priusquam vltrà progrediamur, recensere. A tigride aiunt infestatum fuisse anno superiore Darienem, iactura non minore quam ab apro quondam rabido Calydoniam, aut à leone fero Nemeam. Integro nanque semestri noctem aiunt exactam fuisse nullam indemnem, quin vel iuuencam aut equam, canem aut porcum intra vici ipsius vias interfecerit. Armenta gregésque iam assequuntur: immò & minimè tutò, referunt, domo exisse quenquam eo tempore, quandò præcipuè catulos alebat: tunc nanque adoriebatur & homines fame vrgente catulorum, si homines prius occurrebant, quàm brutum animal. Necessitate cogente tandem ars inuenta est, qua tanti sanguinis pœnas lueret: exploratis quippe angustiis semitarum, quibus è cauernarum latebris ad prædam noctù prodire solebat, iter scissum est. Excauatam scrobem cratibus & egesta terra, parte superuacua dispersa, strauerunt. Veniens incautus, mas quidem erat, tigris decidit in foueam, & sudibus acutis in scrobis fundo fixis inhæsit. Rancatu suo vniuersam obtundebat viciniã, & montes illo stridore reboabant. Saxis ingẽtibus, è fossæ superciliis in eum sudibus infixum deiectis, peremptus est. In mille assulas & mille frustula, fixa dextra, directas hastas

De fera tigride.

& ab alto iaculatas dirumpebat. Semianimis & exanguis formidine replebat intuentes: quid solutus & incolumis fecisset? Ioannes quidam Ledesma Hispalensis, Vaschi amicus & laborum socius, de tigride illo se comedisse fassus est. Bouina carne nihilo deteriorem esse mihi retulit. Vndè tigridem esse dicant interrogati, qui nunquàm tigridem viderunt: respondent, à maculis, à feritate, à dexteritate, à signísque aliis ab authoribus datis, tigrim arbitrari. Cùm & pardos & pantheras maculatos ex ipsis plerique se vidisse prædicent. Tigride mare perempto, montes versus vestigia illius secuti, antrum coniugale ipsius domicilium adeunt: duos, absente genitrice, catulos vberibus adhuc matris indigos auferunt. Mutato consilio, quo grandiusculos effectos in Hispaniam post hæc mitterent, ferreis catenis diligenter in colla compositis, ad maternum antrum paruulos reportant lactandos. Post paucos indè dies regreßi ad speluncam, catenis nil suo loco mutatis, vacuam reperêre speluncam. Putant à matre in frusta præ rabie dilaceratos, ablatósque, nè quisquam eis frueretur. Asseuerant nanque solui è catenis nullo pacto potuisse viuos. Pellis perempti tigridis ad Hispaniolam, siccis herbis & culmo farcta, missa est ad Almirantum & primores, à quibus hæ nouæ terræ leges & auxilia expectant. Et qui à tigride incommoda paßi sunt, & qui pellem eius tractarunt, hæc mihi disseruerunt. Quæ dant, accipimus. Ad Pacram, à quo sumus digreßi, redeundum est. Desertos Pacræ boios, id est, domos, ingressus Vaschus, Pacram nititur attrahere. Per legatos eadem Pacræ significat, quæ cæteris significata memorauimus. Diù Pacra renuit. Detrectanti minæ superadduntur. Venit tãdem tribus regulis comitatus. Deformem adeò sordidúmque scribit Vaschus ac fœdum esse Pacram, vt non turpius quicquã se vidisse vnquàm fateatur. Humanam tantum illi formam tribuisse naturam, inquit: de cætero brutum animal, agreste,

monstrosum. Mores, inquit, habitudini ac lineamentis pares: Quatuor vicinorum regulorum vi raptis filiabus, abutebatur libidine detestanda. De obscœnis Pacræ moribus, déque iniuriis alteriusmodi multa per finitimos regulos coram Vascho, vti coram iudice prætorio vel Hercule vltore, iactata sunt: vt de Pacra supplicium sumeretur, efflagitabant. Belluã immanem cum regulis ipsis tribus, Pacræ dicto parentibus, ijsdémque morbis laborantibus, in bellatorum canum fauces cõiecit, illorúmque lacerata cadauera cremari iussit. De canibus cum quibus prælia ineunt, mira referuntur. Ad indigenas armatos haud secus irruunt præcipites, ac in fugaces ceruos aut feros apros, si digito monstrentur. Accidit interdùm non ensibus, aut sagittis vel telis aliis opus fuisse ad profligandos hostes obuios: data quippe tessara canibus solutis præeuntibus agmen, torua molossorum adspectu atque insueto latratu perterriti hæsitantes, pugnas ordinésque, stupidi prodigioso inuento, deserunt. Aliter tamen accidit, quandò cum Caramairensibus & Caribibus manus conseruntur: ferociores nanque bellísque gerendis aptiores sunt. In ruentes canes citius fulgure icto venenatas destinant sagittas, & multos perimunt. Horum verò montium incolæ non sagittis, bella gerunt: maccanis tantum, id est, ensibus ligneis, latis, oblongis, & missilibus, hastísque præustis, agunt in hostes. A viuente Pacra, vbinàm aurum familiares eius colligerent, nullis vnquam blanditiis: aut minis vel tormentis potuit extorqueri. Vnde autem illud haberet, interrogatus, (ex eius quippe gazophylacio libras auri triginta fuerant assecuti) respondit: mortuos esse familiares, qui parentum suoque tempore aurum è montibus illis colligerent: nil fuisse sibi curæ, ex quo excessit à pubertate, de auro quæritando. Diuelli ab hoc proposito instituto nunquàm potuit. Ex hac in Pacram seueritate, finitimorum sibi regulorum animos concilauit Vaschus. Hinc exortum est,

vt vocatos ad se valetudinarios, quos à tergo relictos diximus regulus qui medius erat itinere recto, nomine Bononiama, trãseuntes benignè susceperit, & libras auri cælati viginti dederit, esuíque apta præbuit affluenter: neque deserere nostros voluit vnquam, donec ex sua regia in Pacram illos traduxit Vaschóque omnes tanquam fidele depositum ipsemet dextra tenens quenque tradiderit, inquiens: Eccè commilitones tuos vir fortißime, eccè quales mea regia suscepit venientes, tales tibi dedo: vellem incolumiores, sed tibi sociisque tuis rependet ille, qui tonitrua mittit & fulgura in homines nefarios: & iuccam nobis ac maizium ex bonitate sua præstat per temporum clementiam. Hæc inquiens, in cælum tendens oculos, solem insinuabat. Tu nostros hostes violentos & superbos perimendo, nobis, domibúsque nostris animi tranquillitatem affers. Tu monstra domas: te, sociósque tuos præstantes virtute viros, ex alto missos arbitramur: quo sub vestræ maccanæ tutela, nobis liceat impauidis agere vitam. Datori bonorum, ex hac tanta nobis aduecta felicitate, gratias agemus perpetuas. Hæc & huiuscemodi alia concionatum fuisse Bononiamam regulum, interpretes aiebant. Cui Vaschus de comitatu & beneficentia erga nostros gratias retulit pares: multis quippe gratißimis apud ipsos donis ornauit Bononiamam. Multa scribit ab hoc regulo Vaschus se didicisse de illarum partium opulentia: quæ se velle in præsentiarum præterire ait, ad euentúmque illa citat. Quid sibi velit hæc hyperbole implicita, nõ intelligo. Magna polliceri videtur, neque ab eius promisso aalienũ fore iudicandum est, quin ingentes opes sperari queãt: quandoquidẽ nullam incolarum domum adierunt, in qua thoraces aut pectoralia aurea, vel colli aut lacertorum aurea monilia, non repererint. E nostrorum ego domibus facio conlecturam. Si quis ferri cupiditate stimulatus, sese manu

forti conferret in Italiam aut in Hispaniam, quidnam ferri reperiret in domibus? ibi ferream sartaginem, ex ferro cacabum alibi, & tripodes igni appositos ac verruum copiam ad coquinæ necessitatem. Nullibi ex ferro vsui non aptum quicquam inueniet, magnámque ferri copiam assequeretur. Ferrū inesse regionibus ex inuentis coniectabitur. Indigenas illos nihilo maioris facere rude aurum senserunt, quam nostri rude ferrum æstiment. Hæc ego, beatissime Pater, ex Vaschi Nūnez & commilitonum eius literis & viua voce de rebus illis habeo: tempus autem occulta quæque detegens, ea clarius patefaciet. Nil egregium in aurifodinis quæritandis potuerūt hi perficere: quoniam è centum nonaginta viris, quos ex Dariene Vaschum eduxisse memorauimus, septuaginta solùm, aut quandò altiùs, octoginta vsus est opera in rebus gerendis: cæteris à tergo semper in regulorum domibus relictis. Sed eos præcipuè in varios ait morbos incidisse, qui recenter ex Hispaniola fuerant aduecti. Hi quippe tantam nequiuerunt calamitatem tolerare, vt prouinciali pane solum, & herbis agrestibus sine sale, sæpius cum fluuiali potu, atque, illo interdum salubri deficiente, contenti, alerent stomacchos melioribus escis assuetos: Priores autem Darienenses malis omnibus perferendis, & esuriei vltimæ suos indurauerant. Vndè longiorem acriorémque Quadragesimam, quam tua Sanctitas ex Maiorum instituto iubeat obseruari, se egisse facetè iactitat. Quadriennium nanque se perpetuum consumpsisse, inquit, terræ frugibus aut arboreis fructibus rarò saturos ipsum & socios: piscibus rarius vsos, rarissimè carnibus: & eousque deuētum lamentatur, vt scabiosos canes & cœnosas bufones, ac huiuscemodi alia pro delicatis epulis & lautis obsoniis, quandò illa assequebantur, edere fuerint coacti. De his latius in superioribus exarauimus. Priores autem appello Darienenses eos, qui Nicuesa & Fogeda ducibus terram primum captârunt

habitandam, è quibus pauci superstites erant. Hæc iam missa faciamus, & Vaschus per celsa iterum cacumina montium victor reducatur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS tertiæ, cap. tertium.

IN Pacræ regia triginta dies, incolarum animos concilians, & sociorum egestati consulens, exegit. Indè, Teaochensibus ducibus, ripam fluminis Comogri prehendit, à quo & regio & regulus sibi nomen adepti sunt. Torpentia reperit ea montium latera, horridáque adeò, vt, præter herbas aut radices agrestes, brutorum escas, vel arborum fructus, nil esui aptum inuenerit. Duo reguli contubernales affines terrã infelicẽ incolebant. E thominũ & soli malè fortunatã faciem fugiens properè, fame stimulante, discedit. Cotochum ait alterum è pauperibus regulis, Ciuriza m alterum appellari. Ambos trahit viæ duces, Teaochensibus dato commeatu. Per horrentes syluas & inuios montium anfractus, pérque loca palustria postmodum & cœnosas lamas, quæ impositis cedunt pedibus, & viatorem plerunque absorbent incautum, sociis penè fame cadentibus, dies percurrit tres: pérque loca benignitatis naturæ ad humanum vsum expertia: quà rarò apperta itinera reperiebat, quia rarò inter se commercia contrahunt indigenæ: bellicis tantum incursionibus se inuicem trucidant, aut raptant in seruitutem: de cætero contenti quique suis limitibus. Ad alterius tandem reguli ditionem appulsi, qui Buchebuéa dicitur, vacua omnia & silentia reperiunt: ad syluas profugerant & regulus & ditionarij omnes. Missis legatis qui eum adducerent, non modò non iniuriam minantur,

verumetiam patrocinium pollicentur. Respondit Buchebuéa, non iniuriæ metu aufugisse: verum præ pudore atque animi tristitia secessisse: quod nostros honorificè, vti merebantur, suscipere nequiret: quia nil eis poterat ad victum impartiri. In obseruantiæ tamen & amicitiæ signum, vasa pleraque aurea ad nostros, petita venia de reliquis, libens misit. Visus est miser insinuâsse, ab finitimo se hoste aliquo fuisse spoliatū ac superbè crudelitérque tractatum. Indè igitur hiantes fame ac macilentiores discedunt, quàm eò venerant. Inter eundum ex transuerso nudi quidam incolæ sese offerunt, è cliuo innuētes. Sistere agmen iubet Vaschus: expectantur. Quid velint, interrogantur per interpretes quos secum habebat Vaschus. Ita sunt affati: Regulus noster Chiorisus vos salutat. Viros vos esse fortes & iniuriantum domitores, malorúmque debellatores, intellexit: propterea vos tantum fama notos colit & obseruat. Nil maluisset quàm vos intra regiæ suæ tecta conuiuas habere: beatum se talibus hospitibus fore inquit. Sed quandoquidem sors illi est aduersata, restétque deui° à tergo, in amoris argumentum hæc auri frustula vobis dono dat. Patenas è puro auro triginta cum vrbano subrisu Vascho porrigunt. Maiora se præbituros, si aliquandò ad eos ièrint, pollicentur. Vocat Hispanum vulgus patenas, quas collo gestant bullas: & quibus in sacris cooperiuntur calices admissi altaribus. Propterea, patellas mensales intelligat, an bullas, non percipio. Puto patellas escales, quia ponderis erant librarum quatuordecim octuncialium. Prætereà finitimum se habere hostem regulum, & opulentum auro, à quo infestantur quotannis, retulerunt. Quasi inferre volentes, & vos dites efficiet eius reguli excidium, & nos amicos à quotidiana liberabitis molestia. Id facile fore, per interpretes enunciant, nostris auxiliantibus, se ducatum agentibus. Bona spe præbita, nuncios Vaschus remisit alacres: ve-

rum ex pensato suo munere beatos, præbitis quibusdam ferreis securibus, quas maioris faciunt, quàm grandes auri cumulos. Auro nanque parum indigent, pecuniæ expertes mortiferæ: securibus verò ille se Crasso ditiorē fieri fatetur, qui vnam assequatur. Ad mille vsus hominum accommodatas esse secures, nudi homines ferunt. Aurum verò ad inanes quosdam appetitus quæritari, quibus carere haudquaquam est incommodum: neque enim ad eos nostra gula descendit, quæ abacos onerare multiplicibus prægnantes toreumatibus illos vti nostra tempora, cogat. Non mensis, non mappis, non mantilibus vtuntur: nisi fortè reguli paucis vasculis aureis mensas ornent: cæteri sumpto dextra pane patrio, & sinistra piscis assi frustulo aut fructu aliquo, famem propellunt: carnes rarò adipiscuntur. Si vero tergendi sint aliquo vncti edulio digiti, pedum plantam, aut femoris cutem, vel genitalem interdum crumenam, sibi habent pro linea mappa. Idem de insularibus Hispaniolæ fertur. Crebrò tamen se fluminibus immergunt, & se totos lauant. Auro igitur onusti nostri progrediuntur, sed afflictissimi, & spiritum vix trahentes præ inedia. Pocchorrosæ reguli ditionem offendunt. Maizio pane, qui est vti paniceus Insuber, ibi triginta dierum intercapedine exhaustos repleuerunt ventres. Aufugit Pocchorrosa: blanditiis & promissis pellectus redit. Mutuis se muneribus afficiunt: solitis Vaschus Pacchorrosam, atque iisdem recipientis gratissimis: Pocchorrosa Vaschum auri conflati libris quindecim, & mancipiis paucis. Volens indè discedere, iter sibi fore per vnius reguli ditionem, nomine Tubanama, relatum est. Is est, quē à Comogri filio, potētē esse, atque vniuersæ viciniæ formidolosū, aliâs intellexerāt: apud quē è Comogri familiarib⁹ plerique mancipium egerant, bello capti. Tubanamæ potentiā, vti nunc constitit, à seipsis dimensi fuerant: quando illa re-

censebant, quam culices ad elephantem illi sint reguli si sub strenuo & felici duce militantibus, nostris comparentur, ignaui. Neque transmontanum esse Tubanamam, vti arbitrabantur: neque auro adeò fultum, vti Comogreus iuuenis prædicauerat è proximo cognouerũt. De prostrando tamen cogitatur. Hostis erat Tubanamæ Pocchorrosa: propterea illi placuit Vaschi de hoste suo delendo consilium. In Pocchorrosa valetudinarios relinquit: sexaginta, quos habebat incolumes & animo pollentes, ad se vocat: quid facto sit opus, illis aperit. Tubanamam regulum iactanter superbéque sæpius fuisse ipsi & sociis omnibus minitatum: & necessariò per eius ditionem eundum fore, prænunciat. Imparatum censet esse impetendum. Aßentiuntur consilio comites: vt rem aggrediatur, suadent & hortantur, secuturos se offerunt. Duorum iter dierum vno peragendum esse statuunt, nè cogendi armatos Tubanamæ copia præbeatur. Vti cogitatum est, ità euenit. Prima noctis vigilia cum Pocchorrosensibus vnà Tubanamæ regiam adoriuntur. Palantem & imparatum præhendunt: viros apud se duos obsequiarios habebat: fœminas autẽ per vim & iniuriam à diuersis regulis raptatas octoginta: ditionariis omnibus, & eius dicto parentibus reguncul is, per pagos circumuicinos dispartitis: quia sedato ociabatur animo, nil suspicans. Semotis nanque, non contiguis, habitant domibus, ob furentes ventos: crebris nanque nimbosis typhonibus fatigantur ob repentinos motus aëris ex effectibus siderum in æqualitate diei & noctis: quia sunt, vti aliâs diximus, æquinoctio proximi. Domus autem sunt ligneæ, contectæ circunseptæque paleis, aut culmo paniceo patrio, vel herbis prouincialibus tenacibus. Tubanamæ atrio domus altera tantum inhærebat non minor primaria: centum & viginti passuum vtriusque domus longitudinem, latitudinem verò passuum esse quinquaginta, dimensi sunt. Hæ domus ad habendos

militum delectus, si quando bella mouebat Tubanama, paratæ erant. Capitur Tubanama, capitur & Sardanapalicus eius comitatus vniuersus. Insultabant in vinctum Pocchorrosenses, contermini[que] omnes reguli. Audita Tubanamæ fortuna psallebãt: nihilo nãque minus infensũ suis finitimis Tubanamã fuisse intellexerũt quã fuisse Pacrã in diuerticulo ad austrũ diximus. Vincto Vaschus dissimulanter minabatur, re autẽ nil mali Tubanamæ cupiebat. Debitas hîc pœnas tyranne lues, aiebat: te, si huc se conferrent, capillis raptatos Christianos omnes in vicinum flumen obruturum sæpè apud tuos iactitâsti. In idem flumen raptabere miser & obrueris: & vnà iubet hominem attoli, dato tamen sociis veniæ signo. Ita deterritus infelix Tubanama, serio ista imperari meditatus, veniam, prostratus ad Vaschi genua, petit: se nihil horum dixisse vnquam iureiurando asserit. Regulos fortè suos ebrios ista protulisse: regulósque intemperantes appellans, arguebat procacitatis. Vina quidem illorum, licet non ex vuis, (vt iam significauimus in nostri agelli primitiis ad tuam Sanctitatem) ebrietati tamen apta sunt. Finitimos etiam in se fuisse ista commentos lamentabatur, & ob inuidiam in se conflatam, quod potentior esset, talia confinxisse. Auri se copiam ingentem allaturum promittit, modò ignoscatur. Dexteram affigens pectori, ait se amâsse timuisséque semper nostros: quòd machanas, id est, enses, nostrorum audiuerit suis machanis esse acutiores, scinderéque acrius quicquid fiat obuium, intellexisset. In Vaschũ dirigens oculos ait: Quis contra ensem istum tuum, nisi mentis inops, dextram erigere audebit? quo findere potes & soles peruicacem hominem à vertice vno ictu ad vmbilicum? Ne tibi quisquam persuadeat, fortissime viuentium, ex ore meo prodisse quicquam eiusmodi. Hæc & multa disseruit, nodum mortis iam deglutiens Tubanama, quandò ad ipsius lachrymosa postulata se flexisse animum Vasch⁹ dissimulat. Placido

vultu illum alloquitur, & data venia solui iubet. Afferuntur interea ex duobus atriis libræ triginta puri auri octunciales, in fœminea conflati monilia. In diem vero tertium aliæ portantur à regulis eius missæ libræ sexaginta in temeritatis mulctam. Sed vndè id aurum assequatur, Tubanama interrogatus, negauit è proximo effodi aurum illud. Fuisse ad suos maiores importatum à flumine Comogro in austrum deriuãte, insinuabat. Pocchorosenses vero, cæterique illius hostes, mẽtitum fuisse aiebant, ditescereque auro regnum illius affirmabant. Contrà Tubanama, nullam in ditione sua se noscere aurifodinam, perseueranter aiebat: collectos tamen aliquando minutos quosdam alicubi grumulos aureos: sed de his colligendis se minime fuisse vnquam solicitum: quia id fieri sine longo magnóque labore nequeat. Dum hæc ita tractarentur, ad Vaschum veniunt in Pocchorrosa postergati, appulsíque sunt octauo calend. Ianuarii, calce anni M. D. X I I I. pérque mancipia à regulis australibus habita fossoria tulerunt instrumenta, auro apta deligendo. Natalem Domini diem ab omni opere immunem exegerunt. Altero autem ab eo, quo beati Stephani protomartyris solenne agimus, in cliuum parum à regia Tubanamæ distantem, quia terræ colorem dicit se cognouisse auro gignendo testem, fossores quosdam ducit. Scrobe ad sesquipalmum effossa, grumulos lente non grandiores aureos se reperisse, cribrata leuiter terra, scribit: & tominum, vt eius vtar vocabulo, qui trapezitarum appellatione, duodecim grana continet, coram notario ac testibus collegisse, quô rei fides præstetur. Vndè arguit, finitimorum dictis quadrare telluris illius opulentiam, licet id minimè potuerit à Tubanama extorquere. Putant Tubanamam nihili fecisse exiguam adeò eam portiunculam: alij pertinaci aiunt stomacho Tubanamam negâsse fortunari auro suam tellurem, ne aliquando ad eam auri cupiditas nostros trahat vsurpandam. Sed vates fuit bonus

regulus. Eam quippe ac Pacchorrosensem destinârunt ad habitandum eligendas, déque nouis oppidis in vtraque condendis, modò regi placeat, est consilium: tum vt sint, veluti meritoriæ tabernæ, transituris ad austrum receptaculum: tum quia sit vtraque tellus quibuscunque frugibus alendis & arboribus suscipiendis aptissima. Indè iam discedere statuens, tentat obiter alibi terram, colorem calculósque monstrantem gignendo auro consonos. Paulò vltra cutem effossa breui scrobe, pesum, quod Castellani aurei pondus esse diximus in primitiis primis ad Beatitudinẽ tuã: non tamen vno grano, se reperisse perhibet. His rerũ argumentis lætus, Tubanamæ spem felicis successûs pollicetur, modo neminem infestet ex his quos ipse amicos in conterminis linqueret. De auri copia colligenda sua det. Sunt qui ferant abduxisse Tubanamæ fœminas omnes, spoliatúmque, nè insolescere queat, reliquisse. Filium illi sua sponte præbuit alendum Tubanama, quô versans inter nostros, linguam & mores nostrorum perdiscat, & religione imbuatur vt aliquando sit eius institutio vtilis genitori ad fauorem conciliandum. Vrgebatur acri febre Vaschus eo tempore, ex immenso labore vigiliísque & inedia, propterea indè discedens, mancipiorum humeris pensilem portari se iubet. Feruntur & indè pensiles in amachis, id est, gossampinis lodicibus, grauibus confecti ægritudinibus. Quibus autem vires aliquæ suppetebant, neque incolumes, tamen cruribus hebetibus, dextris incolarum sub alas prehensi ssubleuabantur. Ad Comogri tandem reguli amici relicti, de quo supra lata mentio facta est, ditionem appulsus, mortuum esse reperit senem, filiúmque ipsius, quem aliâs à prudentia laudauimus genitoris loco suffectum intellexit, Carolúmque vocari baptizatum didicit. Est huius Comogri regia in radicibus cliui bene culti sita: planitiẽ habet à meridie leguarum duodecim latam, vberem, hanc Zauánam vocant incolæ. Planitie superata, montes occur-

runt altißimi, quos diximus dirimere duo illa maria. A cliuis mitibus fluuius scatet Comogrus, qui planitiem illam interluens, montes petit arduos, perque illorum valles reliqua flumina suo alueo sorbendo, viam reperit ad australe pelagus. Distat à Dariene leucas circiter septuaginta Occidentem versus. Nostris igitur aduentantibus psallens alacérque prodit obuiam Carolus regulus: edulijs potubúsque suauibus nostros recreat: hospitio suscipit honorificè. Mutuis sese muneribus afficiunt. Laborati auri libras octunciales viginti porrigit Vascho regulus. Vaschus non minus grata repensat: secures puta, fabriliáque instrumenta quædam, ad carpentariam artẽ facientia. Sagulo etiam atque interiore texta linea, pro temporis angustia, Comogrum ornauit. His donis se inter vicinos heroëm effectum existimauit Carolus. Comogrum & reliquos omnes commonefactos reliquit, nè vnquàm ab obseruantia & fide erga Castellæ reges discedant, si viuere vitam tranquillam exoptant. Vtque studiosius posthac aurum magno illi Tiba, id est regi, offerendum congerant, hortatus est. Hac via paraturos sibi suísque posteris ab omni hostium insolentia patrocinium, & nostratium rerum copiam affluentem, enunciat. His ità confectis, iter suum prosequitur ad Ponchæ regiã: vbi quatuor è Dariene venisse iuuenes reperit ipsum admonituros, appulsa esse nauigia benè fulta commeatibus ex Hispaniola. Eò nanque se rediturum, quacunque ab austro regredi fas foret, fuerat pollicitus. Quarè sumptis viginti è commilitonibus incolumioribus, longis itineribus ad Darienem ipse proficiscitur: cæteris, vt se pedetentim sequantur, postergatis. Quartodecimo Kal. Febr. anni 1514. scribit se deuectũ ad socios. Data verò literarum ipsius est: Ex Dariene, quarto Nonarum Martij, prius non licuisse, nulla prius discedente naui, inquit. Scribit se illinc duo misisse nauigia, quibus postergati adueantur. Et ijsdem literis multa se iniisse certamina

iactat, nunquam verò fuisse percussum, aut è commilitonibus amisisse vllum pugnando. Nulla est propterea magnæ ipsius epistolæ pagina, quæ gratiarum actionibus referta nō sit, quod à tantis tótque discriminibus & laboribus euaserit. Nullus est eius actus, nulla peregrinatio sine cælitibus inuocatis, Deipara Virgine præeūte sēper. E violento igitur Golia in Heliseū, ex Antæo in Herculem portentorum domitorém, transformatus hic noster Vaschus Balboa fuisse videtur. Mutatus ergò ex temerario in obsequentem, honoribus & beneficentia dignus est habitus: & in catholici regis gratiam receptus, diplomate regio Præfectus militum eius regionis est creatus. Hæc & literæ Darienensium & viuæ venientium voces retulerunt. Quid autem ego, beatißime Pater, è propinquo de hisce rebus sentiam, fortè cupies intelligere. Mea est hæc opinio simplex: & militaris scribendi referendíque Vaschi & sociorum series, rēs ita accidisse, testari videtur. Non per effossos ergo cuniculos ad infernos manes, non per milliaria multa, non per intolerandos labores, & varia vitæ discrimina, scindendo montes, descendet Hispanus quæsitum opes in viscera terræ: sed ex ipsius cute, vix è solo supercilio scrobibus effoßis, vel ex fluuiorum, ripis æstate siccatis leuiter abluta tellure aurum modò perstent inhabitando terram, colligetur: facilíque indagine margaritæ reperientur. Tanti muneris expers fuit, vti Cosmetræ omnes assentiuntur, veneranda vetustas: quoniam ad has gentes itum est nunquam hactenus structis ordinibus: ipsæ verò nullo indigæ vel paruo, minimè hospites velint: immo, vti late ostendimus, adeuntes feroci congressu excipiunt, nec se, nisi bello superatos, tractari patiuntur: si præcipuè in edaces humanarum carnium nouos anthropophagos, quos diximus Caribes, aliàs Canibales, appellari, inciderint: quoniam hi sagaces hominum venatores, nulli alteri exercitio intenti, agunt ætatem, præterquàm vel agro-

Vasch. Balboa

rum cultui suo more, vel rei bellicæ ad homocupium. Hi ergò venientes nostros, veluti apros aut ceruos in eorum venabula vel retia casuros expectant, & secum taciti spe prædæ labia lambunt. Si profligauerint, epulantur lautißimè: si autem se impares fore arbitrantur, fuga saluti consulunt, & elabuntur vento celerius. Si apud aquas res agitur, demersi gurgitibus tam viri quàm fœminæ haud segnius adnatant, acsi perpetuò in aquis degerent, & sub aquis victum quæritarent. Non mirum ergo, si tractus hi vastißimi sunt pro ignotis relicti. Per hæc inuenta igitur Christiana religio, cuius tu apicem tenes, in immensum brachia protendet. Multas hominum, vti in initio diximus, myriadas, tanquam nouum pulliculorum fœtum sub alis, tua Sanctitas fouebit accercitas. Beragua nanque à Colono primum reperta, sinistris mox auibus à Diego Nicuesa tractata, nunc deserta repetetur: ac reliquæ illius telluris amplæ regiones omnes, ex efferis & agrestibus, ad cultum politicum & veram religionem paulatim reducentur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS TERTIÆ, cap. quartum.



IC sistere, Pater beatißime, statueram: sed igniculus quidã tortor animi, producere pari per sermonẽ hortatur. Beraguã, dixi, primò repertã à Colono. Defraudare virum, & admittere scelus mihi viderer inexpiabile, si labores toleratos, si curas eius perpessas, si denique discrimina quæ subiuit ea nauigatione, silẽtio præterirẽ. Is à salute nostra 1502. sexto Idus Maij cũ claßicula nauiũ quatuor, cuparũ in singulas quinquaginta & sexagita, cumq; hominibus cẽtũ septuaginta, soluit è Gadibus: & felici cursu Canarias præhendit in diem quintum. Indè appulsus est ad in

Quartæ Nauigationis Coloni descriptio.

sulā Dominicā, quæ Caribium est patria, die sextodecimo: captauit è Dominica Hispaniolā die quinto. Sexto igitur & vigesimo die, ventis lapsuq; oceani ab oriente in Occidentem fluentis adiuuantibus, ab Hispania nauigauit ad Hispaniolā: qui cursus mille ac ducentarum lequarum à nautis esse perhibetur. In Hispaniola, siue libens, siue monente prorege, parum moratur. Occidentem rectà secutus, Cuba Iamaicáque insulis à septentrione in dextram relictis, in insulā se incidisse meridionaliorem Iamaica scribit, nomine incolarum Guanassa, virentem vniuersam, vberémque suprà quam credibile cuiquam sit. Eius insulæ littora percurrens, duobus occurrit prouincialibus monoxylis: de quibus satis latè diximus in superioribus. Restibus iugata mancipia nuda trahebant, vti aduersis fluminibus solet fieri. Monoxylis primarius insularis vehebatur, cum vxore ac liberis nudis omnibus: Nostris, qui descenderant in terram, superbè mancipia innuebant, ex heri mandato, vt cederent venientibus: minabantur recusantibus. Tanta est eorum simplicitas, vt nec veriti sint neque admirati nostrorum vel nauigia, vel potentiam, aut multitudinem. Putabant nostros, ea qua ipsi reuerentia colebant herū, assurrecturos. Ab alienis terris mercatorem esse redeuntem intellexerunt. Nundinas exercent: nundinarias merces ille ferebat, aurichalcea tintinnabula, nouaculas, cultellósque ac secures è lapide flauo, diaphano, lucido genere quodā ligni tenaci manubriatos: vtēsilia etiā, coquinariaq; vasa & fictilia, arte mira è ligno partim, partim ex eodē marmore laborata: sed lodices præcipuè supellectiliaq; gossampina variis intexta coloribus, vehebat. Dominum & vniuersam eius familiam, rémque omnem prehenderunt. Solui tamen mox Præfectus illos iußit, & rerum partem maiorem restitui, quo beneuolos redderet, imperauit. De natura terræ vlterioris ad Occidentem didicit: rectà carpititer ad Occidentem. Ad milliaria decem, paulò amplius tellurem reperit vastam, nomine inco-

larum Quiriquetanam: ipse verò Ciambam nuncupauit. Rem diuinam in littore iußit celebrari. Habitatoribus nudis plenam reperit. Hi mites & simplices, posito timore, ad nostros, vt ad rem mirandam, prouincialibus cibis & aqua recenti onusti, confluebant. Oblato munere, versis vestigijs, capite obstipo, reuerenter retrocedebant. Pensauit munera illorum muneribus rerum nostrarum, calculorum putà vitreorum sertis, & speculis quibusdam, acubusque ac spinteribus, & huiuscemodi mercibus illis peregrinis. In magno illo tractu regiones sunt duæ: Taia hæc, Maia illa appellatæ. Vniuersam scribit terram illam esse salubrem, amœnam, clementia cæli fortunatam optimè: nulli terrarum vbertate agrorum postferendam: temperie mira præditam: & montanam refert partim, partim lata planitie nobilem: arboriferam vbiquè, herbidamque, ac perpetuo vêre autumnóque gaudentem: arboribus toto anno frondentibus & pomiferis. Ilicetis pinetísque ait esse refertam: ac palmarum generibus septem, quarum aliæ dactyliferæ, steriles aliæ sunt. Pelgoras vuis pendentibus maturis, sed labruscis, terra gignit suapte natura inter arbores. Tantã refert esse apud hos suauium vtiliumque fructuum natiuorũ copiam aliorum, quod de vuis colendis nulla sit cura. Ex palmarum quodam genere machanas, id est, enses ligneos latos, & iaculares hastas, construunt. Gossampinas arbores nutrit ea tellus vulgò. Myrobolanos etiam diuersarum specierum, emblicos putà & chebulos, medicorum appellatione. Maizium & hæc terra generat ac iuccam, ages & battatas, vti cæteræ regiones illæ. Eadem & leones nutrit ac tigrides, ceruos, capreolósque, & huiuscemodi animalia. Volucres etiam diuersas, inter quas pro altilibus habent eas, quas pauonibus fœminis, colore ac magnitudine similes esse, gustu etiam & sapore, diximus aliquando. Proceros esse aiunt, ac pulchre formatos incolas vtriusque sexûs: quos ait pudenda tegere gossampinis

gossampinis velaminibus intextis diuersis coloribus. Ad elegantiam seipsos depingunt, quorundam pomorum succo, ad id in hortis nutritorum, nigris ac rubentibus, vti Agathyrsos legimus. Totum, inficiunt, alij corpus, partes alij, plerique autem tractim flores aut rosas effigiant, aut implicitos laqueos, prout cuique sedet appetitu. Idiomata sunt penitus alia ab insularibus conuicinis. More torrentis, aquæ fluebant ad Occidentem. Statuit tamen Orientem eius terræ quærere, animo vertens Pariam, Osque Draconis, & alias quas iam descripsimus ab Oriente repertas oras, contiguas esse, vti erant, existimans. Ex ampla igitur Quiriquetana decimotertio calēdas Septembris soluit. Ad lequas triginta fluuium reperit, extra cuius ostiū dulces haustus sumpsit in mari. Littus erat scopulis & rupibus purgatum: fundo ad iaciendas ancoras vbique apto. Tantam scribit vim fuisse oppositi torrentis oceani, quòd diebus quadraginta lequas vix potuerit septuaginta percurrere: claudicando semper & gyris per altum agendo claßiculam, procedebat: interdúmque se repulsum & retro raptum reperiebat impetu aquarum, terram captare volens ad vesperum, ne per noctis tenebras in ignotis littoribus naufragarentur. Intercapedine lequarum octo, tria se ingentia flumina nitidarum aquarum scribit reperisse: in quorum marginibus cannæ craßiores humano femore gignebantur: pisciúmque ac magnarum testudinum copiam ingentem: & plerisque in locis crocodilorum multitudinem, in arena vasto hiatu solem captantium. Varia etiam animalia, quibus nomen non dedit. Variámque refert eius telluris faciem esse, saxeam alicubi & promontoriis fultam squallidis ac rupibus ambesis: alibi benignitate soli, nulli terræ cedentem. Varia etiam in variis oris regum & primariorum nomina. Vocant regulum Cacicum, vt aliâs diximus, alibi Quebi, Tiba verò alicubi. Primarium autem, alicubi Sacchum, alibi Iurá. Eum qui strenuè se geßit

in pugna hostili, & signatam cicatricibus faciem ostentat, cu pram appellant: habéntque pro heroe. Vulgum nuncupant chyuis: hominem alicubi dicunt homem, Accipe homo, si quis dicere voluerit, hoppa home, dicet. Alius deindè fluuius grandibus nauigiis aptus occurrit: ante cuius fauces quatuor insulæ paruæ, floridæ atque arboriferæ iacebant, quæ portum efficiebant. Has Quatuor Tempora vocitauit. Ab his, ad lequas tredecim, ad Orientem semper contra vim aquarum tendens, duodecim paruas prǽhendit insulas: has quia præditas nouo genere fructuum, limones nostros æmulantium, Limonares appellauit. Eádem via pererrans ad lequas duodecim magnum reperit portum, lequarum trium spatio sese in terrã insinuantem, paulóque minus latum: in quem fluuius ingens cadebat. Ibi amissus est postmodum Nicuesa, Beraguam quæritans, vti supra diximus: vndè Perditorum fluuium recentiores nuncuparunt. Continuo cursu tendens contra pelagi furorem Almirantus Colonus, varios reperiebat montes, valles varias, fluminá que ac portus: spiritus rerum omnium suaues fuisse atque recreantes naturam refert: Neque incidisse in aduersam valetudinem è sociis quenquam ad regionem vsque, incolarum appellatione, Quicuri, vltima acuta: in qua portus est Cariai: ab ipso Almiranto Myrobalanus appellatus, quia natiua sit ibi arbor illa. In hoc portu Cariai sese obiiciunt circiter ducentum incolæ, manu gestantes terna quaternáque iacula: mites tamen, & hospitales: sed quid sibi gens hæc noua quæreret, parati expectantes. Colloquia petunt: dato signo pacis, natando nostros adeunt, commercia ineunt, permutationem rerum postulant. Dari è nostratibus rebus, ad eorum beneuolentiam captandam, Almirantus, sed gratuitò, imperat. Per signa gratiam recusant: neque enim vllum ex horum idiomate vocabulum perceperunt: fraudem aliquam inesse nostris donis suspicati, quòd ipsorum oblata nostri recipere re-

nuissent. Quicquid fuerat impartitum, in littore liquerunt. Tanta pollent Cariairenses vrbanitate, atque animi benignitate, vt magis dare, quam accipere, studerent. Puellas ad nostros, virgines formæ elegantis, misêre duas: quas abducere liceret, iosinuabant. Hæ, vt cæteræ fœminæ, pubetenus fascia tegebantur gossampina. Is enim est fœminarum Cariairensium mos: virorum autem, nudè agere. Scindunt & crines fœminæ: viri nutriunt occipite, à fronte radunt, colligúntque vittis candentibus, & in orbem circunducunt capiti, vti nostrates videmus puellas. Almirantus indutas ac benè donatas, cum rubro laneo pileolo genitori earum præbendo, remisit. Sed cuncta iterum in littore locata sunt, quia ipsorum dona recusassent nostri. Duos tamen viros, & eos non inuitos, secũ aduexit, quò vel illi nostram, vel nostri Cariairensem perdiscerent linguam. Maris æstu parum quati tractus illos cognouit quod haud secus littori ac fluuiorum ripis arbores inhærerent. Idem aiunt & cæteri oras illas tractantes, exiguo fluxu ac refluxu omnium illarum terrarum, insularum etiam littora madefieri. In huius terræ prospectu, inquit: in mari ipso gigni arbores quæ ramos incurtent, postquam altius emerserint, ad profundum: quo applicatæ cuspides, vti propagines vitium, solo demersæ, radices creant, & in sui generis arbores perpetuo virentes prodeunt. De huiuscemodi arboribus, Plinius in duodecimo naturalis historiæ: sed in arido solo, non autem in mari. Animalia nutriri in ora Cariai eadem, quæ alibi diximus: sed vnum reperêre naturæ longè dissona. Id est grandi cercopitheco par, cauda longiore proceriorêque: cauda suspensus & vim, térque quatérque sese deuoluens, capiendo, ex ramo transilit in ramũ, & ex arbore sese proijcit in arborẽ, ac si volitaret. Arcuarius è nostris vnũ sagitta confixit. Vulneratus sese deijcit cercopithec⁹, hostẽ vulneratorem rabidus adoritur. Stricto ense agit in pecus venator: lacertũ cercopitheco absci-

dit, cepítque mancum ferociter renitentem. Ad classem perductus, mansuevit inter homines parumper. Dum sic ferreis vinctum catenis seruarent, è littoribus trahunt paludibus aprum venatores alij. (Cogebat nanque carnium desiderium nemora perlustrare.) Cercopitheco aper & ipse ferox ostenditur: setas excutit vterque: in aprum cercopithecus furibundus salit: cauda circunligat aprum. Cum seruato à venatore victore suo lacerto, guttur apro præhendit: reluctantem aprum suffocauit cercopithecus. Hæc & huiuscemodi monstra nutrit alia tellus illa. Seruant & Cariairenses desiccata cratibus procerum & parentum cadauera, foliis arborum inuoluta: populo nemora syluæque sunt addicta sepulcris. Procedentes ex Cariai ad lequas viginti circiter, sinum reperêre amplum adeò, vt in gyrū putent lequas continere decem. Quatuor insulæ paruæ, feraces, exiguo discretæ interuallo, sinꝰ faucibus obiectæ, tutum efficiunt portum. Is est portus, quem aliâs diximus appellari ab incolis Cerabaró, vltima acuta: sed vnum eius littoris latus, tantum ita vocitatum nunc didicêre, atque id dextrum, ingrediendo: læuum autem, Aburéma nūcupatur. Insulis, inquiunt, vniuersum feracibus & frequentibus celebrem esse, atque arboriferis: fundo ad ancoras iaciendas vbique apto nitidóque, ac mira piscium copia pollentem. Vtraque terra adiacens, vbertate soli, nulli terrarum eorum iudicio cedit. Duos incolas ad manus habuêre. Colla incolæ monilibus, quæ appellant guanînes, aureis, in aquilas aut leones vel animalia huiuscemodi affabrè effigiatis, ornant: sed aurum id minimè purum esse cognouerunt. A duobus illis Cariairensibus, quos abductos diximus, nostri didicerunt Cerabaroam & Aburemam regiones, auro dites esse, Cariairensésque rerum suarum permutatione vniuersum aurum quo ornantur, ab his adeptos fuisse. Quinque pagos auro legendo egregios inesse Cerabarois & Aburemanis regionibus à littore in in-

ternis distantibus non longo tractu, Cariairenses nostris aperuerunt: commercia nanque a Maioribus eorum vtræque nationes frequentarunt semper. Pagorum nomina hæc esse perhibentur: Chirará, Purén, Chitaza, Iuréche, Atamea. Viri omnes Cerabaroæ prouinciæ, nudi sunt penitus, sed varijs depicti modis: sertis floridis, & coronis ex leonum & tigrium vnguibus contextis oblectantur. Fœminæ angusta gossampina vitta pudenda tantum contegunt. Hinc iam tandem egressi, per idem littus ad leguas octodecim, in fluminis reperti ripa occurrunt viri nudi tercentum, sublatis clamoribus minitabundi, expuantes in nostros, aqua sumpta in os, aut littoralibus herbis. Iaculando missilia, vibrandóque hastas & machanas, (enses diximus esse ligneos) à littore arcere nostros conabantur. Depicti varijs modis erant: alij, præter faciem, corpus vniuersum, tractim alij. Pacem nolle se, aut commercium vllum cum nostris, insinuabant. Solui tormenta quædam in illos sed ab alto, nè perimerent quenquam, imperat. Hoc enim semper sedit Coloni animo, vt pacatò ageret cum nouis gentibus. Fragore discussæ balistæ bonbardæ perterriti sternuntur omnes. Pacem optant. Commerciantur inuicem, guaninorum aureorum, ex aduerso calculorum vitreorum atque huiuscemodi rerum permutatione. Tympana hi habent & marina conchylia, quibus ad excitandos animos pugnæ tempore vtuntur in bellis. In eo tractu flumina sunt, Acatéba, Quaréba, Zobróba, Aiaguitin, Vridá, Duribbá, Beragua: in omnibus aurum colligere licebat. Folijs arborum latis ab æstu pluuiáque, penularum loco, se tuentur. Oras indè perlustrauit Ebeteré & Embigáar: in his flumina labuntur, dulcium aquarum & piscium copia, egregia, Zahorán & Cubbigár. Hîc sistit auri vbertas, quinquaginta circiter leguarum tractu. Distat indè leguas tantùm tres ea rupes, quam in infausto Nicuesæ discursu diximus appellari Pegnomen à nostris: incolarum

autem appellatione, regio dicitur Vibba. In quo etiam tractu est portus ad leguas tantum sex, quem Bellum diximus à Colono vocitatum: cuius regio Xaguaguará dicitur ab incolis. Populis est ea tellus vniuersa frequẽs, sed nudis. In Xaguaguara regulus nigro, populus rubro, coloribus fucantur. Regi & primariis septem, è naribus pendebat aurea lamina, labiorum tenus. In hoc ornatu summum putant esse decorem. Testa marina viri pudenda includunt fœminæ gossampina tegunt vitta. In hortis hi pineæ nuci fructum similem nutriunt, quem diximus aliàs è frutice nasci, veluti carduo, sed mollem & regia dignum esca. Cucurbiteas quoque arbores ad potus ferendi vsum. De his latè aliàs. Vocant arborem Hibuero. Crocodilis alicubi occurrebant, qui cum aufugerent aut mergerentur, odorem à tergo musco vel castoreo suauiorem relinquebant. Nili accolæ de crocodilo fœmina idem mihi retulerunt: de abdomine præsertim, quod Arabicos æquet odores quosque. Regressus hinc est Almirantus cum sua claßicula: tum quia nequibat aduersum aquarum cursum sustinere, tum etiam quia magis ac magis indies nauigia putrescebant, atque terebrabantur vermium aculeis, qui ex aquarum tepore in vniuersis tractibus illis, æquinoctio fere suppositis, gignuntur. Bissas vermes illos mercator Venetus appellat. Hos & Alexandrini duo portus Aegypti generant: nauésque labefactãt si diu in ancoris morentur. Cubitales sunt, & interdum longiores: digitulo nunquam craßiores. Hispanus nauta pestem hanc bromam vocat. Bromam igitur veritus Colonus Almirãtus, & renitente pelago vexatus, secundo oceano ad Occidentem regreditur. Hiebram fluuium à Beragua fluuio duas distantem leguas, quia sit maioribus nauigiis suscipiendis aptior, captat. A Beragua minore, regio nomen tenet: quia vtriusque fluminis possessor regulus Beraguam inhabitat. Quid dextrum, quid ve sinistrum hic acciderit, dicamus. Stans

in Hiebra Colonus, fratrem suum Bartholomæum Colonum Hispaniolæ Adelantatum, cum cymbis seruitoriis & hominibus octo & sexaginta, mittit ad fluuium Beraguam. Obuius fit Adelantato cum patriis monoxylis secundo flumine regionis regulus, more patrio depictus, nudus, cum ingenti comitatu, sed inermis. Cum primum ad colloquium deuentum est, reguli familiares de quiete sui heri anxij, & maiestatis regiæ memores, nè stans regulus negocietur, saxū è proximo sumptū in ripa lauant, confricántque decenter, & reuerenter allatum regulo supponunt. Sedens regulus, per signa visus est annuere vt nostris liceat ditionis eius flumina percurrere. Sexto Idus Februarij, pedes Adelantatus aduersa tendit Beraguæ fluuij ripa, cymbis relictis. In Durabám fluuium incidit. Hunc Hiebra & Beragua inquit esse ditiorem auro. In omnibus quippe terræ illius fluminibus aurum gignitur. Inter arborum radices ripis inhærentes, intérque saxa & lapillos à torrentibus relictos, & vbicunque scrobes ad sesquipalmum effodiebāt egestam reperiebant terram auro mixtam. Propterea figere ibi pedem fuit consilium: sed incolæ futuram perniciem olfacientes, vetuerunt. Facto agmine, cum horrendo clamore ruunt in nostros, qui domus ædificare iam cœperant. Primos impetus vix sustinuere nostri. Certarunt eminus crebris missilibus primo Barbari nudi: mox cominus strictis ensibus ligneis, quos diximus nuncupari machanas, rabidi pugnare cogitarunt. Dictu mirandum: tanta erat concepta in eis iam ira, vt neque arcubus aut scorpionibus, & quod maius est, neque bombardarum è nauibus iactarum fragore terrerentur. Cesserunt loco semel. Iterato, maiore numero comparato, redeunt ferociores. Satius emori fore iudicant, quam perpeti patriam occupatum iri à peregrinis. Hospites benigne susceperant, habitatores recusant. Quo magis instabant nostri, eo maior finitimorum multitudo confluebat. Nocte diéque à fronte modò,

modò à lateribus vrgebantur nostri. A tergo stans in littore classis, tutos reddebat. Deseruère igitur terram hanc: & qua venerant, regrediuntur. Iamaicam insulam Hispaniolæ Cubæque collateralem à meridie, nauigiis in cribrorum modum pertusatis à broma, vt Hispano vtar vocabulo, vix præhendere potuerunt: ferè ex itinere perièrunt. Viribus lacertorum, exhaurientium maris aquas per amplas rimas ingredientes, vitæ discrimen euaserunt tandèm, & ad Iamaicam semianimes appulsi sunt. Obrutis ibi nauigiis omnibus, intercepti, vitam egere mensibus decem, Vergiliani Acheminidis vita, in nudorum Barbarorum potestate, calamitosiorem: eius terræ cibis contenti, si quando Barbaris placebat impartiri. Profuit nostris odium capitale, quo sese inuicem Barbari reguli prosequuntur: vt enim nostros fautores haberent, si quando cum finitimis hostibus bella ingruerent, pane aliquandò patrio famelicos recreabant. Sed quàm miserum & ærumnosum, Pater beatissime, sit, mendicatò panem adipisci, coniectet tua Sanctitas: vbi præsertim cætera desint, vinum puta carnésque, vel omne pressi lactis genus, quibus Europæorum hominum stomachi, à cunis solent enutriri. Fortunam tentare necessitas coëgit. Per œconomum suum Diecum Mendez, ducibus tamen Iamaicensibus, duobus eorum littorum peritis, quid de se Deus cogitet, statuit experiri. Canóam conscendũt mari iam vndoso. E scopulo in scopulum, è rupe in rupẽ quassatus vndis, ob nauigioli breuitatem & formam, appulsus est iam tandem Diecus Mendez ad vltimum Hispaniolæ angulum, è Iamaica distantem lequas quadragint . Spe munerum ab Almirãto Colono promissorum, Iamaicensẽs læti reuertũtur. Ipse pedes ad sanctum Dominicum, vrbem primariam metropolitanam, proficiscitur. Duo nostratia comparat nauigia, dominum adit. Inualidi omnes, & egestate rerum extenuati, veniunt ad Hispaniolam. Quid indè illis successerit,

non intellexi. Ad generalia redeamus. Vniuersos tractus illos, quos percurrisse Colonum diximus, ipse scribit, idémque fatentur omnes laborum socii, toto anno esse frondosos, virentes, amœnos, & quod maius est, salubres, in quibus ex vniuerso comitatu nullus vnquam ægrotauerit, neque horrenti frigore vnquam, aut æstu feruido, quinquaginta lequarum intercapedine, à Cerabaró magno portu ad vsque Hiebrám & Beraguam, vexatum se fuisse iactat. Cerabaroi populi, quique iacent medij ad Hiebram vsque Beraguam, non nisi certis anni temporibus auro intendunt quæritando. Súntque negociationis eius opifices exerciti, vti apud nos argenti ferríque fodinatores. Quæ loco magis auro fortunentur, à specie defluxi torrentis, à terræ colore, aut huiuscemodi argumentis, longo hi callent experimento. Credunt inesse auro numen, quandoquidem ad id negocii minimè tendunt inexpiati, ex priscorum religione: puta qui à coitu & omni oblectamento abstinent, cibisque ac potu parcissimè vtantur, vniuerso legendi auri tempore. Viuere tantum ac mori datum hominibus, vt cæteris animantibus, arbitrantur, propterea nihil colunt aliud. Solem tamen venerantur, & surgentem ab horizonte reuerēter excipiunt. De montibus & terræ situ sermo trahatur. Ex vniuersis illarum regionum littoribus, vastos attolli montes à meridie, sed protentos ab Oriente in Occidentem continuo tractu, prospicitur. Quare ità disterminari duo illa magna maria, de quibus aliâs late fecimus mentionem, his aggeribus, nè inuicem collidantur, existimamus: veluti Tyrrhenum Italia dirimit ab Adriatico. Quacunque enim proficiscantur, ab ea cuspide sancti Augustini, quæ ad Portugallenses attinet, ad Atlātem spectante, Vrabam vsque ad Cerabaroum portum, atque vltimas ad Occidentem terras alias ad hunc vsque diē repertas, perpetuo tractu eminus comminúsque, sese montes na-

Religiosè aurum legitur.

uigantibus offerunt: nunc lenes, elati nunc, modo aſperi & petroſi, arboriferi, herbidíque atque apti culturæ modò: vti accidere ſolet in Tauro, noſtrique Apennini coſtis variis, reliquis etiam huiuſcemodi vaſtis montibus. Vallibus quoque egregiis horum, vti aliorum, montium interſecantur iuga. Ea pars montium, quæ Beraguæ fines recipit, ſuperare ſuis verticibus nubes creditur: naróque cerni eius culmina dicunt, ob nubium & nebularum ferè continuam denſitatem. Quinquaginta amplius attolli milliaria Beraguenſia cacumina contendit Almirantus ipſe, qui ea omnium primus explorauit. In eadem prætereà regione, inquit, ad mōtium radices iter eſſe apertum ad auſtrale pelagus: & Venetias comparat cū Genua, ſiue mâuis Ianua, vti eius ciues iactitant, qui a Iano eam conditam eſſe fabulantur: protendíque vult terram ad Occidentem vſque, & capere hinc initium lati corporis: quēadmodum ab alpibus noſtris ex anguſto Italiæ femore videmus amplas eas Galliarum terras, Germaniarúmque ac Pannoniarum, diſtendi ad Sarmatas Scytháſque varios, aduſque Riphæas rupes, & glaciale pelagus: complecti etiam nexu continuo Thraces & Græciam omnem: & quicquid Malæa promontorio & Helleſponto à meridie, à ſeptentrione verò Euxino & Mæotide concluditur. Vult ergo Almirantus iſte à læua tendentibus ad Occidentem, terram hanc India recipi Gangetide: à ſeptentrione vero indextram ad glacialem Oceanum, vltra Hyperboreos & arcticum polum diſtendi: ità vt vtrunque mare, auſtrale illud ſcilicet & noſtrum Oceanum in eius telluris angulis ſeſe inſinuet: non autem ſepiant aquæ terram ipſam, veluti Europa Helleſponto Tanaíque & Oceano tum glaciali, tum Hiſpano ac noſtro mari circumambitur. Sed furor delabentis Oceani ad Occidentem vetat, meo iudicio, clauſam eſſe, coniungíque ſeptentrionalibus oris terram

illam, vti suprà disputauimus. Sit satis de longitudine tractatum, beatißime Pater. Quid de latitudine sentiatur, intelligamus. Diximus aliquando angustis limitibus dirimi australe pelagus, & hunc nostrum Oceanum: atque ita constitit experimento: quandoquidem Vascho Nunnez & commilitonibus eius iter patuit. Sed quam variè nostræ alpes in Europa exangustantur hîc, alibíque latè patescunt: eodem naturæ consilio tellus hæc modo protenditur & vagatur latè, modò ab vtroque mari repertis vallium aditibus perstringitur, & breuibus contenta est interuallis. Vbi Vrabam & Beraguam diximus iacere regiones, parua discluduntur intercapedine maria. Eam autem quam Maragnonus amnis interluit, latè patere regionem credere oportet: si flumen, non mare, Maragnonum esse fatebimur: fateamur verò, suadent aquarum eius dulces haustus. Nequeunt enim in angustis terræ specubus voragines adeò vastæ considere, quæ aquarum eam amplitudinē queant enutrire. Idē de flumine magno Dabaibæ, quē diximus ex angulo sinus Vrabæ vlnarū quadraginta quinquagitaque alibi profunditate, latitudine autem milliarium trium, in mare defluere. Latam ibi terram dare necesse est, quæ ab altis Dabaibæ montibus, non ab austro, sed ab Oriente fluuium demittit. Hunc aiunt constare fluminibus quatuor à Dabaibæ montibus collabentibus: (sancti Ioannis flumen nostri apapellant) Indè in sinum, vti Nilum, per septem cadere ostia ferunt. In eadem regione Vrabæ angustias esse alicubi miras, quæ vix leuquas colligunt quindecim: at inuias, ob perpetuas paludes medias, frequentésque lamas, aiunt, quas Hispani tremedáles appellant, aliâs trampales, cenegales etiam & sumideros ac zahondadéros. Priusquam vltra progrediamur, operæprecium erit, vndè illi montes nuncupentur, enarrare. Dabaibam ferunt fuisse fœminam, apud Maiores eorum, magni animi & prouidentiæ, quam viuentem antiquitas obser-

uabat: mortuam, inquiunt, reuerenter coli ab vniuersis regionum illarum incolis. Ab ea regiones nomen sumpsisse aiunt: & mitti fulgura tonitruáque ac segetum stragem, si quando irascatur. Irasci nanque pueriliter sentiunt Dabaibam, si negligenter sacris eius intendatur. Eam miseris inculcat superstitionem genus hominum fallax, sub nomine religionis, quô frequentia dona portent ad Dabaibæ sacra, quibus ipsi fruantur. De hoc satis. Paludes illas angustæ telluris crocodilorum, draconúmque ac vespertilionum & culicum valde noxiorum, altrices esse dicunt. Ad montes propterea diuertitur, quã do ad austrum carpere iter consilium est, & paludum illarum vicina fugiuntur. Sunt qui putent vallem vnam, qua fluuius labitur, Perditorum à nostris dictus, ob Nicuesæ sociorúmque infortunium, à Cerabaró non multum distantem, findere mon tes illos ad austrum. Sed cùm potabiles sint eius aquæ, fabulatos eos esse putant qui talibus argumentis innituntur. Hoc perpendiculo perficiamus opus. A dextra læuáque Dariensis prædicant viginti flumina decurrere auri feracia. Quæ dant, accipimus: nemo est qui non id ferat. Sed interrogati, cur paruã auri copiam indè absportent: fossoribus opus esse inquiunt: qui autem eas adiêre terras, minimè sunt assueti laboribus. Propterea dicunt minorem auri copiam indè vehi, quàm tellus ipsa sua benignitate polliceatur. Videtur & nitidas promittere gemmas. In cuius rei argumentum est, quod, præter ea quæ dixi in Cariai & sanctæ Marthæ vicinia reperta, Andreas quidam Morales nauclerus per ea maria, Ioannis Cosfæ amicus & socius, dum Cosa viueret, ad manus habuit adamantem à iuuene Pariensi in Cumana nudo, mirè preciosum, longum, vti signant, duos infamis digiti articulos: magni autem pollicis primum articulum æquantem craßitudine, acutum vtrobíque: & costis octo pulchrè formatis constantem. Eo, inquiunt, infixisse incudibus vibices, vectésque ac limas

corrosisse, adamante illæso. Collo gestabat pendulum adamantem iuuenis ille Cumanus, & Andreæ ipsi Morali precio quinque calculorum vitreorum nostratium viridiũ & glaucorum, varietate colorum delectatus, vendidit. Offenderunt & topazios in littore. Sed cum auri faciem animo gestent, nulla est his de gemmis cura. Auro tantũ inuigilant, aurum sectantur. Maior præterea Hispanorum pars annulatos aut gemmatos derident, & probro ascribunt gemmarum gestamina: populares præcipuè. Nobiles autem si quandò nuptiales, vel aliàs regiæ parentur pompæ celebres, torquibus aureis gemmis consutis gaudent, & vestibus margaritas gemmis admixtas intertexunt: aliâs minimè. Effœminatorum esse huiuscemodi ornatus: atque Arabicorum odorum spiritus & suffumigationes continuas dijudicant. Obscœna Venere obuolutum putant, si cui castoreum vel muscum olenti occurrant. Ab vno pomo ab arbore decepto, pomiferam intelligemus eam esse arborem. Ab vno pisce in fluuio capto, piscium esse nutritorem fluuium dignoscemus. A modico igitur auro & ab vno lapillo, auri & lapillorum esse genitricem terram hanc, assentiamur oportet. Quid etiam in portu sanctæ Marthæ in regione Cariai repererint, transeunte classe integra, duce Petro Aria, commilitones eius, & è regiis magistratibus quidam, loco suo diximus. Pullulant, germinantur, coalescunt, maturescunt, leguntúrque quotidiè opimiora præteritis. Vilescit, quicquid manu Saturni, Herculis, & aliorum huiuscemodi heroum, patefecit antiquitas: si quid indefessus labor Hispanorum detegat, animaduertemus. Vale ac tua Sanctitas, & crebrò, quid sentiat de his suæ sedis apostolicæ culturis, mihi significet: quô animum subleuet ad laborem futurorum subeundum.

Quo genere ornat⁹ Hispani potissimũ vtantur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS TERTIÆ, cap. quintum.



VB orbe lunæ, Pater beatissime, quæcunque parturiunt aliquid, ubi primum ediderint, aut claudunt uterum, vel saltem aliqua tẽporis intercapedine quiescut. Noster autem nouus orbis recentes quotidie sine intermissione fœtus procreat & emittit: quibus continuo tractu queant homines ingenio pollentes, & magnarum rerum nouarum præcipue studiosi, præ manibus habere, unde pascere animum queant. Quorsum hæc? dicet Beatitudo tua. Vix benè redegeram in ordinem, quæ Vascho NunneZ Balboæ, & commilitonibus eius in australis pelagi discursu acciderunt: (ad Beatitudinem tuam mittenda per Ioannem Ruffum Forolinienſem, Cusentinum archipræsulem, & Galeatiũ ipsum Butrigarium, sacræ tuæ sedis Apostolicæ nuncios, mei sopiti ingenii excitatores impræsentiarum) quandò eccè literas à Petro Aria, quem anno superiore cum exercitu & classe Oceanum conscendisse, ad nouas has terras traiecturum, diximus. Classem, séque ac exercitum appulsos incolumes significat. Easdem literas Io. Cabedus à tua Sanctitate, supplicatu regis Catholici, illius prouinciæ Darienensis episcopus creatus: atque unà tres alij, è primarijs illi gubernationi addictis, Alfonsus de Ponte, Diecus Marques, & Ioannes de Tauira, suis subscriptis nominibus authorârunt. Hanc ergò nauigationem tua Sanctitas accipiat.

Pridiè Idus Aprilis anni millesimi quingentesimi decimiquarti, vela dedit Petrus Arias, ex oppido sancti Lucari, de Barrameda dicto: in faucibus Bætis fluuii, quem Hispani dicunt Guadalchebir, sito. Distant oceaneæ septem insulæ Ca-

nariæ millia passuum circiter quadringenta à Bætis lapsu in Oceanum. Has Fortunatas putant esse, licet alii negent. Harū insularum recentia nomina sunt, occursu primo pares duæ, Lanzelota & Fortis Ventura. A tergo iacet magna Canaria. Sequitur illam Tenerife. Gomera tantillo ad septentrionē à Tenerife. A tergo videntur agere agmen Palma & Ferrea. Gomeram præhendit Petrus Arias intra diem octauum à discessu, cum classe nauium septendecim, & hominibus mille quingentis. Licet mille ducentorum tantum illi fuerit aßignatus numerus: immò & fertur reliquisse à tergo duo millia amplius suspirantes & mœstos, qui propria impensa, auri fama & visendi res nouas desiderio stimulati, adduci postulabant. In Gomera lignandi & aquandi, reficiendarúmque nauium gratia, quas tempestates quassauerant, sed præcipuè prætoriæ, quæ temonem amiserat, dies moratus est sexdecim: commodæ nanque sunt insulæ, vastum illud æquor captare volentibus. Indè in Nonis Maij cœpit altum, nec terram vidit vltra vsque ad tertias Iunij Nonas: quo die de Canibalium, humanarum carnium edacium, insulis vnam adijt, quæ dicitur Dominica. Ea distat à Gomera lequas octingētas circiter. Quatuor ibi dies egit, aqua recenti & lignis sumendis intentus. Neque homini vlli, neque hominis vestigiis occurrerunt. Cancrorum littoralium & magnorum lacertorum cōpiam repererunt. Per Matininam dehinc, Guadalupeam & Galantam insulas (de quibus prima in decade nostra latè mētionem fecimus) iter cepit. Mare etiam percurrit herbidum longo æquoris spatio. Neque Almirantus Colonus, quem diximus primum has insulas & mare hoc herbidum pernauigâsse, neque isti, rationem vllam produnt herbarum. Putāt aliqui cœnosum esse ibi mare, & herbas illas in profundo gigni, tenderéque ad superna, vt videmus in lacubus, sæpè in magnis quoque fluminibus etiam currentibus accidere.

Volunt alii non ibi natas, sed è scopulis frequentibus raptatas vi tempestatum enatare per ea maria. Ita rem in dubio relinquunt: quoniam an fixæ cedant nauium proris, an erutæ vagentur, nondum habent exploratum. Natas ibi, credendū est: aliter impulsu nauium conglobarentur, (sicuti scopæ domorum conglobant scobes) & cursum impedirent. Quarto à discessu à Dominica die qui erat Iunii tertio Idus, niuales illi apparuerunt montes. Decurrere inquiunt ibi maria, veluti è montibus rapidus torrens, ad Occidentem: licet non Occidentem ipsi rectà sequantur, ad meridiem nanque paulò magis tendebant. Quod aliquandò demonstratiuè per tabellam huius cosmographiæ nouæ quam animo concepi, si viuere dabitur, colligere licebit. E montibus illis Gaira fluuius décidit, strage nostrorum, transeunte Roderico Colmenare, vti aliâs diximus, insignis. Multi præterea defluunt alij. Portubus egregiis duobus nobilitatur ea prouincia, in qua diximus esse Caramairam regionē: Carthaginensi, vtputà, & sanctæ Marthæ altero, sic à nostris apppellato: cuius regiuncula est Saturma incolarum appellatione. Est sanctæ Marthæ portus niualibus propinquior montibus: in ipsorum nanque montium radicibus iacet. Carthaginensis verò, illo est occidentalior lequas circiter quinquaginta. De sanctæ Marthæ portu mira scribit: itidem fatentur & qui redierunt: inter quos est Vespucius Americi Vesputij Florentini nepos: cui moriens maritimam & polarem artem reliquit hæreditariam. Is enim iuuenis missus est à rege vnus è prætoriæ nauis magistris, quod quadrātibus regere polos calleat. Temonis nanque gubernandi cura præcipua Ioanni cuidam Serrano Castellano, qui sæpius eas oras permeauerat, credita est. Vesputium ipsum sæpins habeo conuiuam, quod sit iuuenis ingenio pollens: & qui percurrens eas oras, diligenter annotauerit quæcunque oblata sunt. Scribit Petrus Arias, & hic idem Vesputius differit, quæ modò referam.

refertam. E genere Caribium siue Canibalium ortos harum regionum incolas volunt: propterea feroces & crudeles admodum esse, vtputà qui transeuntes nostros sæpius hostiliter á littoribus reiecerunt, & terram prætendere optãtes male exceperunt. Tanta est his nudis Barbaris innata vis animi, tanta fortitudo, vt integram classem nostram adoriri sint ausi prohiberéque à littore tentauerint. Venenatis, vti aliâs scripsimus, agunt sagittis. Rabido cursu pectore tenus, neque numero neque magnitudine nauium territi, mare intrabant: atque inde iaculabantur telorum mille genera: sed nostri spõdis nauium & scutis protecti, ictus illorum suscipiebant. Vulnerati tamen duo fuerunt, qui periêre. Excußis tandem in illos puluerariis tormentis, rapuêre fugam Barbari, tonitruis machinarum & furore globorum stupidi, quos fulgura esse arbitrantur: crebro quippe fulguribus ob natiuam regionis & montium altorum viciniam vexantur. Licet palantes & profligatos conspicerent hostes, hæsitauerunt tamen, & inito consilio in diuersa studia vertebantur, descenderent ad hostes necne. Timor hinc, pudor indè trahebant. Venenatæ sagittæ, quas certißimas iaculantur incolæ, formidabantur. Cũ tanta classe tótque militibus sicco pede præterire, verecundum erat atque indignum & infame. Vicit tandem pudor, fugiẽtes ac dispersos sequuntur. Leuioribus cymbis terram præhendunt. Portûs circunferentiam, scribit dux ipse claßis, & idem Vespucius perhibet, esse leuarum trium, tutum, nitidum adeo vt in fundo cubitorum viginti liceat calculos numerare. Duo in portum descendere inquiunt dulcium aquarum flumina: sed minimè tam apta maioribus nauigiis sustinendis, quàm patriis monoxylis. De copia & varietate saporéque piscium, tam fluuialium quàm marinorum, auditu suaue est. Propterea piscatorias ibi multas reperêre naues, id est, lembos patrios, multáque retia miris modis ex tenacibus herbis contrusis, &

neti goſſampij funibus contexta. Piſcariam artem callent hi, Caramairenſes, Cairenſéſque ac Saturmani. Piſcium nanque permutatione prouentus optatos quibus ipſi carent, aſſequuntur ab internis populis finitimis. Reiectis á littore Barbaris, boios eorum, id eſt, domos, ingrediuntur. Iterum atque iterū feroci curſu noſtros impetunt, & ſagittis venenatis conficere tentant: ſed rabidiores irruunt, quandò domos occupari ſpoliaríque ſenſerunt: quia præcipuè fœminas puerósque pleroſquè duci in prædam cernerent. Supellectilia domorum è littoralibus cannis, & variis herbis, contuſo ſparto ſimilibus, erant: ſtoriæ contextæ variis fucatæ coloribus: è goſſampino quoque aulæa arte induſtria laborata, leonibus, aquilis, tigribus, & imaginibus aliis effigiata. Domorum & cubiculorum oſtia fornicéſque liminares, putaminibus cochlearum tenuibus funiculis appenſarum, quô facilius vento agitatæ colliderentur inuicem, quo ſono delectantur, ornatos reperiebant. Mira de hiſce rebus mihi retulerunt multi. GonZalus quidam Fernandus Ouiedus præter cæteros, è regiis magiſtratibus is, qui dicitur ab Hiſpanis Veedor, ſe longius in terram iactat deſcendiſſe. In Saphiri putamen ouo anſerino grandius incidit. In collibus ab eo tractatis cum triginginta viris, Smaragdinas plaſmas ſe vidiſſe ait multas, Calcedoniáſque, & Iaſpides ac montani ſuccini magnos globos. Auro intexto admixtas in aulæis conſutas gemmas: eas à fugientibus Caribibus in domibus relictas, is & cæteri omnes ſe prædicant reperiſſe. Eſt & coccinearum genitrix ſyluarum tellus illa: eſt & auro opima: margaſsitas auri indices vbique littorum & vbique riparum inuenerunt. Inquit is Ouiedus, in regione quadam dicta Zenú, ad Orientem à Dariene iacente milliaria nonaginta, nouū mercaturæ genus exerceri. In incolarum domibus ſerias ciſtáſque ingentes & caniſtros pulchrè contextos ex arborum foliis ad id aptis, repererūt: cicadis,

gryllis, cancris, cochleis, locustis agros sternentibus, desiccatis & salitis plenos. Ad quem usum illa cogerent interrogati, responderunt, ut ad internos populos ea venum portarent: harum namque preciosarum volucrum & salitorum piscium permutatione, peregrina quæ optant assequuntur harum terrarum incolæ. Hi sparsim habitant, non contiguis domibus. Sed terram incolunt elysiam Caramairenses, amœnam, feracem, acris hyemis & furentis æstûs expertem, cum paruo diei & noctis discrimine. Vallem ingreßi sunt, Barbaris fugatis, leguas latam duas, tres longam, ad montes usque quosdam herbidos & arboriferos: in quorum radicibus duæ valles aliæ iacent dextra læuáque singulis ablutæ fluminibus: quorum vnus est Gaira: alteri verò non dedêre nomen. In his vallib⁹ cultos reperêre hortos, agrósque rigari per deductas ordine miro fossas: haud secùs ac Insubres aut Hetrusci nostri suos colunt atque irrigant. Sunt & istorum edulia communia, ages, iucca, maizum, battatæ, arboreíque fructus, ut reliquis, & piscariæ dapes: humanas autem carnes rarò vorant, quia rarò peregrinos assequuntur: nisi venatum ipsi exercitu composito per alienas tendant terras: à seipsis quippe abstinent. Sed auditu miserandum, myriadas hominum ad edendi vsum cre duntur hi obscœni anthropophagi consumpsisse. In paradiseas mille insulas, in regiones mille incidunt elysias nostri, quas nefarii depopulati sunt. Propterea licet amœnas & benè fortunatas, desertas reperiunt plures. Colligat hoc exemplo tua Beatitudo, quam perniciosum sit hoc genus brutorum hominum. Sancti Ioannis insulam diximus esse Hispaniolæ proximam: quæ ab incolis Burichena dicebatur: ab ea, nostra tẽpestate, rapuisse ferũtur edẽda quinque millia hominũ amplius: ex vicinis tãtũ insulis, quas hi habitãt, putà sãctæCrucisquæ, Hayhay, & Guadalupea, quæ Queraquéira nũcupabãtur. Satis vagatis

sit per obscœnorum edacitatem. De radicibus parumper sermo sit, quandoquidem sunt futuræ Christianorum esca, panis triticei loco, & raparum aliarúmque radicum nostratium. Iuccam radicem esse diximus sæpè aliâs, qua nobilior panis & apud insulares omnes & continentes hos efficitur: sed quomodò colatur, germinétque, quam etiam varia sit, minimè adhuc dixi. Quando plantare iuccam statuunt, terram egerunt tenus genu, & effossam erigunt in tumulos quadratos nouem pedales: duodecímque ex ipsius iuccæ truncis sexquipedalibus aut circiter, tumulos ternos cuique lateri præbentes insigunt transuersè, vt ferè in ipsius tumuli centro cuspides eorum conueniant. Ex illorum internodiis & infixa cuspide radiculæ capillares prodeunt. Hæ paulatim auctæ in eas conuertuntur, superántque maturæ lacerti ac sæpè femoris humani craßitudinem longitudinémque. Ità cumulata illa terra ferè vniuersa digeritur in radices. Sed maturescere iuccam, inquiunt, non breuiore spatio quam sesquianno. Inquiunt quoque, quo vlterius, ad biennium vsque, sinatur, eo fieri meliorē, perfectiorémque ad panem conficiendum. Euulsam, lapidibus ad id paratis, veluti scalpro nostræ fœminæ caseum conterūt & premunt demum, aut sacco ex herbis vel cāniculis fluuialibus confecto imponunt, ponderoso lapide superiecto, diémque naturalem appensum sinunt, & succum eijciunt: diximus nanque esse apud insulares mortiferum: attamen si coquatur salubris est succus ille, vti è nostro lacte serum. Hoc aduertendum, apud hos continentes minimè noxium, inquiunt, iuccæ succum. Multa dicunt esse iuccarum genera. Vnum altero suauius, atque àliud alio preciosius est, quo regulis edulium paratur. Sunt quibus vescantur nobiles, sunt & quibus populus. Exuccatam verò iuccam in tabellas fictiles ad id cōpactas, veluti pressum nostri caseum, distendunt coquendam. Is est eorum panis primarius, hunc vocant Cazabbi. Ægium

similiter & Battatarum varias dicunt esse species. Sed agibus & battatis magis pro ferculis aut fructibus vtuntur, quam ad vsum conficiendi panis: vti nostri rapis, raphanis, tuberibus, napis, pastinacis, & huiuscemodi rebus: sed battatis præcipuè, quæ terræ tubera egregia superent mira quadã dulci mollitie, si præsertim in nobiliores incidatur. De radicibus iam satis: ad aliud iam panis genus sermo vertatur. Diximus habere frumenti genus quoddam, panico ferè simile, sed grandioribus granis nobilius. Id in farinam contusum, vi lapidum manu actorum pinsunt, iucca deficiente: estque vulgarior panis. Singulis annis ter seritur: modo agri vbertas ferat ob æquitatem temporum: de qua satis multa in superioribus. Et radicum omnium & maizij grani cultum hîc reperêre: arboreorúmque fructuum varia genera cultissima. Inter hos Caramairenses & Saturmanos itinera inquiunt esse lata rectáque, ità vt distenta rubrica, credi queant notata. Hydrias, cantharos, ollas, orcas, paropsides, patellásque fictiles, apud hos repererunt: & variorum colorum aquales vrnas, in quibus aquæ seruari feruntur frigidæ. Edicto, vt vel parerent regi Catholico, religionémque nostram induerent, vel terram linquerent, venenatis sagittis respondebant. Ceperunt nonnullos, è quibus plerosque indutos prius, soluerunt ilicò: alios ad naues prius ductos, & rerum nostrarum amplitudine ostẽtata, quô cæteris illa referrent, ad beneuolentiam eorum captandam, postea dimiserunt. In omnibus fluminibus se vidisse aiunt auri argumenta. Recentes in eorum domibus ceruinas & aprinas carnes passim reperiebant, quibus lautè sunt epulati. Volucribus & hi abundant, nutriúntque domi volucres, tum ad esum, tum ad delicias. Eius cæli spiritum esse benignũ hinc arguunt, quod noctũ apud flumina in ripis sub dio dormierĩt, nullúsque grauedinem capitis senserit vllam, aut humorem conceperit insalubrem. Magnos etiam neti gossampij glomos,

& fasces diuersarum pennarum, quibus sibi cristas, nostrorũ cataphractorum more, contexunt, & sagulos ad decorem formant, paßim repererunt. Delectantur & hi elegantiis eiuscemodi. Arcuum & sagittarum multitudo fuit innumera. Maiorum & ibi cadauera combusta, oßibus in collis conditis alicubi, alibi integra in sepulchris, in ipsis boiis, id est, domibus, alibi reuerenter auro gemmísque ornata, seruantur. Habitas eorum bullas pectorales, aliáque monilia, quæ vocant ipsi guanines, reperêre orichalco magis quam auro fabrefacta esse. Propterea esse his commercia cum vafris peregrinis arbitrantur, qui ad eos monilia hæc confecta importent vt purum ab eis adipiscantur pro vili metallo. Neque perpenderunt nostri fraudem, donec ad conflationem ventum est. Architecti plerique pererrantes à littore parumper, in frusta candidi marmoris se incidisse dixerunt. Putant peregrinos ad eas terras venisse quondam, qui marmora è montibus aliquando sciderint, & putamina illa in plano reliquerint. Ibi didicere Maragonum fluuium è montibus niualibus descendere, augeríque inter labendum magna fluminum aliorum copia in eum cadente: propterea ingens est, quia è longinquo ad mare fluit per terras aquosas. His actis, receptui signa dantur. Noningenti erãt ad terrã mißi: hi omnes sublatis clamoribus præ lætitia, compositis ordinibus, & præda prouincialium rerum onusti, cristísque & coronis, lænis quoque ac sagulis plumeis militaribus incolarum ornamentis redeunt fulgentes. Ancoras eleuant XVI. calend. Iulij, nauibus refectis, quas tempestates pleræque cõcusserant: sed prætoria præcipuè discrimen ingens subierat, amisso temone, vti iam diximus. Capiũt altum, vt Carthaginensem portum petant, & insulas quasdam medias, trucium Caribium receptacula, infestant ex regio mandato. Sed velox aquarum decursus, & Ioannem Serranum prætoriæ nauis nauclerum primarium, & reli-

quos fefellit, quanuis fluxuum illorum naturam se optimè callere iactarent. Quadraginta se leuquas fuisse vna nocte transportatos præter opinionem, conqueruntur.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS tertiæ, cap. sextum.



IC philosophandum est parumper, beatissime Pater, & à cosmographia digrediendum ad naturæ arcanorum causas. Decurrere ad Occidentem ibi maria, veluti è montibus torrentes delabuntur, omnes vno ore prædicãt. Propterea trahor ego in ambiguũ quonam aquæ illæ tendant, quæ rotante ac perpetuo tractu ab Oriente fluunt, veluti fugientes, ad Occidentem, indè nunquam rediture: neque Occidens propterea magis repleatur, neque Oriens euacuetur. Si ad centrum eas tendere de natura grauium, dixerimus, centrúmque lineam esse æquinoctialem voluerimus, vti plerique aiunt, quod centrum dabitur tot tantarúmque capax aquarum? quæ ve circunferentia reperietur madida? Rationem verisimilem, qui ea littora perlustrârunt, præbent nullam. Putant plerique vastas esse fauces in angulo sinuali magnæ illius telluris, quam diximus Italia octuplo maiorem, ab Occidente Cubæ insulæ, quæ rabidas has aquas absorbeant, & indè ad Occidentem illas emittant, quo ad Orientem nostrum redeant: alij dicunt, ad septentrionem. Volunt nonnulli, clausum esse sinum illum magnæ telluris tenderéque ad septentrionem à tergo Cubæ: ita vt septentrionales terras, quas glaciale circunsepit mare, sub ar-

Opiniones variæ, cur mare ab Oriẽte in Occidẽtẽ torrentis modo tendat

cto complectatur, sintque vniuersa littora illa contigua: vndè credunt eas aquas obiectu magnæ telluris circumagi: vt in fluminibus licet conspicere, riparum gyris sese obiectantibus. Sed hoc minimè quadrat. Eodem nanque modo, non acri tamen, sed leni, fluere ad Occidentem aquas perpetuo lapsu, inquiunt, qui glaciales tentârunt oras, & Occidentem posteà secuti sunt. Scrutatus est eas Sebastianus quidam Cabotus genere Venetus, sed à parentibus in Britanniam insulam tendentibus (vti moris est Venetorum, qui commercij causa terrarũ omnium sunt hospites) transportatus penè infans. Duo is sibi nauigia propria pecunia in Britannia ipsa instruxit, & primo tendens cum hominibus tercentum ad septentrionem, donec etiam Iulio mense vastas repererit glaciales moles pelago natantes: & lucem ferè perpetuam, tellure tamen libera gelu liquefacto. Quarè coactus fuit vti ait, vela vertere & Occidentem sequi: tetenditque tantum ad meridiem, littore sese incuruãte, vt Herculei freti latitudinis ferè grad⁹ æquârit: ad Occidentemque profectus tantùm est, vt Cubam insulam à læuo, longitudine graduum penè parem, habuerit. Is ea littora percurrens, quæ Bacalláos appellauit, eosdem se reperisse aquarum, sed lenes, delapsus ad Occidentem, ait, quos Castellani, meridionales suas regiones adnauigantes, inueniunt. Ergò non modò verisimilius, sed necessario concludendum est, vastos inter vtranque ignotam hactenùs tellurem iacére hiatus, qui viam præbeant aquis ab Oriente cadentibus in Occidentem. Quas arbitror impulsu cælorum circulariter agi in gyrum circa terræ globum non autem Demogorgone anhelante vomi, absorberiqúe, vt nonnulli senserunt: quod influxu & refluxu forsam assentire daretur. Baccalláos Cabottus ipse terras illas appellauit, eô quod in earum pelago tantam repererit magnorum quorundam piscium, tynnos æmulantium, sic vocatorum ab indigenis, multitudinem,

Sebastiani Caboti nauigatio.

vt etiam illi nauigia interdum detardarent. Earum regionum homines pellibus tantum coopertos reperiebat, rationis haudquaquam expertes. Vrsorum inesse regionibus copiam ingẽtem refert, qui & ipsi piscibus vescantur. Inter densa nanque piscium illorum agmina sese immergunt vrsi, & singulos singuli complexos, vnguibúsque inter squamas immißis in terram raptant & comedunt. Propterea minimè noxios hominibus vrsos esse ait. Orichalcũ in plerisque locis se vidisse apud incolas prædicant. Familiarem habeo domi Cabottum ipsum, & contubernalem interdum. Vocatus nanque ex Britãnia à rege nostro catholico post Henrici maioris Britanniæ regis mortem, concurialis noster est: expectátque indies, vt nauigia sibi parentur, quibus arcanum hoc naturæ latens, iam tandem detegatur. Martio mense anni futuri M. D. X V I. puto ad explorandum discessurum. Quæ succedent, tua Sanctitas per me intelliget, modo viuere detur. Ex Castellanis non desunt, qui Cabottum primum fuisse Baccalaórum repertorẽ negent: tantúmque ad Occidentem tetendisse minimè assentiuntur. De faucibus & Cabotto iam satis. Ad Castellanos redeamus. Carthaginis portum & adiacentes Caribium insulas, quas appellant sancti Bernardi, præterlapsi sunt, vniuersamque Caramairensem regionem intactam postergarũt. Hic ab exorta tempestate ad insulam, quam diximus aliâs Fortem appellari, ab Vrabensis sinus faucibus distantem lequas circiter guinquaginta, proiecti sunt. In ea insula canistros, ex cãnis marinis contextos, reperêre in barbarorũ tuguriis multos sale plenos. Salinis egregiis nobilitatur insula: eius salis permutatione, aliena comparant incolæ. Ad prætoriam nauem volitauit onocrotalus auis ingens, vulture maior, quæ guttur demittit multicapax: paludum Rauennatum quondam domestica, authorum testimonio: nescio an & nostra tempestate: capi facilè passus est, & circunductus per vniuersæ claßis

Cabotus à Catholico rege è Britannia vocatus.

naues, tandem interiit. Viginti aliorum in littore stantium agmen viderunt procul. Grandiorem nauem prætoriam, putà iam quassatam & minimè vtilem, à tergo reliquerunt, vt paulatim & sedato mari sequeretur. Vndecimo calendas Iulij appulsa est claßis ad Darienem: in quartum indè diem prætoria nauis, sed vacua, superinducta est. Dariensis populus, duce Vascho Nunnez Balbóa Præfecto, de quo aliàs latam fecimus mentionem, cum psalmo, Te Deum laudamus, obuiam tria prodit milliaria. Intra domos, in prouincialium domorum modum ædificatas, habitatorum quisque venientes suscepit libens. Prouincias has omnes regiones liceat appellare: quandoquidem procul victæ sunt, omnibus regulis eiectis. Prouincialibus reficiuntur fructibus, & pane recenti, tã radicali quam maizio. Cætera secum claßis afferebat: salitas putà carnes, salsos etiam pisces, & triticeam in cupis farinam. Eccè regiam in abstrusis terris classem: eccè non modò intra cancri tropicum, verumetiam ipsi æquinoctiali circulo ferè suppositos Hispanos, contra multorum sapientum sententiam, vt ibi pedem figant, & colonias construant. Posteà verò quàm in vnum conuenêre, quid consilij ceperint, intelligamus. Altero die ab appulsu claßis, quadringentorum quinquaginta hominum Dariensium fit conuentus. Publicè arcanéque, coniunctim simul & viritim, indagatum est de rebus scriptis à Vascho Præfecto australis pelagi: (Is est magistratus, quem diximus ab Hispanis vocari Adelantatum) compertum est, vera fuisse quæcunque de australi pelago terræ illius, regi significauerit: debere in Comogri, Pocchorrosæ ac Tubanamæ ditionibus, ex ipsius Vaschi Præfecti iudicio, erigi arces impræsentiarũ, vt coloniæ post modũ produci queant. Missus est propterea Ioãnes Aiora nobilis Cordubensis prætor, cũ hominibus quadringentis, quatuor carauelis & vna minore naui aduectis. Is primò Comogrensem captat portum, lequas

ab Dariene distantem fortè quinque ac viginti, vti scribūt literis præsentibus. Indè ad austrum ex quadringentis centum quinquaginta missurus est, nouo itinere rectiore reperto: quà inquiunt sex & viginti tantū lequarum esse intercapedinem ab Comogri regia ad sancti Michaëlis sinûs fauces. Reliqui è quadringentis, pedem ibi fixuri sunt, & indè auxilia præstituri euntibus redeuntibúsque. Centum verò illi & quinquaginta ituri ad austrum, aptos secum interpretes australium linguarum ducunt è nostris, qui ea didicerunt idiomata à mācipiis habitis à Vascho, cum eas terras peragraret: & ex ipsis mancipiis, qui linguam iam callent Hispanam. Aiunt hi distare Pocchorrosæ portum à Comogræo lequas septem tātum. In Pocchorrosa proprætor ex prætoris & aliorum sanctione viros relicturus est quinquaginta, cum naui leuiore, qua fungatur officio cursorum: & veluti terra per equos dispositos fieri solet, ita mari certiores hi faciant prætorem & Darienenses de rebus emergentibus. Locaturi etiam sunt in Tubanamæ solo domicilia: à Pocchorrosa inquiūt distare Tubanamæ atria lequas viginti. Ex quadringētis hominib9 his, ex priscis Dariensibus rerum experientia pollentibus, quinquaginta, qui decurionum loco nouos dirigant & ducant ad res gerendas, destinati sunt. Ità dispositis rebus, fuit consilium regi hæc significare, atque vna certiorem reddere, esse in illis terris regulum nomine Dabáibam, cuius regnum auro sit opulentum: sed intactum adhuc relictum ob potentiam. Hunc secūdo magno flumine illo, de quo aliâs mentionem fecimus, habere regnum, vniuersámque ditionis ipsius tellurem auro vberem, fama est vulgaris. Lequas inquiunt distare ab Dariene Dabáibæ regiam quinquaginta. Indè aiunt incolæ auri copiā per confinia spargi. Licet & ab Dariene, vti aliâs diximus, lequas tantum tres, nostri habeant aurifodinas non ignobiles, quibus impræsentiarum fruantur, multísque in locis effo-

diendo aurum colligunt: feracius tamen esse Dabaibæ regnũ credunt. In primis nostris ad tuam Sanctitatem primitiis, mentio de hoc Dabaiba facta est: sed errore ducti, cum Dabaibæ piscatores reperissent, Dabaibam ipsum inter palustria loca se offendisse arbitrati sunt. Ad Dabaibam igitur tercentum deligere volunt egregios ex vniuerso exercitu bello aptos iuuenes, telorum omnis generis & armorum copia magnifice instructos, qui eum adeant, & detrectantem pacem sternant, & debellent. Iterum atque iterum repetunt, in argumentũ opulentiæ futuræ, se paucis in locis effodere, vbi non commixtis terræ grumulis aureis occurrant. Quæ scripserint, refero. Consulunt & regi, condendam esse in sanctæ Marthæ portu, in regione, appellatione incolarum, Saturma, coloniam, quæ sit futura refugium nauigantibus ex Dominica insula: à qua cursum ferunt esse quatuor aut quinque dierum ad eum Saturmæ regionis portum: & ex sancta Martha trium ad Darienem, eundo inquio: reditus nanque illis adeò durus est, ob eum, quem diximus, decursum aquarum, vt arduos videantur montes redeundo conscendere. Non est huius torrentis vis ex Hispaniola & Cuba redeuntibus in Hispaniam tanta quanuis & ipsi laborent contra labentem oceanum: quia sit hîc pelagi amplitudo ingens, qua vagari queant aquæ fluentes. In Pariæ tractu stringuntur aquæ lateribus eius terræ & multarum insularum adiacentium ex aduerso compressæ: vti liquet in Siculo freto coniectari, vbi est aquarum impetus is, quem tua Sanctitas nouit, qui Scyllam & Charybdim efficiunt, ob angustias illa maria receptantes, Ionium videlicet ac Libycum & Tyrrhenum. Ex Guanassa insula & Iáia Maiáque & Cerabaróno, regionibus Beraguæ occidentalibus, scriptum reliquit Colonus huius inuenti princeps, reperisse furorem tantum in proram, ea littora versis vestigiis Orientem quæritando, vt neque licuerit interdum plumbata fundum

tentare, quin illam secum pensilem raptaret aduersus impetus. Neque ipse quiret aliquando integro die, licet ventus aliquis flaret in puppim, vel vnico milliari decursũ vincere. Hic est quod sæpè cogantur Cubã, Hispaniolã demum, præhendere prius, vt mox lato pelago ad septentrionẽ captato, cursum dirigant in Hispaniam, quô boreales flatus illis adiumento sint ad impellendum naues, quas itinere recto minimè quirent perducere. De motibus oceani vltrò citróque iam satis multa. Quid de Dariene & colonia in eius ripa deducta, quam diximus sanctam Mariam Antiquam ab ipsis appellari, scribãt recensendum est. Loci situs est inualidus, pestifer, Sardo cælo perniciosior. Pallent omnes, ictericis similes. Neque à natura regionis id euenit: multis nanque in locis sub ijsdem latitudinis gradibus signorum, salubrem benignámque reperiunt aëris clementiam: vbi scilicet nitidos terra fontes gignit, vbi ve flumina ripis meant currentibus haudquaquam cœnosis: sed præcipuè vbi cliuos, non valles, inhabitant. Locus autem ille, in Dariensis fluminis ripa situs, in profunda est valle locatus collibus vndiquè arduis circunseptus: quia de causa solares radios meridianos suscipit suos in verticem ferè perpendiculares, & à montanis labentibus radijs à fronte tergóque ac lateribus grauiter vexatur. Radiorum quippe solarium feruorem repercußio parit, non accessus ad terram: quia in se minimè sint paßibiles: quod ex nauibus altorum montium colligi potest, vti optimè callet tua Sanctitas. Propterea cadentes in montibus radij per obiectum decliuem ad ima rotantur, vti saxum ingens rotundum, à culmine montis deiectum. Valles ergo & contingentem sibi radiorum partem ex directo, & præcipitem cliuorum ac montium ex transuerso, suscipiunt. Est ergo Dariensis habitatio à natura loci particularis, non à regione perniciosa. Est & pestifer à natura soli locus, quod cœnosus paludibus fœtidis septus sit. Immò vicus ipse

palus est, vbi ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pauimenta domûs, ilico bufones gignuntur: vti alicubi ego ipse vidi in pulices guttas illas æstate conuerti. Vbicunque præterea effodiunt ad sesquipalmum, scaturiunt aquæ insulabres omnes & corruptæ a natura fluminis, qui ad mare cœnoso atque inerti alueo per vallem profundam delabitur. Propterea de loco mutando consulunt. Ibi figere pedem primos necessitas coëgit: tanta enim vrgebantur egestate, qui primi ad eas terras appulsi sunt, vt de loco mutando cura defuerit. Iniqua igitur soli sedes, illos vexat ob solares radios. Deterior aquarum & corrupti aëris, ob cœnosos vapores, inclementia reddit inualidos. Nec portu nobilitatur vllo locus ipse, qui distat à sinûs faucibus leuquas tres: estque iter arduum asperúmque ad comportandum commeatus à mari. Ad alia contingentia veniamus. Vbi primum appulsi sunt, multa illis acciderunt hactenus incognita. Medicum quendam eximiũ Hispalensem, quem antistitis authoritas, & auri simul cupiditas, tranquillam linquere vitam in patria stimulârunt, adorta est dormientem cum vxore vis fulguris: domus cum vniuersa supellectile illi exarsit. Attoniti vir & vxor penè nudi proclamantes & semiusti vix euaserunt. Stantibus in littore, molossum sesquianniculum rapuit crocodilus ingens: & vti miluus pulliculum solet, miserum canem, domini auxiliũ vasto latratu implorantem, ante omnium oculos absportauit. Noctù vespertilionum morsibus torquebantur: si dormientem fortè momorderint quempiam, exhausto sanguine, trahunt in vitæ discrimen: & mortuos fuisse nonnullos ea tabe compertum est. Si gallum, aut gallinam sub dio noctù vespertiliones depræhenderint, in cristã aculeo fixo, interimũt. Crocodilis, leonibus ac tigribus & hi aiunt infestari terrã: sed inuentas iam esse artes quibus multi capiantur. Reperisséque se in sociorum domibus tigrium ac leonum interfectorum pelles, scribũt.

Ex guttis bufones.

Boues, porcos, atque equos, adolescere ibi maiorem in modum & grandiores fieri genitoribus dicunt, ob vbertatem soli. De arborum proceritate, deque terræ variis, fructibus, de hortensibus, & satis omnibus nostratibus: de ceruis & quadrupedibus feris, variis etiam generibus auium ac piscium, eadem referunt, quæ scripsi alias. Caretam regulum, regionis Coibæ principem, triduo habuerunt hospitem: & admiratum nostra harmonica instrumenta, equorúmque phaleras, ac cætera illi peregrina, benéque donatum remiserunt. Is nostris significauit arbores gigni in prouincia, quarum tabulis naues constructæ, tutæ sunt à corrodentibus marinis vermibus. Est nanque dira hæc pestis nostris nauibus in portubus illis. Ait esse amaritudinis tantæ ligni genus illud, vt facilè abstineant ab eius gustu. Est & alia peculiaris terræ arbor, cuius si folia nudu alicuius corpus tetigerint, vibices eleuent ingentes: & nisi illis aqua marina vel saliua matutina medeatur, ilicò lethalem suo veneno excitent dolorem. Hanc arborem & Hispaniola parit. Eius etiam lignum olfactu aiunt esse mortiferum, nec portari quoquam lignum posse sine vitæ periculo. Cum excutere à se tantæ seruitutis iugum sæpè insulares Hispaniolæ tẽtauerint, nec cesserit vnquam aperto Marte vel insidiis, reperti sunt eo ligno voluisse primarios noctù dormientes suffumigatos interimere. Sed admirati ligni reperti nouitatem Christiani, fateri fraudem miseros coëgerunt, & commenti authores pœnas dedère. Habent ipsi genus herbæ, cuius odore fulti, remedium sibi comparant, ab eius ligni veneno, vt portare illud queant indemnes. De his leuibus iam satis. Sperant ex insulis australis pelagi maiorẽ multo copiã habituros. Parabat enĩ Petr⁹ Arias (nũcio qui ad nos literas tulit discedẽte) profectionẽ ad eã insulã quæ prominet medio in sinu, sancti Michaëlis à nostris appellato: à Vascho intacta relicta, ob perturbatũ eo tẽpore mare. De qua latè in trãsitu Vaschi ad austrũ:

Multa indies maiora præteritis expectamus. Captæ sunt enim & prouinciæ plures aliæ, quas non inutiles aut non parum mirandas fore putamus. Ioannes ille Diaz Solisius Nebrissensis, de quo fecimus aliquando mentionem, missus est per Frontem illam sancti Augustini, quæ lineam superat æquinoctialem gradus septem, & ad Portugallenses pertinet, vt latus australe à tergo Pariæ, Cumanæ, Cuquibacóæ, portuúmque Carthaginis & sanctæ Marthæ, Darienis & Beraguæ, nostris nauigiis percurrat, quô apertior & plenior de tractibus illis habeatur notitia. Missus est alius nauium trium ductor Ioannes Poncius, qui Caribium terras depopuletur, & in seruitutem obscœnos hominum voratores redigat, quô liberæ sint ab ea peste iam tandem adiacentes mitium insulæ, & vna prouentus earum insularum & arcana liceat vestigare. Missi sunt & alii per diuersa. Gaspar Badaiocius, vt Occidentem percurrat: Franciscus Bezerra, vt per sinus ipsius angulum: & Valleius, vt per fauces eius ad orientalem sinus oram traiiciant, ad arcana telluris eius exploranda: in qua Fogeda nuper sinistris auibus pedem figere cœperat, arce ac pago ædificatis. Cum octoginta prius militibus instructis ex Dariene Badaiocius discessit: quem secutus est cum quinquaginta Ludouicus dictus Mercado: Bezerræ verò addixerunt octoginta, Valleio septuaginta. Portús ne tutos capturi sint, an in malefidas stationes casuri, summi rerum artificis prouidentia nouit. Nos autem homines casuum notitia, postquàm emerserint, includimur. Ad alia veniamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS TERTIÆ, cap. septimum.

IX benè domo exierat Petrus Arias putati continentis gubernator, appulsus ad Dariene, cum plerisque appendicibus: quandò ad curiam, negociationis gratia, sensi venisse quendam Andream Moralem, nauium ea littora 1515
noua percurrentium nauclerum: qui & crediti continentis oras, & insularum adiacentium tractus, & Hispaniolæ interna omnia diligenter solicitéque scrutatus est. Vestigandæ Hispaniolæ curam viro huic frater Nicolaus Ouandus, militiæ Alcantaræ maior Commendatarius, Hispaniolæ gubernator, demandauit: quod ingenio polleret, essétque ad huiuscemodi rem explorandam cæteris aptior. Super his Andreas hic indices & tabellas formauit egregias: quibus præbetur fides à reliquis rem intelligentibus. Is ad me venit, vti solent alij ab Oceano redeuntes. Quæ ab eo & plerisque alijs hactenus ignorata didicerim, tractemus. Sit Hispaniolæ particularis descriptio, quæ primam huius narrationis frontem amplectatur: quandoquodem caput est & emporium vniuersæ liberalitatis Oceani: habétque mille, atque iterum mille, formosas, comptas, ditésque Nereides nymphas, quæ ipsam, tanquam Tethym alteram dominam & genitricem, circunsepiant, comántque, decenter. De Nereidibus ipsis, id est, circumambientibus insulis, pauca mox disseremus. Insula demum Margaritæa, Diues à nostris appellata, in australis pelagi sancti Michaëlis sinu iacens iam trita (quæ nobis miranda præbuit impræsentiarum, & maiora de futuro pollicetur) superueniet: candentibus armillata, torquata & coronata Cleopatræis vnionibus: de quorum conchylibus in calce narrationis par erit aliqua pertingere. Ad elysiam iam Hispaniolam veniamus: & a prima nominum impositione exordiamur: de forma & cæli clementia mox: de ipsius diuisione demum conferemus. Ex insula Matininó, de qua in prima decade, cum accentu in

vltima, vti tua Sanctitas noscet per virgulam superimpositam in omnibus eorum vocabulis, nè toties repetendum sit, vbi accentus nouorum vocabulorũ iaceant: inquiunt hi trãsuectos suis monoxylis canóis, dico lintribus vniligneis, primos habitatores, è patria per aduersæ factionis partes eiectos: vt Dardanum ex Corytho legimus, & ex Creta Teucrum in Asiam; & solum posteà Troianum appellatum: Tyriósque ac Sidonios, fabulosa ducente in Libyam Didone, classem appulisse. Extorres igitur Matininóenses è propriis laribus, in Hispaniola & ea insulæ parte quæ Cahonáo dicitur, ad ripam fluminis appellati Bahaboni, sedem posuêre: vti est in Romanis initiis de Aenea Troiano in Italiam ad Latium Tibrim deuecto. Intra Bahaboni fluminis ostium iacet insula, vbi dicuntur aduenæ primam domum erexisse: hanc appellauêre Camotéiam. Domum eam sacrârunt postmodum, & reuerenter coluerunt semper, ad aduentum vsque nostrorum, & donis perpetuis salutabant: vti nos initialem nostræ religionis Hierosolymam, Mahometæi Mecham, & veteres Fortunatarum insularum cultores in magna Canaria Tyrmam super alta rupe structam: vndè sese multi lætis animis & psallentes præcipitabant, à sacrificulis eorum persuasi, animas indè se amore Tyrmæ deiicientium beari, ad æternásque delicias perduci. Reperêre id obseruatum ad nostra vsque tempora Fortunatarum debellatores: nec decidit hodiè à communi sermone sacrificiorum memoria: noménque rupes ipsa retinet. Didici etiam nuper esse in insulis ipsis, à Betanchóro Gallo, primo Fortunatarũ cultore, habita tamen ab Castellanis regibus venia, vti aliâs dixi, Betanchoránã, factionẽ quæ adhuc & linguã & mores Gallicos seruet, licet Betanchori hæredes, Castellanis viris, vti suprà memorauimus, domitas duas insulas precio reliquerint. Habitatores tamen qui Betanchórum secuti fuerant, & sibi domicilia fabricauerant, familiásque ibi au-

xerant, perstiterunt: atque unà cum Hispanis fortunatè viuunt, Gallicorum frigorum expertes. Ad Matininoénses pedem referamus. Nomina Hispaniolæ à primis habitatoribus imposita fuêre, primum Quizqueia, dehinc Haiti. Neque hæc ad imponentium voluntatem solum, sed ab effectu credito ab eis. Quizquéiam dicunt rem grandem, qua nulla sit maior. Quizquéiam interpretantur vastitatem, & vniuersum ac totum: vti Græci suum Panem. Quia sunt arbitrati, ob eius magnitudinem, esse vniuersum orbem terrarum, neque sole calefieri quicquam aliud, præter eam insulam cum adiacentibus cæteris: propterea Quizquéiam dici debere statuerunt. Haiti vero dicitur asperitas, eorum vetere lingua: atque ideò insulam appellauêre vniuersam Haiti, per metonymiam à parte totum denominantes: quia hæc insula plerisque in locis horrescat aspera montium facie, ac tetra syluarum densitate, vallibúsque ob altitudinem montium formidolosis & obscuris: licet alibi sit amœnissima. Hic est aliquantisper, beatissime Pater, digrediendum. Mirabitur Beatitudo tua quonam pacto simplices homines recolant huiuscemodi principia à distantibus, quandoquidem nullum genus literarum assequuntur. Mos est apud eos ab æterno, in regum domibus præcipuè, vt filios eorum boitij, id est sapientes, in rerum agnitionem memoriter erudiant. In ea præceptione duabus maximè rebus intendunt: generali alteri, de rerum origine ac successu: particulari alteri, de parentum, auorum, atauorúmque ac maiorum omnium præclarè gestis bello & pace. Quæ duo præcepta rhytmis habent composita eorum lingua. Hos Areitos appellant. Et, vti citharœdus apud nos, cũ tympanis illi suo more fabrefactis suos aréitos cõcinũt, & choreas cantãdo ductitãt. Tympanũ maguéy dicitur. Habẽt & aréitos amatorios: habẽt & querulos & excitãtes ad pugnã, cũ suis quæque sonis rei quadrã-

Insularium filios instituendi ritus.

tibus. Vtuntur & saltationibus, in quibus sunt nostris multò agiliores, quia nulli alteri rei magis inuigilant, suntq́ nudi, nec vestibus occupantur. In Areitis à maioribus habent vaticinatum nostrorum aduentum: quibus gemendo, vti per elegias, perniciem suam detonant. Maguacochios aiunt, id est, vestitos homines, venturos ad insulam, armatos ensibus, hominem scindentibus vno ictu: quorum iugo posteritas eorum subdenda foret. Nec miror quidam vaticinatos eorum maiores seruitutem filiorum: si verũ est quod de lemurũ familiaritate referunt. De quibus satis latè in primæ nostræ decadis libro nono (vti de Zemibus, id est, de eorum simulacris, quæ colebant) disseruimus. Nunc autem fatentur, Zemibus sublatis, nusquam vltrà quenquam apparuisse. Ascribunt nostri signo crucis, quo se omnes muniunt: sunt nanque baptismatis lauacro abluti. Est & vniuersis ingens cura de noscendis finibus & regnorum terminis: sed hæc generalis mitainis omnibus, id est, nobilibus: mitainos enim eppellant nobiles: ità vt suæ sint & hi patriæ non inepti cosmetræ: Vulgo nulla est cura alia præterquam de sementibus & sationibus. Piscationibus sunt & aptißimi: quia toto anno omnibúsque diebus sese fluminibus immergunt: neque minus agunt in aquis vitam, quam in terra. Venenatu etiam inuigilant. Habent nanque duo genera quadrupedum, vti aliâs diximus: vtias, hæ sunt cuniculi parui: & serpentes iuánas, de quibus in prima decade satis, crocodilis aßimiles, octipedales, terrestres, suauißimi saporis. Volucres autem innumeras nutriunt omnes insulæ: putà palumbes, anates, anseres, ardeas: psittacorum prætereà non minorem, quàm apud nos passerculorum, copiã. Quisque regulus suos habet ditionarios dispartitos, venatui hos, illos piscatui, agriculturæ alios addictos. Ad nomina redeamus. Quizqueiam, diximus, & Haitin esse antiqua nomina.

Cipángam etiam à regione montana, auro ferace, plerique vniuersam insulam appellauêre: vti poëtas vidimus nostros Italiam appellâsse aliquando Latium à parte ipsius. Ecce, vti Ausoniam Hesperiámque maiores Italiam dixêre: ita hi Quizquéiam, Haitin, Cipángam. Nostri autem primò Isabellam ab Elisabeth regina, quã Hispanũ idioma nuncupat Isabellam, à prima colonia condita in littore septentrionali insulæ. De qua satis in prima decade. Ab Hispania postmodum appellant diminutiuè Hispaniolam. De nominibus satis, de forma nunc loquamur. Qui primi percurrerant insulam, castaneæ folio similem cum sinu ad Occidentem, mihi depinxerunt, Cubam insulam prospectantem. Hic autem Andreas Morales nauclerus, aliter depictam, parum tamen differentem, ad me tulit: ab vtroque quippe angulo, orientali putà & occidentali, magnis sinubus cauatam esse describit, cornuáque protendere longissimè. Intráque magnum sinum orientalem portus locat amplos tutósque. Dabimus operam, vt aliquando ad Sanctitatem tuam is index particularis Hispaniolæ mittatur. Eodem nanque modo suum indicem affert, quo Hispaniam & Italiam cum suis quanque montibus, vallibus, fluminibus, vrbibus, & coloniis, arbitror Beatitudinem tuam sæpè conspexisse. Comparemus sine rubore, comparemus beatissime Pater, Italiæ, reginæ quondam orbis terrarum, Hispaniolam: quandoquidem si quantitatem dimetiemur, paulo minor reperietur. Est nanque Hispaniola ab Oriente distenta in Occidentem milliaria (vti iuniores volunt) quadraginta supra quingenta. Almirantum diximus in prima decade produxisse mensuram. Lata vero alicubi tercentum ferè, angustior tamen alibi, vbi cornua iactat. Sed Italiâ est hæc multo beatior, beatissime Pater: maiori quippe ex parte sui est adeò temperata & amœna, vt neque frigore vrgeatur molesto, nec calore vexetur immodico. Habet vtrunque

Hispaniola multis nominibus præfertur Italiæ.

solstitium Hispaniola penè par æquinoctijs. Vix enim horam integram ascendit dies vt noctem superet, aut econuerso, in meridionali latere, in septentrionali aliter. Pleræque regiones in ea iacent, in quibus aliquando frigus viget. Sed id accidere Beatitudo tua intelligat, ex consono ad id obiectu montium, vt infra latius dicemus: neque tamen est atrox adeò, vt habitatores niues molestent vnquam. Perpetuo præterea gaudet vere, perpetuóque autumno felix hæc insula. Frondescunt ibi toto anno arbores, & prata virescunt. Fortunantur ibi omnia mirificè. Quantum hortensia coalescant intra sextumdecimum diem, caules, lactucæ, boragines, raphani, & huiuscemodi sata: cucurbitæ, melones, cucumeres, & similia intra trigesimum, satis latè alibi. De animalibus autem diximus, boues ex Hispania transuectas in multo maiores euadere. Boues elephantis, porcos mulabus, cum de augmento est sermo, comparant, hyperbolicè tamen. Diximus & suillas carnes sapidas esse ac salubres, propter myrobalanos & patrios fructus alios, quibus vescuntur, suapte natura nascentibus: vti apud nos fagineæ sunt, iliceæ, quernæ que glandes. Vites etiam, si curâ insit, mira coalescunt vbertate. & si cui animus aliquandò fuit, de serendo in montibus tritico, vbi parumper frigoris vigeat: in plano minimè, ob nimiam agrorum pinguedinem. Est incredibile auditu. Spicam superare lacerti craßitudinem, spithama longiorem, granáque nutrire quamlibet duo millia amplius, asseueranter inquiunt, & iureiurando affirmant. Sed salubriorem insulæ panem iuccæ præsertim, aiunt, quem vocant cazabbi: quia sit digestioni aptior: quódque seratur & colatur facilius atque vberius. Id autem temporis quod superest, auro intendunt legendo. Est tanta omnium quadrupedum copia, vt iam & equi & coria boum & pecudum portentur in Hispaniam. Genitrici iam succurrit

Rara terræ fœcunditas.

filiolæ multis in rebus. De coccineis arboribus, de aromatibus, de colore glauco, de mastice, gossampio, de electro, & multis alijs eius prouentibus, satis multa alibi. Quid felicius ergò, beatissime Pater, in terris, quàm viuere vbi fas sit, tot tantáque passim videre & frui? quid beatius, quàm agere vitam, vbi non cogaris angustis includi cubiculis, horrenti gelu, aut anxio calore? neque hyeme oporteat ponderosis vestibus corpus onerare, aut suras perpetuo igne cremare, quæ senefaciunt homines in ictu oculi, ac vires labefactant, trahúntque mille morborum genera. Salubrem præterea inquiunt esse aërem, salubres & fluminum aquas, vtputa quæ auro perpetuò superlabuntur. Nullus est nanque fluuius, nulli montes, pauca planities, auro immunes. Ad particularem tandem internam huius beatæ insulæ cosmographiam deueniamus. Habere Hispaniolam quatuor flumina, quæ ferè portionibus æquis eam diuidant ex altis montibus: vno ad Orientem, hoc Iunna dicitur: ad Occidentem altero, quod Attibunicus: tertio ad meridiem, quod Háiba: ad septentrionem quarto, quod Iáche, aliâs narrauimus. Nouam hic nauclerus affert ab incolis ab æterno obseruatam descriptionem. In quinque partes vniuersam diuidemus: dehinc cuiusque prouinciæ regiúnculas veteribus nominibus appellabimus: quódque memoratu dignum in singulis erit, recensebimus. Insulæ initium ab Oriente amplectitur prouincia nomine Caizimú: sic appellatam, quia eorum lingua cimú frontem siue initium significat. Sequitur illam Hubábo, indè Caihabo. Quarta est Bainóa. Angulum occidentalem tenet Guaccaiarima: sed penultima Bainóa latioribus constat terminis, quàm tres eam præcedentes. Caizimú à prima insulæ fronte protenditur ad flumen per vrbem primariam sancti Dominici labẽs, quod est Hozama. Ad septentrionem autem terminatur ad

montes asperos, dictos ob sui horrorem Hatti particulariter. Huhábo montibus Haiti & flumine Iáciga includitur. Caiábo tertia amplectitur quicquid iacet inter Cubáho & Dahátio ad ostium vsque fluminis Iácchæ, vnius è quatuor æquè diuidentibus insulam: & ascendit ad montes Cibáos, vbi est maior auri copia. In quibus nascitur fluuius Demáhus, caditque per fontes fluminis Naibæ, alterius è quatuor ad mare australe, ad aliam fluminis sancti Dominici ripam. Bainóa capit initium à finibus Caiábi, ad insulam vsque Cabiní: quæ iacet ferè contigua littori septentrionali ipsius insulæ, vbi primum diximus ædificatam fuisse coloniam. Reliquum ad Occidentem occupat Guaccaiarima prouincia. Atque ideò Guaccaiarimā appellāt, quod sit insulæ extrema pars: marimā ipsi appellāt podicē: insulæ podicē vocāt. Gua, est apud eos articulus: & pauca sunt, regum præcipuè nomina, quæ non incipiant ab hoc articulo gua: vt Guarionexius, Guaccanarillus: & hinc multa etiam locorum nomina. In Caizcimu, regiones sunt, Higuéi, Guanamá, Reyré, Xaguá, Aramaná, Arabo, Hazóa, Macoríx, Caiacóa, Guaiágua, Baguanimábo, & asperi montes Haitienses. Hic de adspiratione pauca referamus quæ aliter se habet, quam apud Latinos. Aduertendum est, nullam inesse adspirationem vocabulis eorum, quæ nō habeat effectum literæ consonantis: immò grauius adspirationem proferūt, quam nos f, consonantem. Proferendúmque est quicquid est adspiratum, eodem halitu quo f, sed minimè admoto ad superiores dentes inferiore labello: ore autem aperto, ha, he, hi, ho, hu, & concusso pectore. Hebræos & Arabicos eodem modo suas proferre adspirationes video. Hispanos etiam in his quæ ab Arabibus diù possessoribus vocabula acceperunt, experior idem seruare: multa quippe retinent: vt almohádda, quæ dicitur puluinar: almoházza, que interpretatur strigilis: & huiuscemodi multa, que anhelante pectore promunt.


Adspiratio quomodo sit proferēda in his insularibus voculis.

Placuit hæc recensere, quia apud Latinos accentus plerumque solus aut aspiratio mutant significatum: vti hora pro parte diei & ora pro plurali huius dictionis os: aut ora pro regione, vt, Troiæ qui primus ab oris. In accentu autem, accentu mutato, occído vel óccido. Ita & in horum simplicium lingua maximè seruandi sunt accentus, & adspiratio promenda. De accẽtu supra diximus, & articulo gua. In Hubábo prouincia sunt regiones, Xamána, Canabacóa, Cubábo: multæque aliæ, quarum nomina nondum didici. Caiábus prouincia regiones habet, Maguá, Cacacubána. Huius regionis incolæ longè aliam habent linguam ab Hispaniolis reliquis, & Macoryxes dicũtur. Cubaná est alia regio: & ipsa lingua differens à cæteris. Baiohá igua regio, diuersum & hæc idioma tenet. Aliæ sunt regiones, Dahabóon, Cybáho, Manabáho. Cotoy est in insulæ medio: flumen interlabitur Nizaus: montes autem Mahaítin dicti, Hazuá, Neibaymáo. In Bainóa regiones sunt, Maguána, Iagohaiúcho, Baurúco, Dabiágua, Attibuní à nomine fluminis, Caunóa, Buiaicí, Dahabonici, Maiaguarití, Atiéi, Maccazina, Guahábba, Anniuici, Marien, Guarícco, Amaguéi, Xarágua, Yaguána, Azzuéi, Iácchi, Honorúcco, Diáguo, Camaíe, Neibaimáo. In Guaccaiarima, prouincia vltima, regiones sunt, Mauicaráo, Guahágua, Taquenazábo, Nimaca, Bainóa parua, Cahaymi, Iamaizí, Manabaxáo, Zauána, Habacóa, Ayqueróa. Ad particularia nunc de regionibus ipsis quædam descendamus. In prouincia Caizimu, intra vastum initij sinum est antrum ingens, in rupe caua, sub radice montis altissimi, ad stadia duo circiter à mari: cuius ostium est magni templi foribus assimile, falcatum, ingens. Tentauit cum nauigiis antrum ex gubernatoris mandato hic nauclerus. Per latentes vias inquit, veluti ád sentinam concurrere ad antrum multa flumina. Et desiêre post id mirari, quò tenderent flumina plura delabentia, quæ à nonaginta milliaribus ve-

Flumina in antro absorbẽtur.

nientia fluendo absorbentur, nec appareant vltrà. Per eius saxei montis voragines deglutita, iam arbitrantur ad id antrum proficisci. Ingressus antrum nauclerus ferè absorptus est. Inesse rebullitus & vortices inuicem conflictantes & ora hiantia multa, inquit. Veluti pilam, cum horrendo mugitu, nauiculam eius vortices hinc, ebullitus indè, modò hac, modo illac, diù iactitarunt. Ingressum fuisse pœnituit: nec quà regrederetur intelligebat. In obscuro iam vagabantur, tum ob ipsius antri tenebras, quæ longißimè petunt montis specum: tum quia perpetuæ ibi sint nebulæ ex salientibus vaporibus humidis in continua conflictatione venientium aquarum. Casui Nili è montibus Aethiopum, strepitum illum comparat. Surduerunt adeo, vt, quid inuicem loquerentur, haudquaquam audirent. Euasit tandem pauidus de antro, veluti de tartaro, putans rediisse ad superos. Ad milliaria fortè sexaginta, ab vrbe primaria sancti Dominici, sunt ferè in prospectu montes alti, super quorum vertice stagnum est inacceßibile: à iunioribus nunquam visum ob asperitatem montis, neque quod semita pateat vlla. Per viciniũ tandem regulum ductus nauclerus, vt gubernatoris mandatum expleret, montem ascendit. Stagnum adiit. Vigere ibi frigus ait. In hyemis argumentum, filices & rubeta mora gignentia, quæ duo calidam regionem minimè patiuntur, inuenêre. Montes vocant Ymizui Hybahaino. Circuit in gyrum lacuna milliaria tria. Dulcium est aquarum: variis piscibus egregia est. Cadunt in eam riui plures: nec habet exitum lacus, quia sit vndique montium verticibus circunseptus. De altero nunc Caspio siue Hyrcano, Mediterraneo mari dico, cum vicinis aliis quibusdam dulcibus lacubus parumper conferamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS tertiæ, cap. octauum.



ÆINOA prouincia, quæ triplo superat tres primas: Caizimu scilicet, Vhabo & Caiabon, vallem includit Caiouani: in qua lacus est salsus, amarus, horridus, vti de Caspio legitur: propterea Caspium est animus vocitare: licet non sit Hyrcania regio. Voragines habet, e quibus & saliunt aquæ marinæ, & venientes e montibus absorbentur. Putant esse amplas adeò, profundasque cauernas eius, vt è mari per eas magni etiam marini pisces emergant: inter quos piscis quidam ab eis dictus Tiburonus, qui hominem in ictu dentis secat medium & vorat. In Hozamam vrbis primariæ fluuium, è pelago ascendunt tiburoni, & multos dilacerat ex incolis: præcipuè qui se nullo pacto abstinent, quin quotidie lauandi gratia immergant fluuio. Flumina in stagnum delabuntur salsum à septentrione Guaninicabón, à meridie Xaccoéi, ab Oriente Guannabo, ab Occidente Occóa. Magna hæc flumina, perpetuáque esse inquiunt: & parua in Caspium cadere viginti amplius. Scatent etiam à septentrione proximi stagno, non amplius stadio: stadiúmque occupant in circuitu fontes plusquam ducenti, aquarum æstate frigidarum & dulcium potabilium. Hæ fluuium efficiunt minimè vadosum qui è proximo cum cæteris ad stagnum labitur. Hic est sistendum parumper. Regionis regulus, vxorem, in sacello à Christianis in eius ditione structo orantem reperit, concubitum petit: habendam esse rationem loci Deo sacri, vxor arguit. Cuius verba hæc fuerunt: Teítoca teítoca: quod sonat, esto quietus: técheta cynato guamechyna: quod sonat, Dominus

multum irascetur. Guamechyna dicitur dominus, técheta multum, cynato iratus. Inquit excusso brachio maritus: Guaibbá, id est, vade: cynato machabuca guamechyna: interpretatur, Quid ad me quod irascatur Deus? Vim vxori intulit: repete mutus effectus est, & semimancus. Pœnitentia ductus, & miraculo perculsus, donec vixit, egit vitam religiose: nec passus est vltra sacellũ verri aut ornari aliena manu. Eo miraculo & incolæ multi & Christiani omnes cõmoti, sacellum pietißime frequentant. Aequißimo libentíque animo ferunt regulum fuisse passum eius contumeliæ vindictam. Ad Caspium retrocedamus. Is lacus salsus procellis agitatur & tempestatibus, ita vt piscatórias sæpè naviculas in præceps trahat & cum nautis absorbeat. Neque repertus est naufragatus quispiam emersisse, aut proiectus ad littus, vti assolet de cadaueribus degluitis in mari. Sunt hæ tempestates Tuburonorum lauta conuiuia. Dicitur id Caspium haguygabón. Iacet media insula, in quam se piscaturi recipiunt, minimè tamen culta. Est insulæ nomen Guarizácca. Amplectitur lacus ipse longitudine millia passuum triginta: latitudine, duodecim, alibi quindecim. Est alius in eadem planitie lacus huic proximus, aquarum salsodulcium, quæ nec potui sunt benè aptæ: neque, si neceßitas vrgeret, ineptæ. Longitudo est eius milliarium quinque & viginti, latitudo octo: nouem & decem alicubi. Fluminum est multorum receptor: absorbentur & ibi aquæ: caret exitu. E mari etiam prosiliunt in eum aquæ, sed paucæ, propterea commixtus. In eadem prouincia lacus alius dulcis, nomine Iainaguá, ad Occidentem, parum distans à Caspio. Habet & alium lateralem idem stagnum salsum ad septentrionem, sed paruum, trium & quatuor miliarium in latitudine, in longitudine vnum & paulò ampliùs. Hic est potabilis. Dicitur is paruus Guaccaa. Ad meridiem lacûs eiusdem salsi, iacet alius lacus trium milliarium in longitudine ferè circu-

laris, dictus Babbareo. Dulcis est, ut superiores duo. Hic lacus, quia caret exitu, nec voraginibus deglutiatur, ad mare insalsum, si torrentibus augeatur, superfluas mittit aquas. Hic est in Xamana Bainoæ prouinciæ regione. Est alius inter Orientẽ & meridiem iacens ad latus Caspij, dictus Guanybam, milliarium in longitudine X. est ferè rotundus. Sunt prætereà per insulam sparsi lacus alij parui, quos prætermittimus, nè diù morando in re eadem, fastidium generemus. Hoc unum claudat de lacubus sermonem. In omnibus ingens piscium, ingens & volucrum copia nutritur. Hi omnes lacus iacent in valle amplissima, quæ ab Oriente tendit ad Occidentem milliaria centum viginti. Lata vero est milliaria octodecim, vbi angustior: vbi amplior, quinque ac viginti. Collaterales habet montes, ad Occidentem versa facie Daiguani à sinistris: à dextris, ab ipsius vallis nomine montes Caiguam dictos. Iacet ad radices montium Caiguaniensium ad latus eorum septentrionale vallis altera, superiore longior, latiórque. Ducenta nanque fere milliaria complectitur eius longitudo: latitudo, vbi amplior, triginta: vbi angustior circiter viginti. Dicitur vallis Maguana hic, ibi Iguamu, alibi Hathathiei. Quandoquidem de hac parte vallis, quæ dicitur Atiei, mentio incidit, diuertendum est ad inauditum de marino pisce miraculum. Huius regionis regulus piscatione delectabatur: Caramatexius dicitur. In eius retia piscis catulus incidit, de genere piscium immanium, qui dicuntur Manati ab incolis. Minimè notum arbitror genus id monstri per nostra maria. Est nanque testudineæ formæ quadrupes: squamis tamen, non concha, munitus: corio durissimo, ita vt neque sagittam vereatur: mille verrucis armatus, tergo autem plano, & capite penitus bouino. Aquatilis est, & terrestris piscis, mitis, iners vti elephas, vtique delphin, hominibus sociabilis, sensu mirabili. Infantulum piscem domi regulus aluit dies aliquot pane patrio, ex iucca

& panico putà confecto: radicibus etiam aliis quibus homines vescuntur. Adhuc paruulum proiecit piscem in lacum suis ædibus proximum, tanquam ad viuaria: qui lacus & ipse suscipit aquas, nec illas euomit. Est lacui nomen Guaurabo: qui dehinc lacus Manati est appellatus. Liber in aquis piscis annos vagatus est quinque ac X X. Adoleuit in immẽsum. Quæ de Baiano, quæ ve de Arionæo delphinis ferũtur, distant ab huius piscis gestis. Pisci nomen est impositum Matum: quod significat generosum aut nobilem. Quandò ergò ex reguli familiaribus ei notis præcipuè, quisquã in lacunæ ripa Matũ Matũ, hoc est generose, generose proclamabat: humani beneficii memor, caput eleuans, ad vocantẽ pergebat. Pascebatur hominum manu. Si vero quispiam transfretandi cupidus, signa dabat: prostratu suo traiecturos inuitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse vno receptu, transportatósque fuisse omnes incolumes psallendo & cantando, compertum est. Sed si Christianum quenquam erigens caput cerneret, summergebatur, & parere recusabat: quia fuerat à Christiano iuuene quodam petulante affectus iniuria. In piscem nanque mitem & domesticum fuerat iaculatus hastam acutam: licet haudquaquàm læsus fuerit ob duritiem corij, quod habet verrucosum, asperúmque: illatam tamen sensit iniuriam. Et si quando vocabatur à notis, ex illo die circumadspectabat prius diligentißimè, nè quis vestitus Christiano more adesset. Luctabatur in ripa cum reguli cubicularibus: sed præcipuè cum adolescente regulo grato: cum quo domi cibos aliquando sumpserat. Cercopitheco lepidior erat. Fuit longo tempore vniuersæ insulæ singulari solatio: nam & incolarum & Christianorum multitudo ingens ad monstri miraculum quotidiè confluebat. Sapidas inquiunt esse illius speciei piscium carnes multósque maria illa generant. Amissus est tandem facetus piscis Matum: ad mare deuectus ab Attibunico, vno è quia-

Monstrum marinũ in deliciis habitũ.

tuor æquè diuidentibus insulam fluminibus: ex alluuie inaudita typhonibus horrendis comitata, quam ipsi vocarunt furacanum. Superauit Attibunicus ripas adeo, vt vniuersam impleuerit vallem, & sese lacubus omnibus immiscuerit. Secutus ergo Attibunici torrentem bonus matumus, facetus, sociabilis, matrem antiquam & natales aquas repetiuit, nusquã aliâs visus. Satis digressum. Ad vallis situm veniamus. Habet vallis hæc collaterales montes Cibauos & Cayguanienses: ad mare australe illam deducunt. Est & vallis alia vltra Cibauos montes ad septentrionem, quæ dicitur vallis Guarionexÿ: quia regulus ille Guarionexius ab auis & maioribus aliis ab hominum memoria vniuersæ valli semper hæreditario iure imperitauerit. De hoc regulo multa in primis insulæ narrationibus & prima nostra decade. Est vallis centum octoginta milliarium longa ab Oriente ad Occidentem: lata verò à meridie ad septentrionem, triginta, vbi angusta: vbi latior, quinquaginta. Initium capit à regione Canabocóa, per prouincias Huhabum & Caiabum: terminatúrque in prouinciam Bainóam & regionem Marienam. Iacet autem media inter Cibauos montes & Cahonaos & Caζacubunam. Nulla est prouincia, regio nulla, quæ non sit celebris maiestate montium, vbertate vallium, amœnitate collium, & fluminum interluentium copia. Nulla montium aut collium latera, nulla flumina, quæ non abundent auro, & suauium piscium dapibus: vno fluuio excepto, qui ab origine sua & montanis fontibus eius, salsus egreditur, labitúrque salsus donec pereat. Is dicitur Bahuan: & regionem Maguanam prouinciæ Bainóæ intersecat. Existimãt per meat⁹ aliquos gypseos aut salinas subterraneas iter sibi fecisse fluuium. Sunt in insula salinæ celebres: de quibus latius infra dicemus. Per quatuor ea flumina, pérque prouincias quinque, diximus insulã diuidi. Datur & alia partitio. Constat insula vniuersa quatuor

montium cacuminibus, quæ mediam ſecant ab Oriente in Occidentem. Succoſa cuncta: auro feracia cuncta: è quorum cauernis & faucibus vniuerſæ aquæ fluminum euomuntur. Sunt in eis antra horrenda: ſunt & tractim obſcuræ valles: ſunt ſaxeæ rupes. Nullum animal noxium in ea repertum vnquàm. Nullum quadrupes rapax, non leo, non vrſus, non tigres feroces, non inſidioſæ vulpes, non lupi voraces: beata omnia: beatiora nunc, quod intra tui gregis oues, beatiſsime Pater, ſint recepta tot hominum millia: Zemibús omnibus, dæmonum ſimulacris, eliminatis. Si res huiuſcemodi aliquandò in diſcurſu noſtræ narrationis repetiero, ſiq; digredior interdum, vt hæc referam, beatiſsime Pater, nè mihi ſuccenſeas. Feruor animi præ lætitia, cum audio, cum video, cum ſcribo iſta, me velut Apollineus & Sibyllineus quidam ſpiritus exagitat, cogítque idem ſæpè referre: quando præcipuè ſentio, quò tendat noſtræ religionis amplitudo. Hoc tamen inter ſata hæc vberrima iacet medium, quod me angit non mediocriter. Simplices hi nudi homines, paruo erant aſſueti labori. Pereunt multi ex immenſa fatigatione in aurifodinis, deſperántque adeò, vt ſibi mortem multi conſciſcant, nihílque curent de procreatione filiorum. Sumere matres grauidas medicamina, inquinnt, quo immaturos partus edant, cum cernant ſe parituras Chriſtianorum mancipia.

Licet ex regio diplomate liberos eſſe ſancitum ſit, ſeruire tamē coguntur vltra quàm homini libero placeat. Extenuatus eſt miſerorum numerus in immenſum. Duodecies centena capitum millia amplius fuiſſe aliquandò cenſita multi ferunt. Quis nunc ſit, horreſco referre. Miſſa hæc faciamus. Ad oblectamenta mirandæ Hiſpaniolæ regrediamur. In montibus Cibauis, qui ferè mediam inſulæ ſedem in prouincia Caiabo, tenent, vbi diximus natiui auri vberiorem eſſe ortum, regio eſt dicta Cotóhi, in nubibus ſita, celſis montium culminibus

circunual-

circunuallata, frequens habitatoribus: planitie constat milliarium quinque & viginti longa, lata quindecim. Superat ea planities cæterorum montiũ cacumina, ita vt reliquorũ montiu hi montes videantur esse principes & genitores. Planities hæc quatuor sentit anni tempora: Ver, æstatẽ, autumnum, & hyemem. Siccescunt ibi herbæ, nudantur frondibus arbores prata canescunt: quod minimè diximus accidere cæteris in locis insulæ, quæ ver tantum & autumnũ hospites habẽt. Filices nutrit ea tellus & hortos, serpentia rubeta mororum altricia, quæ frigus inesse regioni ostendunt. Amœna tamen regio est: neque horridum est frigus, putà quod rigore niuibúsque haud quaquam incolas premat. Vbertatem eius regionis a filicibus arguunt, quorum frutices inquiunt hasta crassiores generari. Auro ditia sunt eius montana latera. Non itur ad id effodiendum, quia vestitis opus esset fossoribus, ob frigora, & laboribus assuetis. Habitatores autem paruo contenti, molles sunt: propterea minimè ferre quirent hyeme sub dio vitam. Flumina regionem interluunt duo, è cacuminibus præsentium montium delabentia. Vnus Comoiaixa, qui tendit ad Occidentem, & in Naibæ alueo nomen amittit. Alter Tirecótus dicitur: hic ad Orientem fluens, Iúnnæ fluminis aquas auget. In insula Creta prætereunti mihi ad Soldanum, retulêre Veneti, regionem huiusmodi iacere intra Idæorum montium cacumina, quæ cæteris feracior sit insulæ regionibus satione frumentaria. At quoniam ob angustas ad culmina vias, Cretenses illi aliquando defecerint, diúque contra Senatus Veneti authoritatem regionem armis tutati sint: quandò post longa tempora se, iam bello fessi, dediderunt, regionem desertam relinqui Senatus voluit, portis angustiarum clausis, nè quisquam, iniussu Veneti Senatus, ad eam conscenderet. Eo autem anno, qui fuit secundus à quingentesimo supra mille-

ſimum, iam venia dabatur agricolis colendi regionem, aptis autem ad arma minimè. Eſt & alia regio in Hiſpaniola nominis eiuſdem Cotoy. Ea prouincias diſterminat Vhábum & Caiábum. Montes vallésque & planities habet: ſed quia ſterilis, minimè frequens eſt habitatoribus. Maior eſt in ea auri copia. Eſt ibi auri origo: non grumatim, non minutim legitur. Inter tophos & rupium venas ſolidum purúmque aurum inuenitur: ſcindendo ſaxa ſequuntur auri veſtigia. Eſſe arborem viuam auri venam comperiunt. Quacunquè pateat iter è radice per apertas molléſque ſcatebras, ramos ad ſuperna ſupercilia montis emittit: neque vnquam datur quieſcere, donec cæli auram aſſequatur. Formare ibi, viſo aëris fulgore, bactras & grumos pro fructu, animaduerterunt. Hæ ſunt quæ per vniuerſam diſſeminantur inſulam per alluuies raptatæ ad ima, de natura ponderoſorum. Non autem illic procreari putant, vbi leguntur, in ſicco præſertim, in fluminibus aliter. Radicem arboris aureæ tendere ad terræ centrum, inquiunt, & ibi coaleſcere. Quo nanque profundius effodiatur, eo truncos reperiunt craßiores, ſi per montis ſcatebras liceat. E ramis autem filo ſubtiliores aliquos captant: digitos æquantes alios, pro ſciſſurarum hiatu. Accidit & incidiſſe in cauernulas auro fultas: per ramorum tamen aſcendentium vias: quibus repletis ex ſubſtantia trunci ſerpente ab imo carpit iter ramus quà pateat. Intercipitur ſæpè ſaxi ſoliditate. In cæteris rimis tamen nutritur ex halitu & virtute radicum. Quid ergò auri efferatur, interrogabis, beatißime Pater? Ex ſola Hiſpaniola vehitur in Hiſpaniam quotannis quadringentorum & quingentorum interdum millium ducatorum auri ſumma. Id ex quinta regia intelligitur, quæ ad fiſcum venit: octoginta, nonaginta, & centum millium caſtellanorum auri, & aliquando maior. Quid ex Cuba, quid ex inſula ſancti Ioannis,

Quantū auri vchatur quotannis ex Hiſpaniola in Hiſpaniā.

fœcundis & ipsis auro, speretur, infra dicemus. De auro sat dictum. De sale, quo condiamus quæ auro emuntur, fit sermo. In regione Bainóæ prouinciæ in montibus Daiagónis ad milliaria duodecim à Caspio salso lacu, salinæ sunt montanæ saxeæ, crystallo lucidiores, candidioresque. Sunt & huiusce modi salinæ quæ crescunt mirum in modum in Laletania, quæ Catalonia dicitur, sub duce Cadonæ, regionis illius optimate primario. Sed nobiliores has Bainóas esse asseuérant, qui vtrasque nôscunt. Sine cuneis & ferreis clauis hoc scindi minimè posse aiunt. Laletanum autem facilè frangi, & ego expertus sum. Hoc tophea, illud marmoreæ comparant duritiei. In prouincia Caizimú regiunculis Iguanamá, Caiacóa, Guariágua scatent admirabilis naturæ fontes, superficie prima dulces: quæ medium tenent, aquæ salsodulces: quæ fundo iacent, amaræ salsæque. Putant salsas maris aquas leniter emanare: in supercilio fluere de montibus per terræ meatus dulces. Hæ summerguntur, emergunt illæ: nec sufficiunt hæ corrumpere penitus illarum latices. Quæ sunt mediæ, vtrasque suscipiunt, & vtrarunque fiunt participes. Si autem quis in alicuius fontis margine stratus aurem fixerit, concauam esse adeò ibi terram nôscit, vt reboet à milliaribus tribus veniens eques: pedes autem ab vno milliari sentitur. In vltima ad Occidentem regione Guaccaiarima, in regiuncula Zauána homines viuere aiunt, montium cauernis & syluestribus fructibus contentos, qui nunquam mansueuerint, neque aliorum vnquam hominum commercio vsi sint: sine certis sedibus, sine sationibus aut cultura vlla, vti legitur de aurea ætate. Hos certo aiunt idiomate carere. Cernũtur aliquãdo. Habuerũt ad manus neminẽ. Si quãdo venientes ad conspectũ hominum, quẽquã ad se moueri cognouerit, ceruo celeriꝰ cõfugiũt. Canibꝰ aiunt Gallicis agiliores esse. Quid ex his soliuagis lepidissime

vnus egerit, audi beatißime Pater. Prædia nostri habent in densarum syluarum & nemorum marginibus. Solatij gratia Christiani quidam Septembri mense anni M. D. XIIII. prædia visunt. E nemore salit insperatus elinguis homo: subridens à Christianorum lateribus puerum rapit, domini possessionis filium, habitum ex insulari fœmina. Aufugit soliuagus: vt sequantur, innuit. E nostris & è nudis insularibus multi currunt ad raptorem: prehenderunt minimè. Vbi vidit facetus soliuagus desiisse Christianos à persequendo, puerum reliquit in biuio, quà subulci vagabantur, porcos cogentes ad pascua. In puerum subulcus incidit: in vlnis susceptũ ad genitorem, sese torquentem, portat. Esse de genere Caribiũ genitor soliuagum arbitrabatur. Voratum iam filium deflebat. In eadem insula maritimis locis è scopulis picem legunt, arborea pice duriorem amariorémque, proptereà nauibus fucandis contra vermes corrodentes, quos dicunt bromam, de quibus late aliâs, commodior est. Gignit ex duobus arborum generibus picem insula: ex pinu, puta, & arbore dicta copéi. De pinea prætereo, quia vulgo vbiquè generetur. De copéia arbore dicamus: de pice fructúque pauca, quia pix non aliter ex ea legitur, quàm ex pinu: licet dicant plerique stillicidio colligi, comburendo eius lignum. Fructus autem eius paruus est, vti prunum, esui satis aptum. De folio auditu nouum est, pulchrum naturæ consilium. Arborem esse hanc existimandum est, cuius foliis Chaldæi, literarum primi repertores, conceptus mentis absentibus significabant, priusquàm vsus chartæ reperiretur. Spitameum est latitudine folium, rotundúmque ferè. Acu aut spintere vel stylo quouis ferreo siue ligneo inscribunt nostri, non ineptius quàm charta, vt libet. Risu dignum est, quæ insularibus nostri de folio persuadeant. Nostrorum imperio folia loqui putant boni homines. Missus est ex vrbe Dominica primaria insulæ, insularis quidam ad

mittentis amicum, qui distabat in interna colonia, cum vtiis (diximus esse cuniculos) assis. Ex itinere, siue fame, siue gula impellente, nuncius tres vtias edit. (Sunt muribus non maiores.) Folio rescripsit amicus quot receperit. Ad seruum herus inquit: En quid? vbi tua fides fili? potuit ne tantum gula, vt creditas vtias comederis? Tremens miser & admiratus, fassus est errorem: sed vndè id habuerit, herum rogat. En folium, quod tu ipse affers, mihi recenset. Horásque illi accessus ad amicum ac discessus, cum regrederetur, edicit. Ita lepidè fallunt stolidos insulares: & pro diis habent nostros, quorum imperio folia promant, quæ ipsi arcana esse putarũt. Sparso per insulam rumore, quod folia nostrorum nutu loquantur, in fide depositi retinet insulares.. Vtraque folij facies literas vti charta nostra suscipit. Membrana duplicata craßius est folium, tenax mirum in modum. Dum est recens, literas ostendit candidas in suo viridi: quandò siccatur, vti tabella lignea candescit durescítque, sed characteres flauescunt. Minimè autem corrumpitur, nec si madefiat: notas dimittit nunquam, nisi comburatur. Arbor est alia, nomine Xagua, cuius pomi acerbi succus glauconiger pingit quicquid tetigerit, adeò cohærenter, vt nequeat vllo lauacro abradi intra dies viginti: vbi maturuerit pomum, vim eam succus amittit. Comeditur, & sapidum est pomum illud. Est & herba, quæ, vti de ligno alias memorauimus, suffumigio perimit. De nostris interimẽdis reguli quidam conuenerunt, cum non auderent aperta vi prouinciam sumere, statuerunt locare intra quandam domum multos eius herbæ fasces, vt domum posteà succenderent, quô accurrentes nostri ad extinguendum ignem, eo suffumigio lethalem conciperent morbum. Patefacto consilio, luerunt pœnas sceleris authores. Extra ordinem pleraque nũc inseramus, beatißime Pater, quandoquidem tua Sanctitas placere sibi scribit quæcunque de nouis oris referantur. De maizij, agium,

Arboris folium scribẽdo aptum.

iuccæ, battatarum & radicum omnium escariarum satione, cultu & usu, satis multa hactenus. Undè autem venerint in hominum commoda, minimè adhuc diximus: id referamus.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS tertiæ, cap. nonum.

PRIMOS aiunt habitatores contentos vixisse diu radicibus his, palmarum putà, maguéiorum, quæ est herba, sedo siue aizoo, quā vulgus semperuiuam appellat, similis. Guaiegarum, vti tubera terræ, sunt rotundæ radices hæ ac maiores. Guaiéros & edebant, sunt vti pastinacæ, Cibáios, vti nuces sunt hæ. Cabaióes, vti cepæ, Macoánes idem vti cepæ: multis prætereà radicibus aliis. Boitium, id est, sapientem senem, aiunt, post multa annorum curricula in vnius fluminis ripa fruticem vidisse ferulæ similem: indè euulsam radicem ex agresti fecit hortensem. Et qui primi iucca vescebantur cruda, breui peribant. Cum esset eius gustus suauis, decreuerunt diuersis experiri modis pertinaciter eius vsum. Assa elixáque minus nocebat. Deuenêre tandem ad agnitionem veneni, succo latentis: & eo modo exiccata conditâque & deducta in cazáby, panem præbet stomachis humanis triticeo saniorem, quod aptior sit digestioni. Idem de cæteris radicibus, & maizio inter naturæ semina ab ipsis electo. Vti Cererem legimus triticum hordeúmque, huiusce-modi etiam alia frumenta, quibus humanum genus fruitur, delegisse in Aegypto, ex granis raptatis cum limo è montibus Aethiopum per incrementa Nili, relictáque in Niliaca planitie, Nilo regrediente ad alueum, ad culturam redegisse. Vndè diuinis Cererem honoribus dignam iudicauit antiquitas, ad

Triticū hordeū quæ quis primo ad culturā redegerit.

culturam redactis electis seminibus. Agium species innumeræ sunt. A foliis & floribus earum varietas dignoscitur: harum species vna dicitur guanaguax, hæc est intus forísque albida: alia guaraguéi, colorem habet violaceum foris, intus autem candidum. Appellát alios ages ζaζauéios, hi rubescũt foris, intus candescunt. Alios squiuetes, intus forísque albidi sunt. Est tunna vbique violaceus. Hobos flauescit pelle carnéque. Est alius dictus atibuniéix pelle violaceus, carne cãdidus. Aniguánar cute violaceus est, interius albescit. Guaccarácca pelle candescit, violascit carne. Sunt multa præterea, quæ nondum ad nos delata sunt, quibus recitandis scio me nimiũ excitare inuidorum calcaria, qui ridebunt, si quando ad eorũ manus mea scripta deuenient, quod ad supremẽ occupatum heroẽm Beatitudinem tuam, cuius humeris vniuersi Christiani orbis onus inhæret, minuta mille scripserim. An Plinius, cæteríque insignes doctrina viri, quandò huiuscemodi & ab his diuersa dirigebant ad potentes, principibus, quibuscum disserebant, prodesse solum intenderunt, ab inuidis cuperem intelligere. Illustribus obscura, magna paruis, craßis minuta, commiscebant, quô posteritas, principum causa, agnitione rerum vniuersa frueretur: particularibus autem rebus intenti, & nouarum rerum cupidi, particulares oras tractúsque ac terrarum prouentus & mores gentium naturásque rerũ intelligere quirent. Ridebunt ergo ipsi nostras curas: deridebimus nos eorũ, nõ inscitiã, non incuriã, non desidiã, sed perniciosam solertiã: & eorũ torturæ pectoris miserebimur, colubrisq; inuidorũ edulijs eos cõmendabimus. Si vera sunt quæ de tua Sanctitate Galeatius ipse Butrigarius & Ioãnes Ruffus, impræsẽtiarũ Cusẽtinus archipræsul, nũcq; tuæ Sedis apostolicæ, retulerũt, placitura omnia nõ dubitauero: nec incultas vestes nostras, quibus res mirãdas teximus solũ, nõ ornauimus, collegimus, nõ descripsimus, abiecturã existimamus. Satis de rebus ipsis factũ vi-

deatur, quod tua causa inuigilauerimus, ne perirent. Tollat hinc quisque suæ crumenæ quadrantem monetam. De boue veruecéque à laniis secto, propterea nihil ad vesperam superest, quia humerus huic placet, illi femur, alteri collum, nec desunt quibus & ilia satisfaciant, aut crura conducant. Satis euagatum cum liuore rabido. Quibus modis nascentes regulorum filios, reguli salutent: quó ve pacto vitæ finem principio commodent: cur ve quisque regulus multis nominibus vocitetur, parumper referamus. Nascente alicui regulo prole, finitimi accurrunt, reginæ cubiculum intrantes. Hic natam sobolem vno nomine salutat, alius alio. Salue lucida lampas, hic: Relucens, ille: Domitor hostium, alius: Fortis herois at nepos, alius: Auro splendidiorem appellat alius, & inania multa. Propterea vti Adiabenicus, Parthicus, Armenicus, Dacicus, Germanicus, Romanorum quisque dicebatur, pro parentum & maiorum titulis: ita hi à regulorum impositione, vtputà Beuchius Anacauchóa, Xaraguæ regionis dominus. De quo sororéque ipsius Anachaóna prudente fœmina, latè in prima decade. His nominibus appellabatur Túréigua Hóbin, quod sonat, rex resplendens vti orichalcum. Alius solum Starei, id est, relucens. Alius Huiho, hoc est, altitudo. Duiheyniquem alius, interpretatur diues fluuius. Cum his Beuchius omnibus nominibus, & aliis quadraginta amplius se ornat, quandocunque sit aliquid imperaturus, aut per præcones edicturus. Horum si quis incuria vel negligentia vnum prætermitteret, summa se affici contumelia rex iudicaret. Idem de cæteris. In testamentis autem quàm fatuè sese habeant, intelligamus. Ex sorore prima primogenitum, si insit, relinquunt regnorum hæredem: sin minus, ex altera: vel tertia, si ex secunda proles desit: quia è suo sanguine creatam sobolem eam certum est. Filios autem vxorum suarum pro non legitimis habent. Si ex sororibus defuerint, fratribus: si fratres, tunc filiis legant. Si

Hære-des insularis regni.

filij desint, ei qui potentior habetur in vniuersa insula, regnũ commendant, quo suos ditionarios ab auitis hostibus tueatur. Vxores ducunt quotquot placet. Ex vxoribus chariores cum regulo sepeliri patiuntur. Anachaóna soror Beuchij Xaraguæ regis, qui in componendis areitis, id est, rhytmis, vates habebatur inter egregios, iussit formosiorem ex fratris vxoribus & pellicib⁹, quæ Guanahattabenechéna dicebatur, viuam cũ viro sepeliri, duásque comites. Censuerat vt plures, nisi crepidati fratres sui Francisci, qui fortè aderant, precibus obstitissent. Guanahattabenechénam aiunt parem nullam in vniuersa insula habuisse pulchritudine: secum sua monilia sibíque viuenti gratos ornatus sepeliuit. Aquæ phialam & cazáby panis portionem cuique locant in sepulchro. In huius Beuchij reguli regno Xaraguá, & in Hazúa Caiábi regionis parte, in valle etiam egregia lacuum salsi & dulcium, & in Yáquino Bainóæ prouinciæ regione rarò pluit. Hæ habent omnes auitas fossas, quibus aquas non ineptiore ducunt ordine per campos irriguos, quam nouæ Carthaginis & regni Murciensis habitatores in Spartaria, ob pluuidarum aquarum infrequẽtiam. Maguána verò regio Bainóam à Caiábo dirimit, & Zauána à Gnaccaiarima: In profundis etiam vallibus crebrioribus vexantur pluuiis, quam opus esset. Vrbis etiam primariæ sancti Dominici circunuicina, plerunquè plùs æquo humectantur. In reliquis tẽperate pluit. Varij sunt ergo in Hispaniola motus elementorum, vti de aliis multis legimus regionibus. De coloniis in ea positis, satis in prima decade. Villulas postmodum posuêre, portum Platæ, Portum Regalem, Láres, Villanouam, Azuam, Saluaterram. Nunc iam de adiacentibus insulis innumeris (quas immensæ Tethydis Nereides diximus, eam comantes) notas describamus. A viciniori, Arethusa altera nobilitata, licet alias inutilis sit, exordior. Ad milliaria à suæ Tethydis littore sex iacet paruula, à no-

ſtris Duas Arbores, antiquo nomine prætermiſſo, appellata: quia duabus polleat arboribus tantum: quibus vicinus eſt fons, ex Hiſpaniola ſubter mare per latentes meatus ſcatens, vt ex Elide in Arethuſam Siculam Alpheus. Ex hóbis, id eſt, myrobalanis, & multis arboribus Hiſpaniolæ, folia in fonte ſalientia, quibus inſula caret, rem teſtantur. Originem capit fons à flumine Yiamiróa regionis Guaccaiarimæ, Zauánæ terræ proximo. Piſcaria tamen eſt inſula, cuius circunferentia milliare vix complectitur. Recta ab Oriente ſancti Ioannis inſulam, veluti ianuæ cuſtodem noſtra Tethys habet. De qua multa alias. Auri ferax eſt, & vbertate ſoli æquè fortunata ac ſua genitrix Hiſpaniola. Coloniæ ſunt & in eam iam deductæ, auróque legendo intenditur.

Ab Occidente ſeptentrionali tergum Tethydi ſeruat ingens Cuba, putata diù continens, ob ſui longitudinem: longior nanque eſt ipſa Hiſpaniola. Secat mediam ab Oriente in Occidentem cancri circulus. Hiſpaniola verò & reliquæ, meridionale ipſius latus ſeruantes, clauduntur medio ferè ſpatio à tropico ad æquatorem intra Zonam, quam ardore ſolis deſertam, multi veterum arbitrati ſunt. Sua illos opinio fefellit. In Cuba inſula ditiores reperiri aurifodinas aiunt, quàm in Hiſpaniola. Hac hora qua hæc ſcribo, coacta eſſe in Cuba referunt caſtellanorum auri centum octoginta millia conflanda: magnum opulentiæ argumentum. Eſt his auſtralior Iamaica, læta fertiliſque inſula, benignitate ſoli fortunatiſſima: vno tantum monte contenta, ſationibus recipiendis aptiſſima, ac belli ſtudijs aſpera. Nequeunt vniuerſa quæ præ manibus habent complecti paruo tempore. Iamaicam aliquandò Colonus huius rei princeps, Siciliæ comparauit magnitudine. Minorem eſſe, non multo tamen, qui eam exactiùs tractauere, aiunt: de illius felicitate nil negant. Auro & gemmis expers eſſe creditur. Idẽ in initio de Cuba exiſtimabant. Guadalupea inſula, Caraquêi-

ra prius dicta, gradus ab australi latere Hispaniolæ quatuor propior est æquinoctio. Circuit milliaria quinque ac triginta supra centum. Corrosa duobus sinubus, (Vti de Britannia maiore legimus, & Calydonia, quæ Scotia nunc est) ità vt penè fiant duæ insulæ. Portubus est celebris. Id gummi reperêre ibì generari, quod pharmacopolæ Animen album vocāt: ad capitis grauedinem sua suffumigatione tollendam. Cuius arbor fructum producit cariotis similem spithamalem. Aperta, farinam videtur includere dulcem. Vtì nostri rurales castaneas & huiuscemodi pleraque seruant hyemandas, ità hi huius arboris cariotas. Est arbor ficulneæ similis. Pineas hortenses & cætera naturæ edulia cūcta, de quib9 latè in superiorib9 & hi assequuntur. Immo & putāt, ab hui9 insulæ habitatoribus alias insulas tot suauiū fructuū semina habuisse. Quia Caribes vagi circūuicina omnia, homocupij causa, pertriuerunt: quicquid vero vtile peregrinum vbique inueniebant, domum portabant serendum. Intractabiles sunt, non patiuntur hospites, magna vi opus est ad hos debellandos. Sagittis vterque sexus, & his venenatis, valet plurimum. Si quandò foras viri proficiscantur, ab iniuria venientium fœminæ ius suum viriliter tuentur. Indè puto creditum, insulas eo esse oceano, quæ solas mulieres ferant: vti mihi persuasit Almirantus ipse Colonus: & in prima nostra decade diximus. Montes planitiésque assequitur vberes hæc insula, & fluminibus nobilis est. Mella in arboribus & saxorum specubus nutrit: vti de Palma Fortunatarum insula, quæ mella colligit inter rubeta veprésque. Ad Orientem ab hac insula, iuniore vocabulo dicta Desiderata, ad millia passuum octodecim, cōcluditur millibus passuum viginti, & ipsa elegans. Ad milliaria decē ab ipsa Guadalupea ad meridiem, circunferentiæ milliarum triginta, iacet Galanta, plana. A pulchritudine sua, appellata est Galāta: quia Hispanum idioma elegātes, galanes ap-

pellat. Ad milliaria nouem à Guadalupea, sex paruæ sitæ sunt insulæ ad Orientem, vocatæ Todos, Sanctos, & Barbata. Hæ scopulosæ sunt ac steriles, sed cognitu necessariæ nauigantibus. Ab hac insula Guadalupea ad septentrionem milliaria quinque & triginta, est insula dicta Monsserratus. In gyro hæc millia passuum continet quadraginta, altissimo monte celebris. Insula dicta Antiqua, à Guadalupea millia passuũ triginta, circuit milliaria circiter quadraginta. Almirantus ipse Diecus Colonus, primi repertoris filius, mihi retulit, vxorem suam, quam, venturus ipse ad Curiam, in Hispaniola reliquit, scripsisse ad eum, repertam esse inter Canibalicas insulam auro feracissimam. Ad eam nondum itum est. Læuo Hispaniolæ lateri ad meridiem, Portui Beatæ proxima inhæret insula, Altus bellus appellata. Mira ferunt de huius insulæ belluis marinis, sed de testudinibus præsertim. Magno ancili scuto inquiunt esse grandiores. Quo tempore genitalis & improbus eas furor exagitat, è mari prodeunt. Egesta in profundam scrobem arena, ter & quater centum oua dicitur in scrobem demittere. Geniali vulua iam exhausta, remittit arenæ tantum quantum ad oua cooperienda sufficiat, reditque ad marina pascua, de sobole nil solicita. Ad statutos illi belluæ procreandæ à natura dies, pullulat, vti è formicario, testudinum multitudo, solo calore solis sine parentum adminiculo generata. Anserina ferè oua, inquiunt, æquare magnitudinem. Carnem testudineam vitulinæ comparant sapore. Sunt & innumeræ aliæ insulæ, quas neque benè tritas habent, neque opus est tam tenuiter farinam hanc cribrare. Satis est intelligere, paratas nobis esse terras immensas, quæ & nostras gentes & linguas & mores ac religionem, aduenientibus annorum curriculis, sint amplexuræ. Non Teucri Asiam, non Tyrij Libyam, non Græci & Phœnices Hispaniam sic repentè impleuerunt. De insulis autem quæ Hispaniolæ latus

septentrionale custodiunt, mentionem prætereo: quia licet piscationibus & culturis aptæ sint, relictæ tamen sunt à nostris tanquam pauperes.

Iam valeant annosa Tethys, nymphæque madentes
Ipsius comites: veniat coronata superbè,
Australis pelagi cultrix, re ac nomine diues.

In libello epistolari, ad Beatitudinem tuam anno superiore per proprium meum familiarem misso, quem tua Sanctitas ipsa, audientibus plerisque sacræ sedis apostolicæ Cardinalib⁹ & Amata sorore, perlegit, quo die Michaelis archangeli festum tibi credita celebrat ecclesia, diximus Vaschum Nunnez Balboam, eorum ducem qui montes arduos superauerant ad austrum, fama didicisse, iacere insulam in prospectu littorũ margaritis grandioribus opimam: cuius regulus potens esset ac diues, qui bello sæpè littorales regulos infestaret, Chiapen & Tumaccum præsertim. Scripsimus & relictam fuisse intactam ob furentes tempestates, quæ mare illud australe rabidè tribus anni mensibus infestant. Nunc iam tritã habemus. Nunc mitem ex ferocissimo regulum eius effecimus. Hunc cum vniuerso eius dite regno tua Sanctitas amplectatur: quãdoquidem ad baptismatis lauacrum admissus est. Cuius ducis auspiciis, quo ve modo res acta sit, haud alienum erit ab instituto nostro commemorare. Quarè, quo res acta sit ordine, tua Beatitudo serena fronte ac placidis auribus intelligat.

PETRI MARTYRIS MEDIOLANEN. OCEANEÆ DECADIS TERTIĘ, cap. decimum.


PPVLSO Petro Aria gubernatore, Gaspari cuidam dicto Morali, Ditem insulam adeundi prouincia demandatur. Ad Chiauem, quem alij Chiapeium vocant, & Tumaccum, regulos australes, relictos à Vascho
1516. amicos, tendit. Amicè magnificéque suscipiuntur nostri. Classem instituunt qua traijciant ad insulam. Hanc Ditem insulam appellant, non autem Margaritam, licet margaritis abundet, quia Marguaritam vocarunt prius aliam, quæ proxima est Ori Draconis in Paria regione, & ipsam margaritis vberem. Sexaginta tantum traducit Gaspar armatos ad insulam. Non licuit transmittere plures, quod essent nauigia, quæ ipsi culchas appellant, exigua. Ferox horridúsque fit nostris obuius regulus. Huius nomen non didici. Minabundus prodit cum armatorum familiariū magno comitatu. Guazzáuara, in pugnæ tesseram, inclamitant: & vna vibrant missilia. Non arcubus hi pugnant. Guazzáuara sonat idem, quod certamen inimicum. Quatuor inuicem guazzáuaris, id est pugnis, consertum est. Nostri superiores euaserunt, vna cum Chiapeis & Tumaccheis insularis reguli hostibus: quia ex insperato regulum adorti sunt. Studebat regulus cogere maiorē exercitum: sed persuasus à vicinis littoralibus, ne vltra confligeret, perniciem & florentis regni excidium illi, exemplo sui & aliorum, ostendentibus, monstrātibúsque nostrorū amicitiā, sibi suisq́ amicis gloriā & vtilitatē parituram. Quid Ponchæ, quid Pocchorrosæ, Quarequæ, Chiapæ, Tumacco, & reliquis conserere manū volentibus, acciderit anno superiore, recolūt. Cessit ab armis regulus. Nostris venit obuiā. In atriū ducit. Id ferunt miris esse modis ornatū & benè regiū. Nostris, vbi primū ingressi sunt eius regiam, canistrū arte summa laboratū, margaritis plenū dono dat. Octūcialiū librarū decē supra centū ea fuit vnionū summa. Habitis è

nostris rebus, sertis vitreis puta, speculisque ac tintinnabulis
orichalceis, delectatus est: & fortè securi aliqua ferrea, quas
hi multo maioris faciunt, quàm auri cumulos. Nostros deridet
qui rem adeò grandem & vtilem pro vlla auri summa præ-
beant: cum sit securis ad hominum multa commoda vtilis,
aurum autē ad lasciuiā tantū faciat non necessariā. Alacer
ergo lætusq; nostrorum cōmercio, manu præhensum prætorē,
& primarios, ad eminentem atrij turrim, qua dispectare lice-
bat pelagus vniuersum, ducit: & oculos circunuoluens, ait: En
apertum mare infinitum, neque sole terminatum: & dextrā
protendit ad Orientem prius. Versus dehinc ad meridiem &
Occidentem, in immensum distendi terras, quarum vastæ ma
gnorum montium moles videbantur, insinuabat. Propius de-
mum sese recipiens, inquit: En insulas à dextra læuáque no-
stræ huic regiæ collaterales, nostro imperio parentes. Omnia o-
pima, beata omnia: si beatas eas vos appellatis terras, quæ au-
ro & margaritis abundent. Auri apud nos est parua copia:
sed margaritis plena sunt omnium, quæ adsunt, insularum
profunda littora. Ex his quotquot appetiueritis, à me habebi-
tis, modo in amicitia inita mecum persistatis. Prouentibus ve-
stris magis ego fruar & delectabor, quam margaritis. Propte-
reà haudquaquam me à vestro commercio discessurum du-
bitetis. Hæc & huiuscemodi multa inter eos acta sunt. Volen
tibus iam nostris indè reuerti, pacti sunt, vt quotannis præpa-
ret regi magno Castellæ donandas vnionum libras octuncia-
les centum. Postulata suscepit libens: nec magni quidem fecit,
nec se vectigalem propterea effectum putauit. Apud hunc re
gulum tanta est ceruorum & cuniculorum copia, vt è domi-
bus liceret nostris, quotquot optarent, sagittis trāsfigere. Lautè
ibi vitā agūt & affluēter. Gradū vix sextū ab æquatore di-
stat ea regia. Radicalis & maizij panis ac vini è granis & fru
ctib⁹ eadē est ratio, quæ Comogro: quæ cæteris tā cōtinētib⁹ quā

insularibus. Baptizatus, beatissime Pater, hic regulus est cum suis omnibus. Ad tuos ergò greges hæ oues additæ sunt cum suo pastore. A nomine gubernatoris, Petrus Arias voluit nominari. Amicè conuenerunt, amiciùs secedunt. Suorum naualium culchis, id est, lintribus monoxylis, aliorum modo fabrefactis, nostros iuuit, quô commodiùs redirent in continentem. Comitatúsque nostros est ad littus. Margaritas allatas, quinta parte magistratibus regiis præbita, inter se diuiserũt. Mirum in modum preciosas esse aiunt. Eccè vno argumento quanti fiant quæ ab insula Dite feruntur. Candidas & pulchrè ornatas, auellanam & aliquid maius æquantes, multas tulerunt. Vna præcipuè margarita, quam manu Bartholdi Mediolanensis cuiusdam affinis mei, summus Põtifex Paulus prædecessor tuæ Beatitudinis, à Veneto emit mercatore, precio quatuor & quadraginta milliũ ducatorũ, mihi memoriam suscitauit. Inter nanque allatas ex insula, vna reperta est mediocrem æquans nucem. Venum sub hasta posita, fuit empta precio mille ac ducentorum castellanorum auri inter Darienenses ipsos. Ad manus tandem Petri Ariæ gubernatoris aduenit. Hanc eius vxor, de qua discedente cum marito mentionem aliquandò fecimus, honoratam apud se habet. Arguimus, preciosam necessario esse debere, quæ tanti constitit in ea marguaritarum multitudine, vbi non iam singulæ coëmuntur, sed libratim, & quandò tenuius, vnciatim. Neque Venetus ille mercator Paulinam magno emit in Oriente. Incidit demum in tempora huiuscemodi lasciua, propterea non defuit helluo margariteus. De conchylibus pauca nunc dicamus. Non præterit beatitudinem tuam, Aristotelem, Pliniúmque Aristotelis in hac ratiocinatione sectatorem, varia sensisse de margaritarum generatione. Igitur hi pedẽ, & vna in re tantũ, sistunt, nil assentientes in reliquis: neque quòd pelago vagentur, neque vllo vnquam tempore moueantur,

ex quo

ex quo natæ sunt, fateri volunt. Esse in maris fundo prata, gramen thymosum quoddam gignentia, volunt: & ea se vidisse affirmãt. Generari, ali, coalescereque ibi, &, vt in ostreis videmus, circum se multiplices natos nepotesque procreare, inquiunt: neque marinorum canum commercio delectari conchylia: neque vno esse aut tribus, & quando numerosius, quatuor vnionibus contenta prædicant. Centum viginti vniones fuisse vno conchyli repertos in insularis reguli prædiis, quos Gaspar ipse Morales dux, & commilitones eius diligenter annumerauerunt. Regulo nanque placuit, nostris præsentibus, piscationem fieri per vrinatores suos. Gallinæ loculis quibus oua generantur innumera, conchylis matricem comparãt: & sic eniti conchyle. E labiis prodeuntes margaritas, vt maturas & iam genitricis oscitantis aluo egredientes, reperiebãt has: alias subsequentes, vt paruo successuro interuallo soluerentur & ipsæ. In ventre medio clausas esse marguaritas animaduertebant, quo prius nutritæ coalescerent, veluti sugens vbera matris in aluo infans, priusquam è latebris vteri vnio moueatur. Et si quæ interdum conchylia, vti ego ipse vidi ostrea in diuersis maris oceani littoribus, arena inuoluta in littore quis viderit, ea raptata esse tempestatibus è fundo dicunt, non ipsa vltrò venisse. Quod rore nitido matutino candescant, quod turbido flauescant, quod sereno cælo gaudeant, quod tonante torpescant, & cætera huiuscemodi, non sunt ab his literarum ignaris ad vnguem quæritanda. Pingui res tractanda Mineruа. Maiores tamen marguaritas iacere profundius, mediocres altius, minimas in supercilio, fatentur. Sed à ratione reliquorum deuiant. Non esse in insecta bellua torpenti rationem hanc arguunt. In animo sic & industria halitúque vrinatorum. Grandiores propterea non vagari, sed creari, nutririque in profundiori loco, quod pauci, quódque rarò audeãt vrinatores ad eas legendas ad ima sese immergere: tũ polypo-

rum metu, inter conchas venatûs causa vagãtium, quia sunt carnium concharum auidi: & monstrorum formidine aliorũ: tum etiam, nè deficiat in longo tractu halitus. Vndè datur conchis profundi maris hospitibus, crescendi copia. Quóque grandior concha est annosiórque, eo ferunt in eius capaciori vulua maiores generari margaritas: propterea è grandioribus paucas adipiscuntur. Emissas in profundo maturas, putant escas fieri piscium: recenter nanque solutæ: molles esse creduntur. Differunt hi etiam à maioribus in tympano. Negant esse vnionem, qui senescens conchæ cohæreat: sed esse in concha ipsa verrucam, quæ lima rasa, vna facie rotunda lucidáque contenta sit: nec preciosam quidem, putà quæ naturã cõchylis habeat, non margaritæ. Pati appellat Hispanus tympanum. In scopulis se aliquas vidisse conchas fatentur cohærentes, sed raras, ac minime vtiles. Credendum est, Indicas Arabicásque ac Erythræas aut Taprobanicas conchas eo regi ordine, quo scripsere viri adeò celebres. Neque horum sententia penitus abijcienda est: puta qui longo iam tempore in hac agitatione versati sunt. Iam satis de marinis his belluis, & earum ouis, gallinaceis & anserinis, ex humana luxuria ineptè carioribus. Particularia quædam extra tesseram memoremus. Descripsimus latè aliâs Vrabæ sinûs fauces, & varias intersectas ipso mari sinuali regiones, esse valde dissonas. De occidentalibus oris, in quibus nostri domicilia statuerunt, in Darienis ripa, nil habeo de recenti quod referam: de orientali autem nupèr hoc didici. Orientalem sinûs regionem, inquiunt à protento cornu in mare ac labio, venientes maris aquas suscipiente, adúsque Os Draconis & Pariam, generali vocabulo Caribanam appellari terram vniuersam: quia Caribes sic appellatos à regione Caribana, in vniuerso tractu illo reperiantur. Sed vndè particularem habeant originem, vndéque nata-

tale solum deserentes, sese tam latè diffuderint, vti morbosa contagio, dicendum est. A prima fronte producta in mare, in cuius tractu Fogedam diximus fixisse pedem, angulum versús, iacet Caribanæ vicus ad milliaria nouē, nomine Futeracá. Ab eo ad milliaria tria vicus Vrabà, vnde sinus vniuersus nomē sūpsisse creditur, quia fuerit aliquādo vicus is regni caput. Ab hoc vico ad miliaria sex est Fetì. A Feti ad milliaria nouē Zeremæ. Ad duodecimum ab eo, Sorachè. Populis plenos hos vicos nostri reperêre, qui omnes homocupiis inuigilāt: & si hostes desint, quibuscū bella gerant, in seipsos sæuitiā cōuertut, & prostrant aut fugant. Indè tanta labes fluxit in miseros & continentis & insularum habitatores. Aliud, meo iudicio non magis tacendum, intellexi. Legum peritus quidam, dictus Corrales, Darienensium prætor vrbanus, inquit se occurrisse cuidam fugitiuo ex internis occidentalibus magnis terris, qui ad regulum repertum à se profugerat. Is legentem cernens prætorem, insiliuit admirabundus, aítque per interpretes, qui reguli hospitis sui linguam callebant: En quid & vos libros habetis? en & vos characteres quibus absentes vos intelligant, assequimini? orauit vnà, vt apertus sibi libellus ostenderetur, putans se literas patrias visurum. Dissimiles reperit eas esse. Mœnibus septas vrbes, & vestiri ciues aiebat suos, legibúsque gubernari. Sed quid colant, non didici: recutiti tamen dispreputiatíque, ab exemplo & sermone fugitiui compererunt. Quid hîc dices, beatissime Pater? quid sanctissimus præsagit animus tuus? sub cuius throno tempus hæc omnia subiiciet. Immisceamus nunc magnis parua quædam. Prætereunda minimè puto, quæ Ioanni Solisio acciderint, qui tentaturus australe latus putati continentis, ex portu Ioppæ, parùm distanti à Gadibus in Oceano, discessit cum tribus nauigiis, quarto idus Septembris anni superioris M. D. XV.

quæ ve Ioanni Pontio, quem diximus electum ad Caribes siue Canibales anthropophagos, humanarum carnium belluones, debellandos. Quæ Ioanni Aioræ, quæ etiam Gonsalo Badaiocio duci alteri, & Francisco Bezerræ alÿ, atque iterū alÿ dicto Valleio. Solisius infaustè prouinciam sumpsit. Caput siue Frontem sancti Augustini, de qua millies traiecit, meridionale latus putati continentis captans trans æquinoctialem circulum. Diximus nanque septimum antarctici gradum Frontem ipsam pertingere. Sexcentum leguas processit. Reperit sancti Augustini Frontem adeò in latum distendi ad meridiem trans æquinoctium, vt trigesimum amplius gradum antarctici præhenderit. A tergo iam Capitis Draconis & Castellanæ Pariæ, iacentium ad boream & arcticum inspectantium, nauigabat, quando incidit in obscœnos & anthropophagos Caribes, de quibus latè alias. Hi tanquam insidiosæ vulpes, signa pacis videbātur innuere, sed animo lautum aliquod conuiuium gestabant: & visis à longè hospitibus, ganeonum more saliuam degluitire cœperunt. Descendit ipse miser Solisius cum sociis quotquot ingredi maioris nauigÿ scapham potuerunt. Salit ex insidiis incolarum multitudo ingens. Fustibus ante sociorum oculos trucidarunt omnes: scapham raptatam in ictu oculi dilacerarunt. Euasit nemo. Trucidatos & in frusta sectos in ipso eodem littore, sociis è mari horrendum spectaculum prospicientibus, pararunt ad futuras epulas. Cæteri atroci exemplo perculsi, non ausi sunt descendere, neque de sui ducis & sociorum vltione cogitare. Crudelia hæc littora deserunt. Nauigia coccineis truncis onerant: diximus vocari ab Italis verzinum, ab Hispanis brasilum, ligni genus, id ad lanas fucandas aptum. Rediere cæteri in patriam. Hæc breuiter mihi scribenti relata sunt per literas. Quid aliud egerint, aliquando particularius intelligemus. Ioannes autem Pontius fuit & ipse à Caribibus in insula Gadalupea, reliquarum

insularum Caribium primaria, reiectus. Visis nanque nostris ab alto mari, latuerunt in insidiis Caribes, vnde descendentes quirent inspicere. In terram transmiserunt lotrices fœminas, & pedites paucos, ad subuculas & linteamina fricanda (Neque enim ex insula Ferrea Fortunata ad eam vsque insulam, spatio milliarium quater mille ac biscentum, terram viderant vllam. Vacuus est eo spatio insulis Oceanus) quò dulces aquas assequerentur. Insiliunt ex insperato Caribes, fœminas raptant, pedites disturbant. Trepidi euadunt pauci. Territus Pontius, non ausus est impetere Caribes, venenatas veritus sagittas, quas homocupes hi nudi figunt certißimis iactibus in quencunque locum viderint. Ita re infecta, & sine lotricibus bonus Pontius terga vertit Caribibus: quos, sub tecto in tuto positus, iactanter se deleturum minitabatur. Quò indè tetenderit, quid ve noui repererit, nondum intellexit. Solisius vitam, Pontius honorem in sumptis prouinciis amiserunt. Veniat alius qui eodem & ipse anno malè rem geßit. Ioannes Aiora ciuis Cordubensis, nobili genere ortus, missus pro prætore, vti alias diximus, auri magis cupidus, quàm rei benè gerendæ amator aut laudis: nactus occasiones in regulos, spoliauit multos, & contra ius fásque aurum ab eis extorsit, & crudeliter, vt aiunt, tractauit: ita vt ex amicis facti sint hostes infensißimi, & animis desperatis iam quacunque datur vi aut insidiis nostros perimunt. Vbi paccato commerciabantur, & volentibus regulis, nunc armis agendum est. Multis auri ponderibus hoc modo coactis, vti fertur, aufugit, sumpto furtim, vt vulgo dicitur, nauigio: neque ad hanc vsque horam qua hæc scribo, quo sit appulsus, intelligimus. Non desunt, qui Petrum Ariam ipsum gubernatorem, eius fugæ assensisse arbitrentur: quia sit hic Ioannes Aiora historici regij frater, Gōsali Aioræ viri & eruditi & rei bellicæ periti, amici gubernatoris adeò, vt ferè liceat inter amicorũ paria pauca

ipsos numerare. Sum vtrique deuinctus & ego intima necessitudine: sed ignoscat vterque. Nil mihi æque displicuit in vniuersis oceaneis agitationibus ac istius auaritia, quæ pacatos regulorum animos ita perturbauerit. Tragicus veniat Gōsali Badaiocij ac sociorum casus: quorum prosperis initiis successus acres subsecuti sunt. Gonsalus mense Martio anni superioris M. D. X V. cum viris armatis octoginta discessit ex Dariene. Rectà tetendit ad Occidentem, neque vllibi pedem fixit, donec partem illam prehendit, quam Gratiam Dei diximus aliâs appellatam à nostris. Hæc distat ab Dariene millia passuum circiter centum octoginta: dicunt lequas sexaginta. Ociose ibi dies aliquot egit: quia neque precibus, neque precio, aut minis potuit vnquam eius terræ regulum ad se trahere: cui rei auidè studuerat. Interea dum sic ociatur, ad eum veniunt alij quinquaginta viri ex Dariene missi, duce Ludouico Mercado, qui ex Dariene in Calend. Maij discesserant, vt vna tentent eius terræ interna. Vbi conuenerunt, inito consilio, traijcere montes ad meridiem, & australe pelagus iam repertum, captare constituunt. En mirum, in tanta vastitate longitudinis, vnum tantum & quinquaginta milliaria repererunt interesse ad australe pelagus. Inquiunt, lequas septendecim. A milliaribus Hispani nunquam computant. Lequam tamen aiunt constare milliaribus tribus, terra dico: mari quatuor, inquiunt. In culmine montium & aquarum diuortio regulum reperiunt, nomine Iuánam. Regnum huius & ipse, Cóiba dicitur, vti de Caréta diximus. Sed quià Iuanæ regio sit auro feracior, Cóibam ditem eam vocitarunt: vbicunque enim fodiebant, siue in sicco, siue in riuorum alueis aquosis, egestam auro mixtam reperiebant arenam. Aufugit Iuána nostris aduentantibus. Adduci nunquā potuit. Vniuersam ipsius regiæ viciniā depopulati sunt. Auri parum habuerunt. Secum nanque supellectilem omnem abstulerat. Mancipia

ibi adepti sunt, acribus signata stigmatibus. Ex osse siue spina stylo confecto foramina mancipiis in faciem efficiunt: & mox pulueris quodam genere foramina inspergunt, ac nigranti succo vel rubenti madefaciunt. Tenax adeò ea est materia, vt nullo vnquam tempore aboleatur. Secum abduxêre mancipia. Aiunt esse succi eius acrimoniam adeò torquentem, vt præ nimio dolore non liceat mancipiis per dies aliquot comedere. Mancipiorũ opera & reguli captores, & nostri vtütur ad aurum quæritandum, & sementes curandas. Ex Iuânæ regia secuti delapsus aquarum ad austrum ad milliaria decem, reguli alterius ditionem intrant. Hunc senem appellarunt nostri, quia senex esset, nil de vetere ipsius nomine curantes. In huius reguli etiam regno, tam fluuialibus quàm aridis, vbique aurum reperiebatur. Et flumina celeberrima, & tellurem vberem atque amœnam, regulus hic poßidebat. Abeũtes indè, desertam reperêre terram intercapedine dierum quinque. Putant intestinis odiis depopulatos eos agros, eô quod sint maiori ex parte vberes, sine habitatoribus & culturis. Quinto die duos vident ex transuerso venientes à longè incolas onustos: ad eos tendũt, capiunt, sacculos ferebant humeris maizio pane plenos. Ab his intellexêre, duos esse in eis tractibus regulos, littoralẽ vnũ, nomine Periquetẽ, continentẽ alterũ, dictum Totonogá, qui cæcus erat. Duo illi piscatores erant, ad Periquetem à Totonogá rege suo mißi cum sarcinis piscium: & ea permutatione panem referebant. Prouentuum nanque permutatione commerciantur, non lethali pecunia. Duobus illis ducentibus, Totonogám littoralem australis pelagi, ad occidentale sancti Michaëlis latus, regulum petunt. Ab hoc regulo castellanorum auri millia sex, tum rudis, tum affabrè laborati habuerunt. Inter eos rudes grumos, vnus repertus est duorum ponderis Castellanorum, qui arguit vbertatem auri. Idem littus sequentes ad Occidentem, ad regulum tendunt

qui dicitur Taracuru, à quo pesos habuerunt octiés mille. Diximus pesum appellari pondus Castellani non decußi. Ad huius reguli fratris ditionem, qui dicitur Pananomé, transierunt. Aufugit Pananomé, neque vsquam apparuit vltra. Ditem auro prædicant Pananomés regionem. Regiam eius depopulati sunt. Ad sex indè lequas ad aliũ, qui dicitur Tabór. Indè ad regulum Cherú. Is amicè suscepit nostros, dedítque libens pesos quater mille. Is Cherú salinas poßidet egregias: & auro tellus eius abundat. Ad milliaria indè duodecim ad regulum eunt, qui dicitur Anatá. Ab eo pesos habuêre quindecies mille: quos ipse adeptus fuerat à finitimis regulis bello stratis. Combustúmque erat id aurum, quia ex incendiis domorum hostilium ereptum fuerat. Sese inuicem & spoliãt, & trucidant, ac vicos sternunt, & depopulantur vniuersa. Barbarè bella gerunt ad interniciem vsque, ad vltimum excidium sæuiunt, cum vicerint. Vagatus est solutis habenis ad hunc vsque regulum bonus Gonsalus Badaiocius cum sociis, & à regulis auri aceruos cumulauit egregios. Octoginta millia castellanorum auri congesserat, in bracíulas, vectésque muliebres pectorales ad mammas sustinendas, si cadant, in elicteres ad aures, in galeas etiam ac torques, aliáque monilia, tum rerum nostrarum permutatione, tum vi & armis, quia transitum vetare ac reiicere nostros plerique tentarunt. Quadraginta quoque mancipia, quorum opera impræsentiarum ad viaticum & reliquarum rerum sarcinas importandas vtebantur pro iumentis onerariis. Ad infirmos etiã & longis itineribus atque inedia fatigatos proderant subleuandos. Per Scoriæ reguli ditionem, ad reguli regiam qui Pariza dicebatur, veniunt. Nil tale timentes nostros Pariza adoritur: circuit cum ingenti bellatorum multitudine. Sternit incautos & palantes. Armorum capiendorum non data est copia. Septuaginta sauciat aut trucidat, reliquos in fugam vertit.

Quicquid auri, quicquid mancipiorum fuerant assecuti, deserunt. Pauci veniunt ad Darienem. Falsa esset, beatissime Pater, sapientum omnium sententia, de rerum vicibus & inconstantia casuum humanorum, si cuncta secundè felicitérque succederent. Ordo est immutabilis: vt qui radicibus eruendis inuigilant, dulci modo glycyrrhizæ, amaræ modo Zizaniæ occurrant. Væ tamen Parizæ. Non diù securus dormitabit. Sumetur propediem de tanto facinore vindicta. Gubernator ipse cum delectis militibus tercentum quinquaginta ad id proficiscebatur: in aduersam décidit valetudinem. Eius loco progreditur cum potestate prætoria, peritus legibus Licentiatus Gaspar Spinosa, iuris dicundi Darienensibus prætor. Eodē tempore ad insulam Ditem appellatam itum est, ad exigendū margaritarum regulo impositum tributum. Quæ succedent colligemus. Tentarunt alij duo transsinuales incolas. Per angulum sinus & Dabaibæ fluminis fauces tranans Franciscus Bezerra, cum duobus aliis primariis, & viris centum quinquaginta, optimè instructis, ad bellum Caribibus in ipsa Caribana gerendum, versus vicum Turufy: de quo alias in aduētu Fogedæ mentionem fecimus. Instrumenta etiam bellica secum tulerunt. Tormenta quæ ouo grandiorem iactant plumbeum globum tria, sagittarios quadraginta, sclopetarios etiam quinque ac viginti, vt eminus queant Caribes ferire, qui venenatis certant sagittis. De hoc nulla mentio, quò se applicuerit, aut quid egerit: verebantur in Dariene, nè sinistris auibus iactaretur, quandò naues discesserunt in Hispaniam venturæ. Alius autem dux, nomine Valleius, anteriorem sinus partem prœhendit: sed alia via traiecit à Bezerra. Initium nanque hic sumpsit Caribanæ, ille calcem. Valleius regressus est: sed è septuaginta viris, quos transuexerat, octo & quadraginta reliquit trucidatos in Caribium potestate. Hæc aiunt qui ex Dariene referunt: hæc refero. Pridiè Idus Octobris huius anni,

M. D. XVI. Rodericus Colmenares, de quo suprà, & Franciscus quidã dictus Delapuente, ad me venerunt. Francisc⁹ hic vnus fuit è decurionibus hui⁹ caterua, cuius erat dux Gõsalus Badaiocius, qui è manibus Parizæ reguli profligatoris euasit. Colmenares autem è Dariene post profligatorum aduentũ ad nos venturus, discessit. Ambo referunt, hic audiuisse, ille vidisse, varias esse in australi pelago insulas, sancti Michaëlis & Ditis insulæ sinui occidentales: in quarum pluribus aiunt, procreari colíque arbores, fruct⁹ gignentes eosdem quos terra Collocutea gignit. Est Collocuti vnà & Cochini, & Camemori, Portugallensium nũdinaria aromatũ terra. Indè arguũt non longè abesse aromatum omnium initialem tellurem. A littore illo nostro australi, plures ex ijs qui tractus eos percurrerunt, dari solum veniam postulant: impensa propria sese offerunt nauigia paraturos, & prouinciam quæritandæ illius regionis aromatariæ amplexuros. Nauigia debere fabricari, pararíque in ipso sancti Michaëlis sinu censent. Non autem per sancti Augustini cuspidem capiendam esse viam, quæ longa nimis est ac difficilis, & mille discriminibus plena: protendíque dicitur ad gradus antarcticos quadraginta amplius. Dicit idem Franciscus, laborum & periculorum cum Gonsalo particeps, se reperisse, inter discurrendum terras illas, ceruorum & aprorum agmina: cepisséque multos, incolis demonstrantibus artem, per fossas egesta terra in eorum semitis factas, & ramis coopertas. Hoc nanque modo incolæ feras quadrupedes fallunt. Volucres autem, vti apud nostros fit, palumbes putà, cum domestico mitíque palumbe inter arbores volitante, ligato tamẽ: ad quẽ venientes sui generis volucres, sagittis transfiguntur. Aut in purgato arboribus solo cum retibus, esca in gyrum sparsa, palumbe mediũ tenente. De psittacis alijsq́; volucribus idẽ. Sed psittacos aiunt adeò simplices esse, vt ad crocitantem psittacũ ex arbore, in cuius ramis auceps latet, multitudo ingens conuolitet, capíque facilè patiuntur: Nil enim viso

aucupe terrentur, ſed vt laqueo trahantur ad collum coniecto expectant: neque aufugiunt alij, vno raptato, & in mantica qua præcinctus eſt venator, ipſis cernentibus, repoſito. Aliud eſt aucupij genus inauditum hactenus, & narratu facetiſſimum. Apud inſulares, Hiſpaniolæ præſertim, diximus varios eſſe lacus, variáſque ſtagnantes lacunas vadoſas. Per vadoſa ſtagna ſolet aquaticarum auium multitudo vagari, quia herbas in fundo gignant, & ex ea humente limoſitate piſciculi, milléque ranarum, culicum & inſectorum genera procreentur: ſolis calore ad ima ad corruptionis & generationis opificium, ex artificis fabricatoris prouidentia, facilè ſubmeante. Volucrum autem per eas ſtagnantes aquas natantium diuerſa ſunt genera: anates, anſeres, cygni, fulicæ, gauiæ, mergi, & multæ huiuſcemodi. Diximus & in hortis arborem coli, magnarum cucurbitarum altricem. Ex cucurbitis igitur illis per vadoſa proiiciunt pleraſque benè clauſas, nè admiſſa per rimulam, aut foramem aqua trahat illas in profundum. Perpetuò vagantes cucurbitæ, tutas reddunt volucres. It ergò auceps magna cucurbita, vti galea, iuxta oculos pertuſata, contectus faciem, laruatus, & tenus mento ſtagnum ingreditur (fluminibus enim aſſueti à cunabulis, minimè recuſant in aquis verſari.) E cucurbitis natātibus putāt volucres vnam eſſe eam, quæ inſidiantem incolam cooperit. Paſſim ad volucrum natantiū agmen proficiſcitur auceps. Cucurbitarum palpitationem capite imitando, vnduláſque vento agitatas ſectando, proximè ad volucres tendit. Exerta ſenſim dextera, volucrem incautam cæco raptu præhendit pedibus, & demerſam ſubtrahit in mānticam ad id paratam. Cæteræ volucres, ſua ſpōte ſubnatâſſe comitē arbitratæ, quærēdi victū cauſa, vti ſolēt omnes, nil ſolicitæ ſuū iter proſequūtur, in aucupis & ipſæ inſidias cadūt. Aucupia, venatúſque ſunt à me tractā in mediū, quo ſtomachū hiſce mitibꝰ ſermonibꝰ ſedemus, à concepto cruentarum narra-

Aucupii genus rarum.

tionum horrore. Pauca iterum de nouis opinionibus fluentis ad Occidentem pelagi Pariensis. De modo etiam colligendi aurum in aurifodina Dariensis, à me recenter intellecto. Et his duabus minimè tragicis rebus, dicemus tuæ Beatitudini felicißimum vale. Andreas ille nauclerus & Ouiedus, de quibus supra, me domi conuenerunt in oppido Matrito, quod putamus Mantuam esse Carpetanam. De torrente, me adstante, orta est inter eos contentio. Quod se inuicem perpetuo nexu amplectantur hæ terræ Castellanæ cum septentrionalibus, à tergo Cubæ atque aliarum insularum, Hispaniolæ Cubæque septentrionalium per Occidentem, ambo assentiuntur: sed aliter hic, ille aliter, contendunt accidere. Nauclerus impetum illum aquarum in gremium terræ putati continentis, quæ sic vergit, vti diximus, ad septentrionem, vult recipi: vt obiectu illo incuruato viam capiant in gyrum, & circumagantur ad Cubæ aliarúmque insularum latus septentrionale, quæ cancri circulo excluduntur. vbi amplitudo maris venientes ex angustis gurgitibus aquas absorbeat, petulantémque cursum illum reprimat: est nanque spatiosum illic mare ac multicapax. Aquaticis incilibus, quas dicit vulgus canales molarum, rē ego comparo. Si ex incili angusto in amplum lacum furentes eas aquas recipi contingat, repentè sparguntur aquæ, & impetu sedato, languescunt: quæ paulò prius suo strepitu velle obuia cuncta prostrare videbantur: nec iam, quà fluant, intelligitur. Interrogatus à me Almirantus ipse Diecus Colonus, primi repertoris Coloni hæres filius, qui iam quater ea maria iens ac rediens verterat, quid senserit inter nauigandum, ait: difficilē esse reditum, si via capiatur ea qua itur. Sed quandò vastum capitur prius mare septentrionem versus, quam prora in Hispaniam dirigatur, sensisse se, inquit, plerunque parumper trudi ab aquis. Sed putat accidere id ex fluxu & refluxu ordinario, non autem ea circumactione iuuari. Apertam esse

terram & portam inter vtranque putat, qua torrentes exeāt ad Occidentem: quô liceat impulsu cælorum ciacumagi per vniuersum. Ouiedus verò de clausura idem refert, quod Andreas nauclerus: sed neque concutere terræ occidentalis gibbum, & impelli ad vastum pelagus, arguit: immò ait se diligentissimè animaduertisse, quod ab alto mari currāt ad Occidentem: proximè verò ad littora velificando cum paruis nauigiis, asseuerat, cursum dirigere ad Orientem: ità quòd eodē in loco versis concurrant vestigiis. Hoc in fluminibus accidere sæpè videmus: ex obiectu nanque riparum vortices plerunque insurgunt varij. Vndè si palea aut lignorum genus aliquod proijciatur in fluuium similibus in locis, quæ medio labuntur alueo, secundo feruntur flumine: quæ verò in obliquos incidunt sinus, & riparum incuruos margines, aduerso videmus alueo vehi, donèc obuia fiant, quæ sic vagantur, integro lapsui fluminis. Quæ dant, accipimus: scribimus, quæ varij variè sentiunt. Certam rationem tunc amplectemur, quandò certam habuerimus. Opinionibus inhærendum est, dum veniat statuta dies, punctúsque polaris, qui secretum hoc naturæ patefaciat. Satis superque de torrente pelago. De aurifodinis Darienensium pauca nos ab hoc labore liberent. Ab Dariene nouem diximus distare milliaria collium latera, planitiesque aridas, in quibus aurum tum in sicco, tum in fluuiorum alueis ac ripis, legitur. Cuíque auri legendi cupido, ex ordinario statuto, quadrata per metatores mensura duodecim passuum destinatur, ad eligentis arbitriū: in solo tamen haudquaquàm occupato, vel iam à sociis deserto. Sic electa terræ parte, veluti in templum ab auguribus lituo designatum, sua in eam includit mancipia. Horum enim opera diximus vti Christianos ad culturam & aurum quæritandum. Partem eam retinet, quoad libuerit. Si vero exigui aut minuti auri argumenta cernit, alteram sibi aßignari

duodecim passuum mensuram postulat. Prima derelicta vertitur in commune. Hunc ordinem in auro legendo Darienenses seruant: putà & alios, sed non cæteros interrogaui. Compertum est, aliquandò duodecim passus illos, octoginta Castellanorum summam electori suo tribuisse. Sic viuitur in sacra fame auri explenda: sed quo plus effodiendo manus replent, eo auidiores efficiuntur. Quo plura foco ligna iniiciunt, eo furiosius concrepat ignis. Sitim existimans turgidus hydrops extingui potando posse, in ardentiorem sitim demergitur. Multa prætereo, quæ ad tempus citabo, si tuæ Sanctitatis cælorum pondere pressis auribus, & in supremo humani generis fastigio positis, casura in gratiam cognouero: neque enim ego hæc animi causa collegi, sed tuæ Beatitudinis obseruantia hos amplecti labores me impulit. Felices multos annos fabricatoris vniuersi prouidentia beatitudini tuæ impartiatur.



AD LEONEM DECIMVM PONTIFICEM MAXIMVM QVARTA DEcas eiuſdem Petri Martyris Anglerij Mediolanenſis, nunc primum & nata & excuſſa.

BEATISSIME Pater Aegidius Viterbienſis Auguſtinianæ profeßionis Eremitarum & ſacri ordinis Cardinei lucidum exemplar, legatione ſua funct⁹ à latere, diſcedẽs ex Hiſpania, Sanctitatis tuæ, ſuóque nomine imperatũ mihi reliquit, vt quæ prægnans Oceanus pareret, poſt tres meas Decades iam pridẽ ad Sanctitatem tuã miſſas, conſcriberẽ, quæ initium ſumpſerunt ab anno milleſimo quadringẽteſimo nonageſimo ſecũdo: deſierunt autẽ Anno. M. D. XVI. Diſtuli quia vana referebãtur multa, digna memoratu pauca. In noſtro rerũ Indicarũ Regio ſenatu grauidæ ambagib⁹ epiſtolæ ab ineptis quibuſque miſſæ quotidie legebãtur, è quibus ſucci parũ colligebam⁹. Digitum de reperta manu ſe inueniſſe hic iactitabat, articulũ de digito ille, multóque ampulloſius ac plenis buccis magna ſe detexiſſe, ac noua ſcribebãt, qui primi fuerũt vniuerſi eius aperiendi autores. Formicã imitati, quæ ſe putat graui pondere premi, quãdo ſuffuratum ex area tritici granũ, alieno labore ſatũ, de magno aceruo ad ſuffoſſũ geſtat cuniculum.

Voco digitum de reperta manu, & grana tritici, quascunque insulas, Hispaniolæ, Cubæque, ac putato continenti adiacentes alit Oceanus. Sunt nanque à tergo, & à fronte, ab vtroque etiam latere, veluti septæ pullis gallinæ, insulis innumeris circunuallatæ. Dandum est tamen cuique sui premium laboris. Ad manus Sanctitatis tuæ igitur trahamus, vtcupidas eius aures demulceant, quæ de Iucatana Cozumelláque insulis, & Hacolucana vasta tellure, nondum an insula sit, an continēti annexa, bene cognita. Referantur digna mihi visa memoratu, prætermißis ambagibus. Breuibus dehinc aperiam quæ in credito continenti subsequenti tenore successerunt. Claudet opus Hispaniola.

CAPVT PRIMVM.


EX SVPERIORVM Decadum libellis, Calcographorū opera in vulgus emißis licet colligere, fugitiuos quosdam ad vicina Darienis appulsos, nostrorum libellos admirantes dixisse terras aliquando incoluisse, quarum habitatores instrumentis vterentur eiusmodi, ac politice legibus parentes viuerent: atriaque, ac templa lapidibus constructa magnificè, plateas etiā, stratasque vias ordine composito vbi negocientur, haberent. Eas nunc terras nostri reperêre. Qui autores fuerint, quomodo res processerit, attente audiat. B.T. quandoquidem tuo throno subdenda in lucem prodeunt hæc omnia. De insula Cuba, quam Diecus Velasquez progubernator Coloni Almiranti nomine Fernandinam appellauit, Hispaniolæ Occidentali, Septentrionaliter tamen adeo, vt cancri Tropicus mediam secet Cubam, Hispaniola verò à Tropico distet ad Aequatorem gradus aliquot, pauca tetigimus hactenus. In hac insula

Cuba,

Cuba, sex iam sunt oppida erecta. Primarium à diuo Iacobo Hispaniarum patrono nomen sumit. Natiuum est ibi aurum, & montanum, & fluuiale. Auro suffodiendo inuigilatur. 1517.
Quo anno libelli mei portas clauserunt, tres Hispani viri ex antiquioribus Cubæ ciuibus, Franciscus Fernandez Cordubensis, Lupus Ochoa Caizedus, & Christophorus Morantes, nouas quæ. ere terras instituerunt: pro rege vero Bernardinus Ignigue z Calciatensis in magistratu computatorio, & vnius è nauibus Dux. Est inquietus, & magna semper moliens Hispanorum animus. Tria impensis propriis instruunt eius generis nauigia, quas Carauelas Hispanus appellat, ex angulo Cubæ Occidentali, qui Sancti Antonii nomen adeptus est, altum capiunt, cum nauclero Antonio Alamino, & bellatoribus centum decem: est is angulus ad reficiēdas naues, & lignationi, & aquationi aptißimus. Inter Zephirum, & Austrum, quem ventum suduestum Hispani appellant, sex dierum intercapedine terram vident. Quo tempore sex tantum, & sexaginta leucas, se percurrisse aiunt. Stabant quippe in anchoris vbicumque sol cadens illos deprehendebat, ne per ignotum pelagus errantes, scopulis illiderentur, aut arenosis vadis impliciti mergerentur. In terram incidunt amplissimam, descendunt, hospitaliter suscipiuntur ab incolis. Quod sit vniuersæ prouinciæ nomen, per nutus, & signa interrogant nostri. Iucatan responderunt, quod eorum lingua sonat, non vos intelligo. Nostri putarunt Iucatan esse prouinciæ nomen. Inde ab hoc euentu immeditato restitit, restabitque perpetua Iucatanæ hæc appellatio. Initium tamen eius vocant Eccampi. Oppidum in littore situm adeunt, ingens adeo, vt Cairum illud dixerint, à Cairo Aegypti regia. Turritas domos, templa magnifica, vias ordine stratas, ac plateas, & nundinaria ibi agi commercia repererunt. Lapideæ sunt domus, aut ex lateribus, & calce, arte mira confectæ. Ad prima domorū

Gomara. lib 3. cap. 2.

Quare appellata sit Iucatan.

T

impluuia, aut primas habitationes, per decem, aut duodecim gradus ascenditur. Non tegulis tamen, sed culmis aut herbarum fruticibus coopertæ sunt. Mutuis se muneribus afficiunt. Bullas aureas, & ex auro fabrefacta monilia, perpulchre formata Barbari nostris, nostri autem illis sericeas, ac laneas vestes, vitreos etiam calculos, & auricalchea tintinabula, munera illis grata, quia peregrina, sunt impartiti. Flocci faciebant nostra, quoniam lucidiora ipsi ex quibusdam lapidibus assequantur. Vestita est hæc gens, non lana quia pecudes non habent, sed Gosampio mille modis, & variis fucato coloribus. Fœminæ à cingulo ad talum induuntur, velaminibusque diuersis caput & pectora tegunt, & pudice cauent, ne crus, aut pes illis visatur. Templa frequentant, ad quæ primarii vias ex propriis domibus sternunt lapidibus. Idolorum culturæ indulgent. Sunt, sed non omnes, recutiti. Legibus viuunt, & summa fide commerciantur, permutando sine pecuniis. Cruces viderunt. Vnde id habeant interrogati per interpretes, dicunt aliqui: transiisse virum quendam formosissimum per eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. Alij obiisse lucidiorem sole hominem quendam in eo opificio. Certi nihil habetur.

Vestitus Iucatanorum.

CAPVT SECVNDVM.

ALIQVOT ibi commorati dies, iam videbantur incolis esse molesti: nullius enim hospitis est grata mora longa. Commeatum capiunt, recta tendunt ad Occidentem. Per prouincias Comi & Maiã dictas ab accolis, præterlapsi sunt, aquã tãtum, & ligna ex itinere capiẽtes. Barbari littorales nostras admirabãtur moles mari natãtes, ad quas visendas certatim & fœminæ cum infantibus permixtæ viris, passim prodibant. Nostri ex mari, non sine stupore, illorum ædificia, sed præcipuè tẽpla littoribus proxima, in modum arciũ erecta, prospectabant. Iacere tandẽ

anchoras placuit ad leucas centum decem, in prouincia, cui nomen est Campechium, cuius oppidum est domorum trium millium. Amicè se inuicem amplectuntur, nauticam nostrorum artem, nauigiorum magnitudinem, vela, amplustre, resque cæteras Barbari attoniti admirabātur. Vbi excussorū tormētorū tonitrua, fumosúmque ac sulphureū odorem ignitum senserunt, à cœlo mitti fulgura arbitrabantur. In atrio regulus nostros benigne, magnificéque hospitatus est. Post sumptas more illorum epulas, in quibus & pauones habent, & altilia, volucres etiam montanas, nemorales, & aquaticas, perdices, coturnices, turtures, anates, anseres, & quadrupedes agrestes, vt apros, ceruos, ac lepores: præter hæc lupos, leones, tigrydes, vulpes, ducti sunt nostri cum regio comitatu ad latū cōpitum in oppidi latere situm. Ostendunt nostris quadratum quattuor graduum erectum, marmoreum, partim tenaci ex bitumine, ac lapillis partim, pulpitum, cui hominis inhærebat simulachrum superscalptum, adherentibus illi duobus quadrupedibus ignotis, qui marmorei hominis vterum, vti canes rabidi, videbantur velle dilacerare. Serpens bitumine, ac lapillis compacta, pedes longa septem & quadraginta, crassa vti bos magnus, marmoreum leonem vorans, recenti cruore irrorata, simulachro astabat, proximi erant solo affixi tres tigni, quos tres alij lapidibus suffulti transuersabant. Eo in loco reos puniunt, in cuius rei argumentum stratas viderunt innumeras cruore illitas, & confractas sagittas, & mortuorū ossa in vicinā cortē proiecta. Domus & hic sunt ex calce & lapidibus ædificatæ. Regulo Lazari nomē indiderūt, quia Lazari die terrā captarūt. Abeūt ad leucas inde, ad Occidentē semper, quindecim. Prouinciam captant nomine Aguanil. Eius oppidum Moscobo dicitur, regulus Chiapoton vltima acuta. Hostiliter nostros inspectat hic regulus, insidias stratagemate nostris instruit. Petentibus aquam,

Campechium prouincia.

trans collem proximum fontem esse innuunt, qua iter erat per angustas semitas. Ex mutatis in fronte coloribus, & arcuum, ac telorum gestamine, fraudem sensere. Tendere vltra nostri recusant. Pallantes, & imparatos adoriuntur nostros Barbari, mille amplius sternunt nostros Barbari. Fugientes, cœno in littore, erat ibi mare cœnosum, implicantur, duos & viginti sagittis transuerberatos perimunt, reliquos maiori ex parte vulnerant. Tribus & triginta, inquiunt, claßis ipsum prætorem Franciscum Fernandez fuisse vulneribus percussum, fere nullus euasit incolumis. Si ad monstratos colles processissent, perempti fuissent ad vnum. Mœsti ergo redeunt, qui superfuere, ad Fernandinam Insulam, vnde venerant, ac cum fletu & gemitibus ob relictos & præsentes vulneratos à sociis recipiuntur.

CAPVT TERTIVM.



IS intellectis Cubæ Fernandinæ Progubernator Diecus Velasquez, quatuor carauelarum classem instruit, cum hominibus circiter trecentis. Huic claßiculæ præfecit nepotem suum Ioannem Grisaluam, additis ei suppretoribus Alfonso Auila, Francisco Montegrio, & Commendatorio Petro Aluarado, nauclero autem eodem Antonio Alamino prioris claßiculæ rectore. Idem iter capiunt, sed Australius aliquando. Ad leucas forte septuaginta, turrim ex alto vident eminentem, terram minimè. Turri duce insulam prehendunt nomine Cosumel, a qua suaues se olfecisse odores spatio trium leucarum, vento inde proflante, inquiunt. Ambitu reperiunt esse leucarum quinque, & quadraginta, plana est, gleba fortunatißima, aurum habet, sed peregrinum, & aliunde allatum. Melle a-

1518. Gomara lib. 2. cap. 16. Cozumel insula. alias Acuzamil.

bundat, & fructibus, ac hortensibus, volucribus etiam & quadrupedibus. Est horum incolarum, ut breuibus absoluam, ea Oeconomica, & Politica, quæ de Iucatana. Domus, templa, viæ, commercia, virorum ac mulierum gestamina, ex Gosampio, dicit vulgus Italum, Bombasium, Hispanum, Algodon, non lanea vel sericea tela. Domus lateritiæ aut lapideæ, culmo cōtectæ, vbi sit lapidū penuria, sed vbi lapidicinarū copia, laminis lapideis conteguntur. Marmoreos postes, veluti apud nos, plæræque domus habent. Turres ibi vetustas, dirutarū etiā vestigia redolētia etiā antiquitatē repererunt: vnā præ cæteris graduū octodecim: vti ad illustria tēpla conscenditur. Nostras admirati sunt naues, & nauticam artem. Noluissent hospites primo congressu, benigne postmodum eos admiserunt. Turrim conscendunt duce primario, quem sacerdotem credunt, vexillum in cacumine sistunt. Regi Castellæ imperium adiudicant. Sanctæ Crucis nomen insulæ assignant, quia Nonarum Maij quinta solenni sunt insulam ingressi. Cozumellam vero inquiunt appellari à regulo Cozumelao, cuius maiores primos ipse iactat fuisse huius insulæ habitatores. Cameras in turri reperere statuis tum marmoreis, tum fictilibus vrsorum simulachris immixtas, quos vnisono elato cantu inuocant, suffumigiisque ac suauibus adolent odoribus, vti penates eas colunt. Res ibi diuina celebrata est. Sunt recutiti. Regulus hic eleganter ex Gosampio velamine indutus, pedis vnius digitos abscissos habebat. Natanti piscis vorax, qui dicitur Tubero, vno morsu digitos raptauerat. Laute, copioséque nostros depastus est. Post triduum abeunt, rectà tendunt ad Occidentem, vident à longe montes. Iucatana erat terra iam nota, quam à Cozumella quinque maris leucarum spatium dirimit. Iucatanæ latus Meridionale capiunt, putato continenti proximum. Circumeunt illam, nequeunt vniuersam ob frequentes scopulos, & arenosa vada. Ad iam notum latus Boreale Alaminus

Vocant insulam nomine sanctæ crucis.

Nauclerus naues reducit. Ad idem oppidum Campechium, & Lazarum regulum, ad quem priores anno superiore, proficiscuntur: placide suscepti, ad oppidum inuitantur. Inuitasse pœnituit. Ad lapidis iactum ab oppido sistere nostros iubent accolæ, abire imperant. Aquandi copiam petunt priusquam discedant nostri. Puteum à tergo relictum monstrant, licere inde aquam haurire, aliunde non inquiunt. Pernoctatum est in vicino puteo campo. Diffidunt Barbari, armatorum milia tria circiter castra locant non longe à nostris: pars vtraque noctem duxit insomnem, illi nostrorum eruptionem in pagũ, nostri barbarorum impetum repentinum veriti, tubarũ clangoribus, & tympanorum reboatu somnolentos excitabant. Vbi illuxit accedunt Barbari, appellant interpretes Cubenses nostros, quorum idioma si non idem, consanguineum tamen. Face thurea inter vtrunque agmen accensa minantur interniciem, ni abire prius properauerint, quàm fax extinguatur, nolle se hospites protestantur. Fax extinguitur, aut consumitur, deuenitur ad manus, perimunt è nostris vnum, quem sagitta male scutatum reperit, multi feriuntur: ad tormenta quæ apud puteum erant locata, se recipiunt nostri, vt inde globos iaculentur in Barbaros. Retrocedunt ad oppidum Accolæ. Milites feruenti animo cupiebant illos persequi, vetuit Grisalua prætor. Inde procedunt ad Iucatanæ calcem vltimũ, ducentarum reperiunt esse leucarum amplius productam ab Oriente in Occidentem. Portum petunt egregium, cui nomẽ dedere portus Desideratus. Ad terras deinde transfretant alias, & terram prehendunt Iucatanæ vicinam ab Occidente. Dubitant sit insula, necne. Continenti esse annexam suspicantur. Est ibi sinus quem arbitrantur ambitum vtraque terra. Nil certi. Collua alias Oloa, hæc tellus ab Accolis appellatur. Flumen ingens ibi repertum, dat suo furore in pelagus potabiles aquas spatio duarum leucarum. A prætore Grisal-

Bellum inferunt nostris Barbari.

Portus desideratus.

nam appellarunt flumen. Admirati nauium moles velificantes barbari accolæ, vtramque fluminis ripam ad sex milia bellatorum scutis auratis, arcubus, & sagittis, ensibus etiam ligneis latis, & hastis adustis armati obsident, prohibituri descensum, & littus tutaturi. Stat ea nocte pars vtraque in alis. Prima luce ecce Canoas circiter centum, armatis plenas. Diximus aliâs, Canoas esse lembos vniligneos. Hic Cubenses interpretes, & hi sat commode conueniebant in lingua. Pax oblata per interpretes admittitur. Accedit vna Canoa, reliquæ sistunt. Canoæ rector, quid nostri quæritent per alienas terras percunctatur. Aurum cupere respondetur, permutatione tamen, non gratuito, aut violenter. Redit Canoa Regulo, quid actum sit referunt nautæ. Accersitus Regulus venit libens. O narratu dignum pater Sancte, Cubicularium ad se vocat Regulus, Cubicularia iubet afferri suppellectilia, vt prætorem nostrum Grisaluam ornet imperat: à calceo incipit aureo illum induere, ocreas, thoracem, & quicquid armorum ex ferro, aut chalibe solet cataphractus prodituris in pugnam sibi sumere, vniuersum id ex auro miris modis formato Regulus Grisaluæ impartitur. Compensat Grisalua sericeis, lineisque, ac laneis vestibus, rebusque aliis nostratibus. In huius Iucatanæ initio, quando ex Cozumella traiiciebant, in Canoam piscatoriam inciderant. Nouem inerant hamis aureis piscantes accolæ. Inermes capiunt omnes nil timentes. Ex illis vnum agnouit hic Regulus, se tantundem auri missurum in crastinum pollicetur ad Grisaluam, quanti ponderis vir ille reperiretur: Negauit redemptionem Grisalua sociis inuitis, illum retinuit, ac discessit, quid vltra iaceat recogniturus.

Apostrophe.

CAPVT QVARTVM.



De crudeli immolatione quam Barbari Diis suis exhibent

AD LEVCAS cētum circiter, ad Zephirum semper, sinum ingentem reperiunt, in quo tres paruæ insulæ sitæ erant: adeunt grandiorem. Proh crudele facinus, Pater Sancte, Proh truculentas hominum mentes, stomacho claudat portas Beatitudo tua ne perturbetur. Pueros puellasque ibi suis immolant diis. Sūt recutiti. Simulacra, quæ colunt, sunt marmorea quædam, alia fictilia. Marmoreus inter imagines extat leo, pertusa ceruice, in quem miserorū sanguinem proiiciunt, vt inde fluat in lacunam marmoream. Qua cerimonia miserorum sanguine litent referamus. Non iugulis sed pectoribus apertis, ex infausta victima cor eruunt, ex cuius calido cruore idolorum labia illinut, reliquum perfluere patiuntur in lacunam, inde inapertum cor, & exta comburunt, gratum diis fumum illum fore arbitrantes. Ex idolis vnum est virile, quod inflexo capite lacunam sanguinariam superinspectat, tanquam acceptans hostiarum sacrificium: torulos brachiorum, fœmorum ac surarum pulpas edunt, si precipuè hostem bello victum sacrificauerint. Riuum concreti sanguinis, veluti è carnificina exeuntem repererunt. Ex insulis vicinis ad id facinoris miseros transportant. Capita, cadaueráque truncata ibi viderunt innumera, integra etiam pleraque velaminibus contecta. Vniuersi tractus illi, auro gemmisque abundant. Pererrans insulam vnus è nostris in duos incidit semifossos vrceos alabastrinos, pulchre laboratos, lapillis diuersorum colorum plenos. Aiunt lapillum se reperisse, qui missus est ad gubernatotem, valoris duorum milium castellanorum auri. Sacrificij hanc insulam appellarunt. Extāt & in huius Coluacanæ lateribus aliæ sitæ insulæ, in quibus solæ milieres habitant, sine virorum commercio. Putant aliqui Amazonico viuere more. Qui prudentius rem ponderant, cano-

Insulæ a solis mulieribus inhabitæ

bitas esse virgines secessu gaudentes, vti apud nos, & multis in locis apud Veteres, vestales, aut Bonæ deæ sacræ. Certis anni temporibus traijciunt viri ad eas, non coitus causa, sed moti pietate cāpos illis, & hortos cōposituri, quo cultu queant vitā ducere. Fama tamen viget esse alias fœminarum sedes, insulas, sed corruptarum, quæ mamillam à teneris scindunt, quo agilius queant sagittariam artem exercere, ad easque traijcere coitus causa viros, nec retinere mares. Fabulam puto. Ad littus ergo Coluacanæ terræ se applicant nostri, placide negociantur. Aureum Regulus cacabum, armillas, torques, bullas, multa præterea diuersorum generum monilia nostris est impartitus. Nostri contra nostratibus illum alacrem reddunt. Figere hic pedem, & Coloniam deducere socij cupiebant. Prohibuit prætor. Desperatis animis vixerunt eo tempore commilitones in prætorem. Turritis constat ædificiis hæc prouincia, oppidis amplissimis quindecim, & alicubi viginti milium domorum se oppida vidisse testantur. Sunt non vbique connexæ domus, hortis, & cortibus intersecantibus. Multæ distant à seipsis, plateas habent mœnibus circunseptas, in quibus fora, nundinasque exercent. Vias stratas, furnos, fornacesque, calcem, ac lateres coctos habent. Figulos, lignariosque fabros, & artifices, mæchanicarumque artium omnium opifices assequuntur egregios. Tauascus hic regulus dicitur. Regio Palmaria. Eius oppidum Regium nomine Pontenchianum, domorum aiunt esse quindecim milium. Quando nouos hospites suscipiunt, qui pacem in illis terris admittunt, in amicitiæ fœdus, sibi ipsis nouacula, vel gladiolo lapideo, sanguinis parumper ex lingua, vel manu, vel lacerto, vel alia corporis parte quauis emungunt, hospite inspectante. Sacerdotes viuunt cœlibes & incorrupti. Quid sit coire nemo intelligit, donec nubat. Nephas, & morte piandum est aliter accidere. In fœminis mira castitas. Licet vnicuique potenti posteaquam

Applicant se ad littus Coluacanæ terræ.

Palmaria Regio.

Mira gentis huius consuetudo.

vnam duxerit vxorem pellices habere quotquot libuerit. Sed nupta, adulterio deprehensa venditur à marito, primario tamen principi, à quo licet mulieris propinquis illam redimere. Nemini non coniugato fas est coniugato iungi in mensa, vel eadem lance vesci, aut poculo bibere, parémque coniugato se habere. Augusto, Septembríque mense, quinque ac triginta dies abstinent, non à carnibus modo, quas assequuntur optimas ex alitibus, & venatu, sed neque piscibus vescuntur, aut re aliqua, quæ sanguinem nutriat. Hortẽsibus ac leguminibus illos dies peragunt. Aliquot ibi dies lautos egêre. Abeunt, littus idem secuti. Regulum conueniunt alium, cui nomen dedere Ouandus. Regulus vbi nostros aurum cupere intellexit, laminas conflatas attulit aureas. Se copiam eius metalli desiderare Prætor significauit per interpretes. Postero die aureum hominis simulachrum Pygmeum, flabellúmque aureum & auream vario artificio laruam, iubet afferri, calculorumque serta. Pectoralium etiam bullarum copiam, & diuersarum generum ornamenta, variorumque colorum gemmas, nostris est impartitus. Dapibus quoquè lautissimis, persapidè conditis, saturauit. Inuiatos in littore nostros, properanti cursu, frondentibus ramis ex Reguli mandato, erectis illico scenis, contegebant. Inertes in ramis ferendis familiares, Regulus percutiebat sceptro, quod manu gestabat. Serui demisso vultu quæcunque verbera patienter sustinebant. Interrogatus Regulus vbinã auri tanta colligeretur copia, proximos digito monstrauit montes, ac flumina ab illis decurrentia: sunt hi fluminibus, ac lacubus adeo assueti, vt idem illis sit natare, quod terra incedere. Merguntur fluminibus, quando aurũ placet colligere, manusque arena efferunt plenas. De manu in manũ demũ arenam cribrantes, aurum deligunt. Spacio duarum horarum dicuntur auro implere cannulam digitalẽ. De suffumigiis, & odoribus harum terrarum, dulcia, molliaque

Regulus Ouand⁹.

Quomodo colligãt aurum ex fluminibus.

verba dici quirent, quæ pretermittimus, quia magis ad effœminandos animos, quam ad bonos mores faciunt. Puerum annorum duodecim oblatum à Regulo recusauit Prætor, puellam admisit pulchre ornatam, sociis inuitis puerum abiecit. Ex lapillis ab hoc Regulo habitis, vnũ scribunt esse valoris duorũ milium castellanorum auri. Discedunt iam tandem ab hoc Regulo, auro, & gẽmis onusti. Grisalua Prætor vnam è carauelis ad patruum progubernatorem, destinat ad Fernandinam cum nunciis, & habitis auro, & gemmis. Littus interea sequuntur reliqui Occidentem versus. Vna vero nauis propius fere littus abradebat, qua Franciscus Montegius subprætor vehebatur, duæ per altum tendebant in prospectu. Admirati accolæ rem nouam miraculo adscribunt. Tredecim ad Montegium veniunt Canoæ, per interpretes colloquuntur, benigne se inuicem salutant, supplices orant accolæ vt descendant, magna pollicentur si adierint patriæ regulum. Precibus eorum negat Montegius se posse annuere, quod socii nimis à se distarent, contentos dimisit tamen, datis quibusdam muneribus nostratibus illis gratis. Celebre oppidũ aliud adeũt, ad littus applicant vnà tres carauelæ, prohibentur ab accolis descendere, scutis, arcubus, plenis pharetris, & ligneis latis ensibus atque hastis adustis armati ad nostros prodeunt, sagittas iaculantur eminus illi, tormentorum globulos in Barbaros nostri. Machinarum strepitum admirati, ac furore perterriti aufugiunt. Pacem optant. Iam commeatus nostris deficiebant, iam quassatæ longis itineribus erant naues. Ad insulam igitur Fernandinam, factis, & repertis contentus Grisalua, socij haudquaquam, reuertuntur.

Redeunt ad insulã Fernandinam.

CAPVT QVINTVM.



Sãcta Marina. Portus Carenas.

VNC diuertendum est parumper, & alia nauigatio pertractanda, dehinc ad has regrediemur nouas terras. Diecus idem Velasquez progubernator, eodem fere tempore, quo classem eam quattuor carauelarum parauerat, aliam destinauit vnius tantum carauelæ, Vno bergantino comite, cum viris quinque & quadraginta. Violentas in incolas hi manus exercuere. Idolorum sectatores sunt, & recutiti, sunt littori putati continentis proximi. Paruæ insulæ multæ vbertate soli, & fortunatissima gleba beatæ, Guanaxam, Guitillam, Guanaguam. Ex vna istarum trecentum rapiunt vtriusque sexus innocuos accolas. Huic insulæ posuere nomen Sancta Marina. In carauelam hos inculcant & ad Fernandinam tendunt. Bergantinum cum sociis quinque ac viginti relinquunt, qui dēt operam venationi hominum vlteriori. Portus quem prehendit carauela portus Carenas dicitur. Distat is ab oppido Cubæ insulæ primario diui Iacobi, leucas ducentum quadraginta. Est longissima hæc insula protracta ad Occidentem, quam Cancri tropicus intersecat. Miserorum vindictam quærente fortuna è captorum custodibus in terrā descendunt quidam, pauci remanent. Nacti occasionem recuperandæ libertatis insulares, raptatis nostrorum telis ruunt in custodes, perimunt sex, desiliunt in mare reliqui. Carauela potiuntur insulares, regere illam didicerant, redeunt in patriā, sed non primo in eandem insulam, in vicinam descendunt. Carauelam exurunt, tela secum asportant, lembis ad suos traiiciunt, relictos nostros cum bergantino adoriuntur, prosternant, perimunt partem. Qui euasere ad bergantinum infœlices profugiunt. Arbor est ingens littori proxima, Crucem in eius arboris cacumine locant, & superiorem arboris corticem, Hispanis litteris inscribunt: Vamos al Darien. Est

Dariē flu. uius.

Darien fluuius, in cuius ripa situm est oppidum putati continentis primarium, sancta Maria Antiqua dictum. Re intellecta gubernator in relictorum auxilium propere duas mittit naues, bellatoribus onustas, sero sapiunt, res acta erat. Crucem sequuti littus adeunt, litteras legunt arbori scalptas. Non ausi sunt fortunam tentare cum desperatis qui aufugerant, egregiè armatis præcipuè, recedunt. Ex insula proxima isti, tanquam lepores abducunt vtriusque sexus quingentos. Eadem causa arbitrati posse iuremerito id efficere, quia recutiti. Idem his euenit ad Fernandinam applicatis. Ex duabus nauibus vnam ferociter oppugnant, acriter dimicando custodes Hispanos perimunt partim, cæteri sese in mare deiiciunt, ad sociam, quæ proxima erat, carauelam adnatant. Vna omnes cum superstite carauela, raptatam adoriuntur. Dubia fuit quatuor horarum spacio victoria. Pro libertate recuperanda tam fœminæ, quam viri rabide Barbari propugnabāt, ne adeptam amitterent prædam Hispani acrius dimicabant. Vicerunt Hispani tandem, quia pertractandis armis essent agiliores. In mare sese proiiciunt victi Barbari. Lintribus recolliguntur, tum ferro perempti in certamine, tum aquis suffocati, circiter centum defuere. Ex Hispanis pauci. Ad diui Iacobi oppidum, & aurifodinas mittuntur. Ad aliam dehinc tendunt è vicinis insulis. Hæ sunt ibi, quam in nostro Ionio Simplegades, quarum congeriem vulgus Archipelagus appellat, frequentiores. Hostiliter suscipiuntur, quotquot è nauibus descenderunt, perempti, aut percussi sunt. Putant hanc esse insulam quam Ioannes quidam Pontius vnius classiculæ præfectus adiuit, & reliquit perturbatos, fugatus ab accolis, Floridamque appellarat: quia resurrectionis festo repererit eā insulam. Vocat Hispanus Pascha floridum resurrectionis diem. Sex & viginti inquiunt vidisse insulas, sed à Colono prius præterlapsas, tanquam Hispaniolæ, Cubæque filiolas & putati continentis cu-

Præliantur Hispani cum Barbaris.

Insula vocata à nostris Florida.

stodes, in quibus venientes Oceani procellæ illidãtur. Natiuum in plerisque granatum aurum repererunt. Monilia & hi varia gestant, & laruis vtuntur tum ligneis deauratis, tum aureis perpulchre formatis. Opifices sunt vbique argutissimi. Ex laruis vnã secum attulit Franciscus Chieregatus tuæ Beatitudinis nuncius apud nostrum Cæsarem in Hispania, ex ea colligere licebit quali polleant ingenio. Nouacularum structuram, mirum est videre. Ex lapidibus flauis quibusdam diaphonis vti christallinis eas formant, & eis radunt haud secus ac si ex egregio chalibe factæ essent. Sed quod spectatu dignum est, quando obtusam iam habent ex exercitatione aciem, non cote, non lapide alio, neque puluere illas acuunt, sed tantùm aqua impositæ temperantur. Sunt & apud hos instrumentorum, & elegantium rerum mille genera, quæ longum esset narrare, ac forte tuæ Beatitudini grauibus negotiis implicitæ, tædiosum. Redeo igitur vnde sum digressus, ad Cozumellam, Iucatanamque, ac Coluacanam, siue Olloam, terras dites, & Elisias, recenter repertas, à quibus diuerteram. Vbi quanti sint momenti tractus illi cognitum est.

Fernand⁹ Cortesius eligitur in classis prætorẽ.

CAPVT SEXTVM.

CVBAE insulæ noui habitatores Hispani, Progubernatore annuẽte, nouã classẽ instruũt, carauelarũ decẽ, cũ viris quingentis, additis, vti leuis armaturæ equis, tribus bergãtinis, quorũ opera vtũtur ad vadosa littora, frequẽtiũque scopulorũ discrimina tentãda. Equos nauibus imponũt sexdecim, bello aptos. Fernãdũ Cortesiũ qui tunc prætor erat vrbanus in Cuba, generalẽ deligunt claßis prætorẽ, subprætores Alfonsum Fernãdez Portucarreriũ, Franciscũ Mõtegiũ, Alfonsum Auilã, Aluaradũ Cõmendatariũ Spatensem, Ioannẽ Velasquez, Diecũ Ordaßũ. Ventũ sequũtur eundẽ ab angulo Cubæ vltimo ad Occidẽtẽ, quẽ primò Franciscus

Fernãdez, mox Ioãnes Grisalua, ad prospectum insulæ sacrificiorum, de qua mentionẽ feci, deueniunt. Insperatus acer turbo captare terram vetuit, versis illos vestigiis ad Cozumellã Iucatanæ Orientalem fera tẽpestas transportauit. Portum habet vnicũ hæc insula, cui nomen Sancti Ioannis portæ Latinæ indiderunt. Sex oppidis contenta est, & aqua puteali, aut cisternali. Fluminibus caret, & fontibus, quia plana. Quinque tantum, & quadraginta leucarum spatio ambitur. Aufugiunt incolæ ad siluas nemorosas, oppida deserunt præ timore, vacuas domos ingrediũtur nostri, patriis fruũtur cibis, domorũ ornatus variorũ colorũ, aulea, vestesque, ac lodices, Amaccas appellant, ex gosampio natiuo reperiunt. En pater Sãcte libros etiam innumeros: de his vna cum cæteris ad nouũ Cæsarem nostrũ aduectis, late infra dicemus. Perlustrant vniuersam nostri milites, compositis tamen ordinibus, ne qua vis ingrueret. Paucos reperiunt accolas, vna fœmina comite, per interpretẽ Cubẽsem, & Iucatanos tres aliâs abductos à primis Hispanis: fœminam hortantur, vt absentes accersat Regulos. Fœminæ familiares erant accolæ. Cum ea ducti à fœmina vocati per nuncios veniunt Reguli, fidem amicitiæ præstant, domos patrias alacres repetunt, multa ex raptis supellectilibus illis restituuntur. Idolatras, & recutitos esse repererunt. Pueros, puellasque Zemibus immolant. Sunt Zemes nocturnorũ lemurum simulacra, quæ colunt. Interrogati à me Alaminus nauclerus, & Franciscus Montegius, ac Portucarrerius nuncij, qui munera Regi attulerunt, vnde immolandos habeant pueros, puellasque: Ab insulis collateralibus venum duci, permutatione auri, & aliarum mercium responsum est. Nullibi nanque feralis monetæ dira solicitudo in tam vasto terrarum spacio habitatores premit. Idem aiunt de cæteris terris nuper repertis, è quibus duas no-

Zemes quid sint.

Canes nutriunt comedendos.

minant insulas Biam & Segestam. Puerorum inopia canibus litant. Canes nutriunt comedendos, vti cuniculos alit gens nostra. Non sunt latrabiles, vulpino rostro. Quos ad esum destinant, castrant. Ad sobolem procreandam fœminarum copiam, marium exiguum numerum, vti nostri pastores de ouibus, seruant. Pinguescunt castrati mirum in modum. Ab humanis sacrificiis illos nostri deterrent, nephas esse ostendūt. Legem petunt Barbari, quam sequantur. Esse deum vnicum, qui cœlum creauit, ac terram, bonorum ominum datorem, sub triplici persona vnicum in substantia facilè persuadet. Zemes perstringi patiuntur. Beatæ virginis imaginem depictam à nostris præbitam in sacro templi sui loco sistunt. Templum, ac eius pauimenta verrunt, ac abradunt. Crucem in ipsius Dei, atque hominis, ob salutem humani generis superimpositi, recordationem adorandam susceperunt. In templi culmine vnam ingentem ligneam locant. Conueniunt omnes. Deiparæ virginis, cum tremore reuerenti figuram suppliciter in templo venerantur. Per interpretes hi accolæ nostris significarunt, esse in Iucatana vicina insula Christianos captiuos septem, qui ad eam tempestatibus raptati, appulsi fuerant. Quinque tantum leucarum interuallo dirimitur ab Iucatana hæc insula. Quinquaginta viros cum duobus carauelis prætor Cortesius ad id negotij destinat. Perquisitores Cozumellanos tres secum adueunt, cum litteris à prætore ad Christianos si qui reperiātur. His præfecit Diecum Ordassum, virum bello egregium. Quod nobile facinus sint acturi, si aliquem adduxerint, ostendit. Rem ardenter commendat, ab illis nanque sperat se tractuum illorum omnium lucem habiturum. Abeunt bonis auibus. Sex dies eis aßignantur ad reditum, octo expectarunt. Cozumellanos nuncios, moram facientes in terra trucidatos, aut detētos, suspicati sunt nostri. Illis relictis redeunt ad prætorem in Cozumellā. Iā de discessu, desperatus de optatis Christianis

Recipiūt nostrā religionem Barbari.

& Cozumellanis relictis, ex Cozumella cogitabat prætor, oppoſita illum vis maris detinuit. Dum morantur, ecce ab Occidente Canoam inſpectant venientem ab Iucatana, Cozumellanos, & Chriſtianum è captiuis vnum aduehit. Septennio vitam egerat is apud Iucatanos, Hieronimum Aquilarē nomine dicunt, virum Aſtigitanum Vandalum. Quo gaudio ſe inuicem fuerint cōplexi caſus loquatur. Infœlicem ſortem ſuam, & ſociorum vnà amiſſorum, narrat. Auditur attentis mentibus. Nec diſſonum fore arbitror, nec tuæ Beatitudini moleſtum, ſi vti horum caſus acciderit, recenſuero. In ſuperioribus decadibus mentio facta eſt de nobili quodam Valdiuia, miſſo ab Darienenſibus, ſinus Vrabæ in putato continenti habitatoribus, ad Hiſpaniolam Almiranto Colono Proregi, & Senatui regio, ad quos pertinet putati continentis remedium, ſignificatum qua rerum ominum penuria vrgerentur. Siniſtris aſtris miſer Valdiuia prouinciam ſuſcepit: in Iamaicæ inſulæ, Hiſpaniolæque, Cubæque laterali à Meridie proſpectu, repentinus vortex in arenoſas detruſit Valdiuiā Syrtes. Ea voracia cæcaque vada, Hiſpani vocāt Viperas, & quadranter viperas, quia ibi multæ naues implicantur, vti viperina cauda lacerti, & obruuntur. Diſcinditur carauela. Vix Valdiuiæ, & è ſociis triginta licuit in carauelæ ſcapham deſcendere. Sine remis, ſine velis miſeri raptātur à pelago defluenti. Diximus nanque in Decadibus eſſe ibi maria perpetuo meatu fluentia in Occidentem. Terdecim errarunt dies, inſcij quo tenderent. Nil eſui aptum repererunt vnquam. Septem ex eis conſumpſit fames. Fuerunt ipſi marinis piſcibus eſca. In Iucatanam tranſportantur ſuperſtites, iam inedia deficientes. In crudelis Reguli poteſtatem inciderunt. Valdiuiam Prætorem vna & ſocios quoſdam trucidauit, mox immolauit Zemibus, demū inuitatis amicis comedit. Hoſtes tantum ātū aduentantes hoſpites hi depaſcunt, de reliquo à carne hu-

Hyeronimus Aguilaris liberatus à captiuitate Iucatanorum.

mana abstinent. Hic noster Hieronimus Aquilaris, & socii sex, in tertium diem immolandi seruabantur: noctu ruptis vinculis, truculenti manus tyranni euasere. Ad Regulum huic infensum supplices profugiunt, admittuntur, sed in seruitutem. Miserandum auditu est de huius Aquilaris genitrice. Vbi rem intellexit, illico insaniuit prae dolore, licet in nube tantum filium audiuerit in potestatem carnes humanas edentium incidisse. Haec si quando carnes assas inspectat, aut verubus affixas, clamoribus domum replet, inquiens: En filij mei frusta, en matrem omnium fœminarum miserrimam. Habita igitur epistola prætoris Aquilaris per Cozumellanos nuncios, coram Regulo hero qui Taxmarus dicitur, quid Cozumellani afferant, enunciat. De potentia Regis eorum, qui ad eas partes appulsi sunt, déque virorum fortitudine, de illorum beneficentia in amicos, de sæuitia in detrectantes eorum postulata, vel respuentes, multa edisserit. Trementem reddidit Taxmarum. Det operam ne vt hostes suam ditionem ingrediantur, sed pacato veniant animo seruum rogat. Pollicetur Aquilaris pacem, & si opus fuerit, contra Reguli hostes, auxilium & fauorem. Aquilarem dimittit, tresque illi dat familiares Comites. His ita prosperè actis Cortesius ob seruatum Aquilarem lætus, cuius opera, vt Interpretis commodissimi erat vsurus, discedit ex Cozumella. Nunc ergo quo tetenderit ea classis, quidue illi successerit referamus.

CAPVT SEPTIMVM.



AD FLVVIVM Alamino nauclero regente alias repertum sub Grisalua primum 1519. labuntur. Fauces eius arenis erant conclusæ, vti de Nilo Aegyptio legitur flantibus Etesiis. Propterea maioribus non licuit nauibus, quàm bergantinis, aduerso flumine procedere, quamuis alias sit huiuscemodi nauibus aptus suscipiendis. In bergantinos, ac nauium linthres ducentos in littus viros exponit Prætor. Per Aquilarem pax offertur. Quid sibi velint percunctantur accolæ, dapes inquit Hieronimus Aquilaris. Spacium erat arenosum, ingens ad latus oppidi, illuc tendant, accolæ insinuāt. Eūt postero die, afferūt gallinas octo eorū more, quæ sunt pauonibus neque minores neque insipidiores, suffusci coloris, & Maici, quantū vix decē famelicis sufficeret. Protestantur vna, vt inde discedant properè. Ingens armatorum ad nostros discedere renuentes multitudo concurrit, iterum quid sibi velint per alienas terras nauigantes interrogant Barbari. Pacem se cupere per Aquilarem inquiunt nostri, & rerum permutatione dapes, aurumque, si aurum poßident. Nolle se pacem, aut bellum cum eis respondent, abeant iterum, ni malint ad vnum trucidari. Nolle se nostri abire inquiūt, nō habita ciborū copia, quæ alendis militibus præsentibus sufficiat, repetūt. Crastinū ad ferenda cibaria signant Barbari, mētiti sunt: in tertium diem nostris, qui castra locarāt in arenali, & fuerant pernoctati, tātundē afferunt epularum, & sui reguli nomine iubent abire. Cupere se oppidū videre, & potiores dapes nostri dicunt. Illi recusant, & terga vertunt submurmurantes. Inedia nostri vrgebantur, victum quærere coguntur. In terram mittit prætor suppretores cum viris centum quinquaginta ad oppidana rura, per diuersa tendunt.

E turmis vnam obuij Barbari male tractabant. Non longe aberant socij, audito strepitu, laborantibus opem ferunt. Alia ex parte prætor tormenta in bergantinos, & scaphas locat. Ad littus se applicat cum reliquis militibus, & equis sexdecim. Littus tutaturi, & prohibituri descensum properanti cursu ad pugnam parati accurrunt Barbari, sagittis, & iaculis eminus nostros impetunt, feriunt imparatos viginti circiter. Tormenta in hostes exonerat Prætor, strage globorum, & stridore, ac flammarum eruptione perturbantur. In pallantes tenus genu in aquis se proijciunt nostri, & hostes insequuntur fugientes, vna cum perterritis oppidum ingrediuntur. Continuo cursu Barbari transeunt oppidum, & domos deserunt. Ad fluminis ripam protentum dicũt esse oppidum, quantum non ausim dicere. Sesqui leucam ait Alaminus Nauclerus, domorum quinque, ac viginti milium. Stringunt magnitudinẽ ac numerum, socij. Ingens tamen esse fatentur, & celebre. Hortis intersecantur domus, lapidibus, & calce fabrefactæ, industria architectorum arte. Ad quorum sedes habitabiles per decem aut duodecim gradus ascenditur. Nemini quippe licet vicini murum trabibus, aut tignis onerare. Sunt domus omnes trium passuum intercapedine separatæ, culmis, & paleis, aut vluis palustribus coopertæ maiori ex parte. Lapideis laminis plæreque. Quadraginta hominum milia Barbari professi sunt eo die pugnæ interfuisse, victos tamẽ à paucis ob nouum equestre genus pugnandi, cum tormẽtis. Equites nanque à tergo Barbaros adorti, turmas fundebant perimendo, feriẽdo à dextris, & à sinistris, vti greges ouium incompositos. Miraculo perculsi miseri hæsitabant, neque exercendi tela locus dabatur. Idem animal arbitrabantur hominem equo annexum, vti de Centauris exorta est fabella. Dies duos, & viginti sunt potiti oppido: laute sub tecto nostri, sub dio Barbari esurientes, neque sunt ausi nostros adoriri. Munitiorem oppidi

Aeris exoritur bellũ cum Barbaris.

Potiũtur victoria nostri.

partem, veluti arcem elegerunt, nocturnisque freti custodiis, suspecti semper, & eruptionem timentes somno vacabãt, sub Regulo Tanosco. Potanchanum dicitur ab accolis oppidũ, & à victoria ibi adepta Victoriam nostri appellarũt. Mira etiam narrant de atriorum ruralium ad delitias in prædiis edificatorum magnificentia, magnitudine, atque elegantia, cum solariis impluuiis & tabulatis egregiis more nostro. Per interpretes tandem, & captos in prælio, Regulum & primarios eius accersunt, vt inermes & supplices veniant datur opera. Dicto parent, domos quisque suas repetit, pacem illis præstant, lege proposita, vt ab horrendis humanorum corporum cerimoniis erga manes, & pernitiosos dæmones, quorum simulacra venerantur, abstinerent, nostroque Deo Christo, cœli terrarumque satori, ex virgine mundo præstito, & ad humani generis leuamen, cruci affixo, dirigant mentis oculos, & statuas diruant, vtque Hispano Regi se subditos fore profiteantur. Pollicentur vtrunque. Quantum breuitas temporis passa est, instruuntur. Restitutos nostratibus muneribus contentos reddunt, E cœlo missos arbitrantur viros qui adeo pauci numero contra multitudinem ingentem conserere manus ausi fuerint. Nostros & illi aureis quibusdam donis affecerunt, seruas etiam fœminas viginti præbuerunt. His ita relictis, alias eorundem littorum terras quæsituri, abeunt. Sinum repetunt sub Grisalua repertum ab Alamino, cui nomen dedere Baiam Sancti Ioannis. Baiam vocat Hispanus sinum. Pacatis animis veniunt accolæ. Ab littore oppidum erat distans milliare, domorum, vt isti aiunt, quingentarum, super tumulo erectum. Ad oppidi hospitia inuitant nostros, dimidiam oppidi partem offerunt si perpetui secum esse velint habitatores. Putant nostri vel Potenchianensium exemplo perterritos, ad quos iam forte fama peruenerat, vel sub talium se virorum vmbra sperasse in vicinos fauorem & auxilium habituros. Perpetuo

Pothanchanum oppidum ex euentu vocãt Victoriã.

Baia Sancti Ioãnis

namque & isti, naturalíque morbo laborant, vt reliquum genus humanum in rabidam ambitionem imperii. Recusant æternam sedem nostri, annuunt temporaneam. Redeuntes ad littus nostros sequitur populus. Scœnas illis, & ramata magalia summa cum diligentia erigunt, & tutißimis à pluuia tegminibus cooperiunt. Castra ibi locant. Ne marcescant socij, prætor Alamino Nauclero, & Francisco Montegio negocium dat, vt illius terræ Occidentem vestigare intendat: fessos ipse interea recreaturus, & sauciatos in Potenchiano curaturus. Permanet ergo Prætor cum reliquis. Bergătinos ituris duos præbet, homines quinquaginta. Ad hunc vsque sinum lenis erat decursus aquarum. Vbi paulo inferius ad Occidentem adnauigarunt, ac si ex montibus altis à torrente raptarentur, ita impetus æquoris illos breui spacio ad quinquaginta à sociis transportauit leucas. In aquarum concursum incidunt, sese illis vasta maris planities ostendit, quæ descendentibus ad Occidentem vndis obuiabat, vti duo ingentia flumina, quando conueniunt ex aduerso. Ita videbantur à Meridie venientes aquæ, tanquam hostibus in ius alienum pedem ferentibus, primis possessoribus inuitis, velle obsistere: ex opposito à longe terram vident, & à leua, dextraque minimè. Fluctuabant inter eos conflictus, vorticibus agitabantur in diuersa, qui fere illos deglutierunt. Sine spe vitæ diu hæsitarunt, flectunt proras aduerso torrente qua venerant. Luctantur velis, remisque innixi. Superare vix potuerunt impetũ quando se processisse putarunt leucas duas saltem, vna noctium quatuor se fuisse retractos inueniunt. Vicerunt tandem graue illud certamen, Deo fauente. Duos & viginti dies in eo paruo maris spatio consumpserunt, ad socios tandem redeunt. Rem aperiunt: finem eum esse terræ Hacoluacanæ, putatíque continentis adiudicarunt. Terram à fronte visam

Ambitionis morbus communis.

putant, vel continenti nostro annexam, vel Septentrionalibus coniungi plagis ad Baccalaos, de quibus late in Decadibus. Restat adhuc Pater sancte res hæc in dubio, detegetur aliquando. Hæc dederunt, hæc damus. Dum Alaminus, & Franciscus Montegius hæc secreta vestigarent, à Rege prouinciæ, qui Mutec Zuma dicitur, per vnum è suis proceribus, qui prædicto imperabat oppido, nomine Quitalbitor, multis preciosis, mirisque modis laboratis muneribus aureis, argenteisque & lapillis ornatis, nostri donantur: ea statuunt ad Regem nouum Cæsarem nostrum mittere. De colonia deducenda, Progubernatore Cubæ Dieco Velasquez inconsulto, consilium ineunt. In diuersa tendunt. Errorem fore proponunt aliqui. Pars maior asti à Cortesio seducta suffragatur. Hic multa contra Cortesium feruntur de insidia, quæ aliquando apertius intelligentur: missa nunc fiant. De Progubernatore non esse curandum aiunt, quandoquidem res ad maius tribunal, id est ad Regem deducitur, vicit populus. A Quitalbitor Rege commeatum petunt, ad leucas inde duodecim in gleba fortunatissima fundandæ Coloniæ locum designant. Generalem eligunt gubernatorem ipsum Cortesium. Non desunt qui putent eo inuito. Is magistratus alios creat, ad condendæ vrbis regimen. Portucarrerium & Montegium, de quibus satis aliâs, nuncios ad Regem Cæsarem cum muneribus mittendis deligunt, eodem Alamino Nauclero Duce. Quatuor sponte sua primarii, fœminæque duæ viris more patrio obsecuturæ, ducuntur. Suffusca gens est. Auricularum torulos vterque sexus perforat, gemmatosque aureos perpendiculos afferunt. Sed viri quicquid spacij est inter inferioris labij marginem extremum, & dentium inferiorum radices pertusant, vti

Vertit orationem ad papam

Erigitur colonis.

nos auro digito gestandas gemmas circunligamus, in eo labiorum foramine, illi ampliore lamina retinente interius prodeuntem, Argenteum Carolenum æquat eius monilis rotunditas, craßitudo digitum. Fœdius nihil vnquam me vidisse recordor. Putant tamen illi elegantius nihil esse sub orbe lunæ. Quo exemplo, quam fatue ruat gens humana in sui ipsius cæcitatem, quamque fallamur omnes, edocemur. Existimat Aethiops nigrum colorem esse candido pulchriorem: putat & candidus, aliter. Detonsus capillato, barbatus imberbi se credit esse spectabiliorem. Appetitu ergo vrgente, non ratione suadente, tendit genus humanum ad ineptias huiuscemodi, regitúrque suo sensu quæque prouincia, vt inquit ille, vana eligimus, à certis, & commodis abhorremus. Vnde aurum habeant, iam satis dictum, sed vnde argentum nostri sunt admirati. Montes altos ostendunt. Horum cacumina perpetuis canescunt niuibus, & paucis anni temporibus verticem ostendunt, ob nubium, & nebularum densitatem. Plana ergo, & mitia montana procreare videntur aurum. Asperi vero montes, & gelidæ eorum valles, argentum. Auricalcum etiam assequuntur. Secures bellicas nanque ac ligones fossorios apud hos inueniunt. Ferrum aut chalibem minime. Ad munera Regi allata veniam, & à libris ordiamur.

Gentis humanæ cæcitas.

CAPVT OCTAVVM.



DIXIMVS libros habere gentes has. Libros attulerunt vna cum cæteris muneribus hi Coluacanæ nouæ procuratores nũcij multos. Scriptibilia eorum folia sunt ex interiore arboreo cortice tenui, sub libro superiore creato. Puto dici philiram vti videmus, non in saliceo, aut vlmeo, sed vti cernere fas est in palmularum esui aptarum tela, dura

De libris Coluacanorum.

folia exteriora intersecante, veluti retia foraminibus, & maculis angustis contexta. Bitumine tenaci retiacula illa compin sunt: ad optatam dehinc formam mollefacta nectunt, & extendunt ad libitum, durefacta liniunt, gipso putandum est, aut aliqua gipso consentanea materia. Tabellas vidisse benedictionem tuam credendum est, gipso in farinam cribrato supersultas, in quibus quicquid venit in mentem scribi potest, dehinc spongia, vel pannulo deleri, vt denuo reiteretur. Ex ficuum etiam tabellis fabrefiunt libelli, quos magnarũ domorũ dispensatores, per fora secum deferunt, stilóque metallico merces emptas coaptant, delendas quando iam in computatorios codices traduxerunt. Non foliatim libros quaternant, sed in longum distendunt ad plures cubitos materiam. In quadratas reducunt partes, non solutas, sed tenaci bitumine, flexibili adeo coniunctas, vt ligneis compacta tabellis, arguti compaginatoris videantur manus subiisse. Quacumque pateat liber apertus, duæ sese facies inscriptæ offerunt, duæ paginæ apparent, totidem sub illis latent, nisi protendantur in longum. Sub vno nanque folio, multa coniuncta folia consistunt. Sunt characteres à nostris valde dißimiles, taxillis, hamis, laqueis, limis, stellisque, ac formis alteriusmodi lineatim exarati more nostro. Aegyptias fere formas æmulantur, interlineatim hominum, animaliumque species, regum præcipuè, ac procerum depingunt. Quare credendum est ibi esse maiorum cuiusque regis gesta conscripta, quomodo nostra fieri tempestate videmus, sæpenumero Calcographos generalibus historiis, fabulosis etiam codicibus, ipsius rei, quæ narratur, ad alliciendos emere cupientium animos, auctorum figuras interserere. Arte quoque grata superiores tabulas ligneas confingunt. Nil differre à nostris libris clausi videntur, legum etiam, & sacrificiorum, ac cerimoniarum ritus, computationes quoque, & Astronomicas annotationes quasdam, seminãdíque rationes,

Characteres a nostris dissimiles.

& tempora, libris commendare creduntur. Annum ab occasu Heliaco Vergiliarum incipiunt & mensibus claudunt lunaribus. Mensem autem à luna nominant, hinc cum menses signare intendunt, lunas inquiunt. Lunam eorũ lingua Tonam dicunt: dies autem à sole, Vnde tot soles tot dies. Eorum idiomate sol Tanaticus dicitur. Alicubi tamen aliter, Vbi nulla ratione moti annum distribuunt in menses Viginti, menses autem diebus etiam Viginti concludunt. Templa ingentia, quæ frequentant, aureis ornant auleis, & suppellectilibus, gemmis admixtis. Quoto die elucescente thurificant templa, piasque spargunt preces ante rerum initia. Horrendum facinus in sacrificiis & istorum tractuũ habitatores omnes, pro Victimis pueros, puellasque immolant, eo modo quo supradictum est. Quo tempore semina iaciuntur in terram, & quando iam spicantur segetes, populus pueris deficientibus, seruos precio emptos, laute depastos, & ornatos preciosis Vestibus, suis Zemibus destinant sacrificandos. Per dies Viginti immolandos circuncidunt. Transeuntes per Vicos oppidani suppliciter salutant, Veluti propediem inter cœlites annumerandos. Acri alia pietate Zemibus litant. Suum ipsorum sanguinem offerunt, è lingua hic, è labiis ille, ex auribus aliqui, è pectore, aut foemore, Vel cruribus multi. Acuta nouacula Vulneratim emungunt sanguinem, quem manu receptum roratim alto proiectu cœlum Versus per templi pauimenta conspergunt. Ita placatos reddi deos arbitrantur. A Villa ricca noua colonia distat ab Oriente milliaria duodecim, oppidum domorum quinque milium, Vetere incolarum nomine Cempoal, nouo Siuillia. Regulum reperere clausos habentem immolandos seruos quinque. Abductos à nostris Regulus supplex repetiuit, inquiens, perniciem mihi, regnique Vniuerso huic meo

astruitis, si seruos immolandos nobis auferetis. Irati nostri Zemes, sata omnia sinent à gurgulionibus corrodi, vel grandinibus deturbari, aut siccitate consumi, vel imbribus torrentibus obrui, sacrificiis cessantibus. Ne desperati desciscerent Cempoalani, minus malum elegerunt in præsentiarum, rati non esse tempus ipsis inuitis prohibere quin veteres ritus exerceant, seruos restituerunt. Licet illis sacerdotes gloriam æternam, & perpetuas delitias polliceantur, deorumque familiaritatem post huius sæculi procellosos dies, mœsti tamen promissa hæc auscultant, maluissentque liberari, quam cædi. Sacerdotes appellant Quines, singulariter Quin, celibes viuunt & incorrupti. Cum timore reuerenti sacerdotes venerantur. Hostium etiam captorum ossa carnibus exesis ab ipsismet in fasciculos ligata ad Zemium pedes suspendunt, veluti victoriæ trophea, victorum titulis suppositis. Notandum & aliud Sanctitati tuæ gratum futurum, referunt. Pueros iam anniculos puellasque cum piis cerimoniis, sacerdotes in templis, aqua in crucem cum vrceolo capiti super iniecta baptizare videntur, verba non percipiunt, actus & murmura licet animaduertere, neque enim illi, vti Maumetici, aut Iudæi, putant eorum templa violari, si alienæ legis quisquam eorum sacris intererit. De libris, templis, ac sacrorum ritibus satis dictum est, ad reliqua veniamus allata Regi munera.

CAPVT NONVM.

Munera Regi allata.

DVAS Attulerant molas vti trusatiles, vnam auream, argenteam alteram, solidas, circunferentia fere pari. Spitamarum octo & viginti. Ponderis castellanorum est aurea trium milium octingentorum. Dixi Castellanum esse monetam auream, quæ Ducatum triente superat. Eius centrum occupat, veluti Regis in throno sedentis cubitalis imago tenus genu vestita, Zemi similis, eo vultu, quo apud nos nocturni lemures depinguntur. Campus ramis, ac floribus, frondibusque effigiatus. Eadem est argenteæ facies, fere idem pondus. Vtrumque metallum purum. Aurea etiam grana, rudia, non conflata in argumentum auri natiui, vti lentes, & ciceres attulere. Torques quoque aureos duos, quorum alter catenulis constat octo, quibus inserti sunt rubri lapilli, non piropi tamen, duo & triginta supra ducentos, virides autem tres, & octuaginta supra centum. Sunt eiusdem æstimationis illi, qua smaragdi apud nos nobiles. Ab eius torquis fimbria tintinabula pendent aurea septem & viginti, figuris quatuor gemmeis, auro circumligatis intersecta. Depẽdent à singulis aurei perpendiculi. Torquis alter quatuor catenularum aurearum per giros, rubris ornatarum lapillis centum duobus, viridibus autem centum septuagita duobus perficitur. Sex & viginti aureorum tintinabulorum elegantia comptorum. In ipsius torquis medio, decem sunt insertæ magnæ gemmæ, auro circunligatæ, à quibus centum quinquaginta perpendiculi suspensi sunt aurei, egregie laborati. Coriaceos cothurnos diuersorum colorum afferunt forte duodecim, hos auro, argento illos, gemmis alios fultos, coloribus tum glaucis, tum viridibus. A singulis tintinabula pendent aurea, thiaras, mitras variis gemmis insutis glaucis, saphiros æmulãtibus, refertas portant. De cristis, & conis, & flabellis

plumeis, quid referre queam non sentio. Si quid unquam honoris humana ingenia in huiuscemodi artibus sunt adepta, principatum iure merito ista consequentur. Aurum, gemmasque non admiror quidem, qua industria, quóue studio superet opus materiam, stupeo. Mille figuras & facies mille prospexi, quæ scribere nequeo. Quid oculos hominum sua pulchritudine æque possit alicere, meo iudicio vidi nunquam. Ignotarum nobis volucrum sunt pennæ lucidissimæ. Veluti pauonum, aut phasianorum caudas illi visas admirarētur, ita & nos illorum pennas, quibus & flabella, & cristas conficiunt & elegantia ornant cuncta, glaucos, virides, flauósque ac rubros, candidos, suffuscos etiam colores pennis inesse natiuos inspeximus. Ex auro cuncta illa instrumenta confingūt. Galeas attulēre duas gemmis glaucis coopertas. Vnam tintinabulis aureis fimbriatam, & aureis pluribus laminis, duobus aureis calculis tintinabula sustinentibus. Altera gemmis eisdem sed quinque, ac viginti fimbriata est tintinabulis aureis, cristata viridi volucre conum occupante, cuius pedes, & rostrum, & oculi aurei. Singula vero tintinabula singuli sustinent aurei calculi, fuscinas quatuor tridentes pennatas variis coloribus intextas, quarum dentes sunt gemmei, filis aureis colligati. Eodem ordine sceptrum ingens gemmatum, cum duobus aureis annulis, aureum etiam brachiale, calceos ex corio ceruino, aureo filo consutos, solea candida subiecta, ex lucido lapillo semiglauco, vnà & candido circunseptum auro speculum. Spheugitem forte lapidē diaphonū attulerunt. Auro circunligatū lacertū, & cocleas ingentes duas, anates aureas duas, & variarum volucrum diuersas species aureas, quatuor & pisces cephalos aureos, & ex orichalco virgam. Pennis miris modis insuta omnia, portarūt, bellicas peltas, & ancylia, Scuta quatuor & viginti aurea, & argentea quinque. Cetram plumis variis cōtextā, in cuius fronte media lamina insculpta

Laudat industriā artificū Indorum

est aurea, effigiata Zeme idolo. Figuram quatuor aliæ sepiunt in modum crucis aureæ laminæ variorum animalium, leonũ puta, tygrium, & luporum, capita viminibus, & tabellis formata, animalium ipsorum coriis supersutis, orichalceis tintinabulis ornata, ex diuersorum animalium aliorum coria integra egregie confecta. Lodices magnas gosampias, candido, nigro, & flauo coloribus intextas. Scaccorum ludo, quod argumentum est, & saccorum fritillos habere eos in vsu, aliam a fronte, nigro, candido, rubroque coloribus ab intra rasam sine varietate. Aliam eodem modo intextam, aliorum colorum, rota nigra medium tenente radiata, pennis lucentibus intermixtis. Candidas etiam alias lodices duas, peristromata, aulea, & sagulum patrio more viri gestamen, & textas interiores, & capitis velamina varia tenuissima. Pleraque alia pulchra visu magis, quàm preciosa, quæ arbitror iam tuæ Sanctitati tædiosa potius fore, quam delectabilia narratu, prætermitto, & innumeras nauigantium particulas, de laboribus, de egestate, de periculis, de monstris, & aduersis multis, quæ in suis annotationibus quisque edisserit, in nostroque Regio rerum Indicarum senatu leguntur. Ex variis, & multis eorum indicibus, & priuatis literis hæc pauca collegi. Munerum tamen latores, & Ferdinãdus Cortesius prætor, condendæ nouæ Coloniæ in extremis terris autor, à Regio Indico senatu, contra rectum, iustumque fecisse iudicantur, quod inconsulto Cubæ Progubernatore, qui eos authoritate regia miserat, prouinciam susceperint ab eius mandato alienam, quodque venerint, licet ad Regem, eo insalutato. Per procuratorem fugitiuos latrones, & læsæ Maiestatis regiæ reos Diecus Velasquez gubernator appellat, illi autem se maius multo prestitisse Regi obsequium, venisséque ad maius tribunal arguunt, suáque impensá dicunt classem instruxisse, neque Proguber-

Scaccorũ ludus apud Indos.

natorem ipsum quicquam aliud fuisse impartitum, quàm vti mercator fœnus accepturus à mercibus, quas arguunt eis multo grauius vendidisse. Petit capite puniantur Gubernator, petunt magistratus isti, & sumptorũ tot laborum, & periculorum præmia. Et præmium & mulcta differũtur: vt pars vtraque audiatur sancitum est. Iam ad Darienenses Vrabæ sinus in putato continenti habitatores veniamus. Darienem diximus esse fluuium in latus Occidentale Vrabæ sinus cadentem. In huius ripa Hispani Coloniam, condidere regulo Cemmaco vi armorum depulso. Coloniæ nomen ex voto pugnæ tempore promisso, dixere Sanctam Mariam Antiquam. Ad hos diximus in calce Decadum fuisse missos eo anno quo scribere desiimus, duce Petro Aria Abulensi, mille ac ducentos viros, id petente Vascho Nunnez Balboa, qui primus Australe pelagus, latens hactenus, detexerat, & Darinensibus præerat. Appulso ad Dariennem Petro Ariæ gubernatore cum ampla Regia potestate, diximus fuisse destinatos per diuersa, cum varijs peditum turmis, diuersos centuriones. Breuibus absoluam, quia horrida omnia, suauia nulla. Ex quo nostræ Decades desierunt, nil aliud actum est, nisi perimere, ac perimi, trucidare, ac trucidari. Adelantatum creauerat Rex Catholicus Vaschum Balboam, nequiuit diu ferre Petri Ariæ imperium, dissiderunt animis, confuderunt omnia. Intercessit Episcopus Ioa. Capedus Franciscææ religionis pulpitarius. Vascho promisit filiam in vxorem Petrus Arias. Ars inter rerum duces, qua conueniant, nulla reperitur. Dissident multo acrius, & res ad casum talem deducta est, vt occasionem nactus in Vaschum Petrus Arias, processu per pretores vrbanos formato, iugulari Vaschum mandauerit, & vna primarios quinque alios, inquiẽs, Vaschij, sociosque defectioni studuisse in mari Australi, vbi clasicula nauigiorum

Conuertit se ad alia autor

Sãcta Maria Antiqua.

quatuor Vaschus ipse construxerat, ad Australia putati continentis littora vestiganda. Dixisse ait Vaschum commilitonibus trecentum, quos secum habebat. En quid viri, tot laborum & periculorum mecum participes, alieno semper imperio subiecti erimus? quis ferre potest iam huius gubernatoris insolentiam? littora hæc sequamur, quo sors dederit, & inter tot Elisias prouincias tam vastæ telluris, vnam eligamus, in qua nobis ipsis quod vitæ superest, liberi iam tandem viuere possimus. Quis hominum reperire nos quibit, aut repertis vim inferre? Res ad gubernatorem delata est. Vaschum ab Austro accersit Petrus Aries: paret dicto Vaschus, in catenas coniicitur. Negat Vaschus tale consilium cogitasse. Testes quæruntur malefactorum, quæ patrauerat: ab initio, dicta colliguntur, morte dignus censetur, perimitur. Ita laboribus, & periculis quæ subiuit miser Vaschus, quando maiores se titulos adepturum sperabat, finem imposuit. Classiculam Petrus Arias ipsemet, vxore in Dariene relicta, conscendit, scrutaturus littora. Nondum an redierit intelligimus, neque ipsi deest fortuna. Iam alius designatus est gubernator, Dictus Lupus Sosa, ex fortunatis insulis, vbi diu extitit Prorex, reuocatus ad Darienem. Quid stomachi sit habiturus Petrus Arias, si redierit, boni iudicent. Nil vnquam dignum gloria sub eo actum est. Nimium remissus ab initio fuisse arguitur hinc, illinc autem nimis indulgens, & parum seuerus in corrigendis erroribus. De hoc satis. Postergata quædam repetamus.

Perimitur Vaschus.

Lupus Sosa gubernator designat⁹

CAPVT DECIMVM.

DE FLVMINE ingenti Dabaiba profundißimo dicto à nostris Grandi, qui labitur in vltimum Vrabæ sinus angulum, per portas, vti Nilus Aegyptium in mare, septem, late in Decadibus. Eius montana sunt auro ditißima ex accolarum relatu. Dabaibæ arcana scrutaturi

Vaschus,

Vaschus, & prætores alij, compositis agminibus aduerso flumine cum nauibus diuersarum specierum, quater conscenderunt. Quadraginta leucas primas, mox quinquaginta, demum octuaginta, ex trãsuerso aliás. O ingens facinus. Gens nuda vestitam, inermis armatam profligauit semper, trucidauit ad vnum aliquando, vulneribus confecit omnes. Sagittis bella gerunt venenatis, & quà visu hostium carnes assequantur detectas, ictum figunt certissimum. Habent & iacula, quæ pugnæ tempore tam crebra iaculantur eminus, vt more nubis solem hostibus arripiant. Habent & ligneos durefactos enses latos, quibus cominus certant ferociter, si ad manus deueniatur, & Vaschum ipsum multis vulneribus confecêre aliquando. Ita flumen Dabaibæ, & regnum inexploratum relinquitur. Restat vt de Hispaniola reliquarum insularum genitrice, pauca dicamus: Resarcitus est in ea senatus, quinque sunt additi iudices, qui vniuersis illis tractibus leges præbeant, sed propediem colligere aurum in ea, licet auro sit prægnans, desinent, quia fossores deerunt. Ad exiguũ miseri accolæ deducti sunt numerum, opera quorum in auro legendo vsi sunt. Absumpti ab initio bellis acribus, fame multo plures, quo anno Iuccam radicem, qua panem nobilium conficiebant, eruerunt, & à maicio grano seminando, pane populari abstinuerunt, reliquos variolarum morbilli eis ignoti hactenus, superiore anno millesimo quingentesimo decimo octauo, qui tanquam morbosas pecudes contagioso halitu eos inuaserunt, & vna, ne mentiamur, auri cupiditas, in quo effodiendo, & cribrando, ac legendo, miseros post iactas sementes, ociosis ludis, ac tripudiis, & piscationi, aut vtiarũ, (sunt parui cuniculi) venationi assuetos, inhumanè nimis exagitarunt. Iam per regium vniuersum senatum sancitum est, vt liberi reducantur in populos, & agriculturæ, generationique indulgeant, & inuigilent: serui autem

aliunde empti ad id aurifodinarum opificium trahantur. De auri mortifera fame satis dictũ. Auditu est mirãdũ quãtũ in hac insula coalescãt omnia. Octo & viginti iã torcularia sunt in ea erecta, quib⁹ magna saccari copia extorquetur. Saccarias aiũt cãnas altiores, craßioresque in hac insula creari, quã alibi vsquã. Craßitudinẽ lacertalẽ aiũt, & virilis staturæ ac semis altitudinem nutriri. Quod maius est, Valentiæ Hispanæ, vbi à maioribus nostris ingens copia saccari quottannis elicitur, vel vbicumque saccareis cannis inuigiletur, quũque vel sex, aut quãdo copiosius, septem filiales cannas quæque radix parturit: in Hispaniola viginti, ac triginta interdũ. Quadrupedũ est ea copia immensa. Auri rabida sitis à cultura Hispanos diuertit hactenus. Triticũ augetur in immensum. Centesimum amplius aliquãdo reddidisse dicitur, vbi cura sit in collibus, aut montanis iugis, ad Boream præcipue versis, tritico serendo intendere. Sed in planis, & aperto campo in paleas euanescit, ob vbertatem nimiam, & humorem. Coalescunt & vites in iisdem partibus. De arboribus vero caßiam fistulã gignentibus, ex insulis putato continenti vicinis, asportatis, de quibus mentionem fecimus in Decadum libellis, quid dicemus? Tanta est iam copia, vt post paucos annos librã simus vnciæ loco à pharmacopolis habituri. De siluis coccineis, deq; reliquis hui⁹ beatæ insulæ prærogatiuis, & naturæ in illã porrecta beneficentia, satis multa in Decadibus. Placuit pleraque repetere, quia grandiũ negotiorũ molem arbitror ab huiuscemodi rerũ recordatione tuæ Beatitudinis ingenium diuertisse. Nec labra detorquent repetitu quæ sunt sapida, modo materia preciosa preciosis vestibus induatur. Intextas auro vestes, ac gẽmis fultas, materia merebatur, cucullo cooperuimus. Reuerendißimo Aegidio Viterbiensi, tuæ Sacræ sedis apostolicæ bene merito cardinali, culpa impingatur, qui me ineptum artificem in ferrariam officinam iußit aurum conflare ad monilia formanda.



AD ADRIANVM SEXTVM PONTIFICEM MAXIMVM EIVSdem Petri Martyris Anglerij Mediolanensis, Quinta decas. Caput primum.



QVARTAM Decadem rerum Indicarum Sanctißime Pater & Clementißime Princeps, Leoni Decimo Pontifici Maximo & Beneficentißimo Fratri tuo Patrueli dicaui: qua, qui homines, quæve insulæ, & incognitæ terræ nostris temporibus ad annum à partu virginis vicesimum supra millesimum, & quingentesimum in Oceano inuentæ fuerint, summa fide, & integritate retulimus. Postea vero aliæ à Fernando Cortesio, Cæsareæ claßis præfecto venerunt litteræ ab illis terris, quas Hispanæ tunc ditioni subigebat, in quibus res nouæ, & inauditæ, maximeq; mirabiles continentur. Quæ omnia quàm breuißime quámque verißime potui, seruato rerũ ac temporum ordine, in hanc commentariorum meorum quintam Decadem explicaui, quam Adriano Pontifici Maximo prædecessori tuo inscripseram: & cum ille fato functus sit ante receptionẽ, tu, vt dignitatis illius, ita meorum laborum hæres esto, erisque posthac omnium rerum, si quid dignum historica lectione à me scribetur. Eam igitur clementißimo numini tuo

nominatim dico, vt fœlicißimis tuis auspiciis in publicū prodeat, mortalesque omnes norint, quanta Christiano nomini, te catholicæ fidei habenas moderante, accesßio facta fuerit, quam Deus Opt. Maximus, vt spero, & opto, in immensum propter tuam pietatem, clementiamque augebit. Eia ergo age vt cœpisti, & inter Christianos Principes, Cæsarem præcipue, Christianißimosque reges dißidentes, perpetuam compone pacem, vexilláque salutiferæ crucis in impios hostes tolle, & æterna tui nominis, ac famæ apud posteros, quæ nulla vnquam oblitterabit ætas, relinque monumenta. In calce igitur superioris libri, vt ad rem nostram reuertamur, de potentißimo Rege MutecZuma mentio facta est, qui ex ingenti ciuitate in salsi lacus medio sita, nomine Tenustitam, multis vrbibus, & prouinciarum Regulis, longe, latéque imperabat, à quo per Mōtegium, & Portucarrerium Hispanos viros Carolo Cæsari in celeberrimo Hispaniarum Vallidoleti oppido commorāti, preciosa, & miræ elegantiæ munera, vt supra memorauimus, missa fuerunt. Interea vero Cortesius dum nuncios ad Cæsarem missos expectat, ne milites ocio torpescerent, statuit cœptam expeditionem exequi. Pacata igitur maxima illa ciuitate quam in succeßiuo Decadibus libello dixi sub Regulo Tauasco vocari Potenchiam, mox à nostris ob victoriam ibi cōtra ingentem Barbarorum multitudinem adeptam, Victoriam appellatam, tetendit Cortesius ad Occidentem ad leucas octoginta, Coloniamque ibi posuit in littore ad leucas ab alia ciuitate terrestri nomine Zempoal in Grisaluæ fluminis vicinia, & ab oppidulo ad dimidiam leucam in elato parumper tumulo, nomine Chianistam: suæ autem coloniæ nomen dedit vera Crux, quod Crucis Maij profesto terram cœperit. Decreuit inde Cortesius quæ de tanto Rege, qualē esse MutecZumam audierat, quæ ve de tam vasta ciuitate ferebantur, præsens cogno

Narrationem ordi tur.

Zempoal Colonia.

ſcere. Corteſii cogitatu intellecto, Zempoalenſes finitimi Mutecƶumæ, per vim deditícii, & infenſi, concilio inito Corteſium adierunt, veluti Hedui & Sequani poſt deuictos Heluetios ſupplices, & flentes apud Cæſarem de Arionisti Germanorum Regis ſuperba tyrannide, ita de Mutecƶuma Zempoalenſes, & multo grauius, quod præter aliorum prouentuum prouincialium grauia tributa, quæ quottannis præbebant, mancipiorum, & illis deficientibus propriorum filiorum partem vectigalis loco, ſuis diis immolandos Mutecƶumæ præbere cogerentur. Diximus nanque, & id Beatitudini tuæ notiſsimum eſt, in omnibus terris illis humano ſanguine litari, & latius infra repetemus. Obſides igitur de fide ſeruanda, militéſque auxiliarios virtute bellica pollentes, contra Tyrãnum ſe Corteſio daturos Zempoalenſes pollicentur, quia ſe ſperant, eo fauente deo cœli ac terrarum ſatore, de quo noſtri prædicauerant, & impune ſimulacra parentum quæ ipſi prius colebant, confregiſſent, à tam truculenta tyrannide ciuitatem, ac vniuerſam alioqui fortunatiſſimam prouinciam in libertatem vendicaturos, ſi tantæ illorũ calamitati vellet Corteſius miſereri, ac atrocibus iniuriis obuiare: neque dubitare ſe inquiunt quin victoriam ſint conſecuturi, quia è cœlo miſſum Corteſium, & comites eius arbitrarentur, quum ſint erga victos adeo mites, & in detrectantes amicitiam adeo proſtratores, qui ve tam numero pauci, tantam vim bellatorum quanta fuit Potenchianenſium, auſi fuerint expectare. Quadraginta nanque armatorum milia noſtri ea pugna diſturbarunt, (vti ſæpius ab ipſiſmet, qui rei affuerunt, audiuit tua Beatitudo legitque à Ducibus primariis litteras) cum nõ amplius quingentis peditibus, equis tamẽ ſexdecim, & tormẽtis pleriſque. Hic eſt paruper digrediẽdum in aliud hominum gen⁹, qui ſunt animi adeo exilis, vt ea quæ ſuis viribus inepta fore ipſi ſentiant, pro fabulis acci-

Mutecƶuma rex potentiſſimus.

piunt. Torquebunt hi nasum, quando à tam exiguo militum numero, tot hostium milia disiecta intellexerint. Duo illorũ cauillos intersecent, exemplare vnum, rei nouitas aliud. Nõne Cæsarem cum minoribus copiis, Heluetiorum, mox Ariouisti, Belgarum demum copias ingentes, debellasse legerunt? Nonne Xersem Persarum Regem, qui tanta multitudine Græciam inuasisse legitur, vt exercitu positis castris, prandere volente, fluminum aquas ad aluei siccitatem traherent potando, cum non maiore, quàm duodecim milium Græcorum manu apud Salaminam Themistocles ad interniciem vsque deleuit, vt vix imperator ipse fugiens, vna solum naui euaserit? Fuerunt præterea nostris duo pugnandi genera Barbaris illis nunquam visa, vel audita, quæ solo illos prospectu terga vertere coegerunt, tormentorum scilicet strepitus, & flammæ cũ odore sulphureo è tormentis prodeuntes, quæ illi tonitrua, & fulgura de cœlo à nostris deportata putabant. Nec multo minus equorum accessu perterrebantur, cum vnum esse animal hominem equo annexum, vti de centauris fabella exorta est, arbitrarentur. Neque semper tamen faustè nostris successit, vices easdem sunt experti sæpenumero, & integras aliquando nostrorum acies deleuerunt Barbari, hospites se velle recusantes. Ad iter à quo diuerti redeundum est. Zempoalenses

Redit à digressione.

sua oratione habita, & per Hieronimum Aquilarem, qui fluctibus agitatus, septennio vitam egerat seruilem in vnius Reguli potestate, interpretata, de quo late in successiuo Decadibus libello mentio facta est, mouit Cortesius ex Vera Cruce, relictis ibi centum quinquaginta viris, in eius Coloniæ præsidium, & cum equitibus tantum quindecim, peditibus tercẽtum, auxiliariis quatuor centum Zempoalensibus. Sed naues prius omnes, quibus exercitum adduxerat, sub occasione quod essent putridæ, summergi iussit Cortesius. Causam fatetur ipsemet, ad tollendam scilicet fugæ spem militibus, cum figere

pedem statuisset in illis terris, & ibi parare sibi perpetua domicilia. Milites vero aliter sentire maiori ex parte videbantur: timebant nanque multorum exemplo, qui strati fuerant consocii à Barbaris sæpe, ne id accideret sibi, quod pauci numero ducendi essent ad infinitos, & eos bellaces, armatosque. Erant præterea plærique Iacobi Velasquez Fernandinæ insulæ, quæ Cuba est, progubernatoris, familiares, & amici. Veteri domino parere de reditu perlustratis terris hi cupiebant. Ex his cum vno Bergantino abire tentarunt plerique, quo tempore nauim Cortesius mittebat cum muneribus ad Cæsarem, inconsulto Iacobo Velasquez, significatum de illius nauis discessu, quo maris, ac terrarum paßibus obseruatis, illam præhenderet. Quatuor Cortesius depræhendit, ac veluti maiestatis læsæ reos puniuit. Horum nomina sunt, Ioannes Scutifer, Iacobus Zermegnus, Gonsalus Vmbria, naucleri omnes, & Alphonsus Regnatus. Nauibus igitur summersis, & horum quattuor exemplo cæteris perterritis, ne de abscessu cogitarent, Augusti die sextodecimo, Anno. M. D. X I X. profectionem capit ad lacunarem illam ingentem ciuitatem Tenustitanam ab arce Veræ Crucis distantem leucas circiter centum ad Occidentum. A Zempoalensibus tres eius vrbis Principes Duces habuit, nominibus huiuscemodi: Teuchius, Manexus, Tamaius. Ea ciuitas, & eius vicina nomine Zacacami, mille trecentum viros dederunt, quorum opera vtebantur nostri ad onera deportanda pro iumentis onerariis, vti moris est earum terrarum. Quæ in eo itinere Cortesio euenerunt, nunc est referendum, ne sicco pede res prætereantur. Proficiscenti renunciatum est claßiculam ignotam per ea littora vagari: Franciscum Garaium Iamaicæ insulæ progubernatorem, qui & ipse condendæ nouæ coloniæ sedem perquirebat, intellexit. Nuncios ad Garaium mittit Cortesius, suæ coloniæ Veræ Crucis hospitium, & in ea, si quibus rebus indigeret, supple-

1519. Gomara lib. 2. cap. 25.

Nuncios mittit ad Garaium Cortesius

mentum offert. Arte ne hoc fecerit aliquando sciemus. Recusat Garaius, immo per scribam regium, ac testes Cortesio protestatur Garaius, vt earum omnium terrarum sibi partem æquam assentiatur, & limites iurisdictionem dirimentes assignet. Negat Cortesius postulata, missos à Garaio scribam, ac testes iußit spoliari, ablatisque veteribus suorum indumentis, totidem recentes vestes illis tribuit. Non institit vltra Garaius. Disceßit, alias terras eorundem tamen littorum, repetiturus. Ex Iamaica namque sibi credita in gubernatum, tribus & hic nauibus carauelis, anno superiore, eius terræ quam Floridã Io. Põtius, de quo late in Decadibus primis, nũcupauit ac putauit esse insulã, lõgos tract⁹ maris discurrerat, sed infœlici euentu. Fuit namque bis profligatus ab incolis, suis maiori ex parte trucidatis. Ioanni Pontio, & primo Floridæ repertori, cõtigit idem. Sæpe disiectus ab incolis, talibus tandem fuit vulneribus confectus, vt ad Cubam rediens, se suosque saucius curaturus, illico perierit. Garaius autem post Ioannis Pontij obitum, ea littora perlustrans, ait se reperisse Floridam esse non insulam, sed per vastos inflexus huic Tenustitanæ terræ coniungi. In flumen incidit Garaius adnauigans per ea littora, meatu lato fluens in Oceanum, frequentes & prospexit è nauibus, culmis coopertas villas. Eius fluminis ripam poßidet vtranque regulus, nomine Panuchus, à quo & regio illa Panucha. Mutec Zumæ hic magno Regi parere dicitur, & præbere vectigalia. Non data fuit libera commercii copia vti per indicẽ membranam à Garai pictoridus allatam colligimus, in arcum tendens, ita vt á Tenustitana discẽdens ad Boream semper vergat ad arcus vsque gibbum. Mox iterum eodem ordine flectitur leniter ad meridiem, ita quod si linea porrigatur ex littore Tenustitano, ad eam illius terræ partem, quam Ioannes Pontius primò tractauerat, à latere Fernandinæ Septentrionali, cordam arcus quasi efficiet. Parum vtilem tractum illum

Infælix successus Io. Pontii.

Panucha regio.

fore arbitratur Garaius, quoniam auri exigui, & non puri signa viderit. Condere Coloniam non lõge à Cortesii Colonia, dicta Sanctæ Crucis, optasset, prohibuit Cortesius. Eo in loco Cortesius aliam ipse deduxit, cui nomen dedit Almeriam, ab Almeria ciuitate maritima regni Granatensis, paucis ante annis de Maurorum manibus virtute bellica liberati. His ita actis, Cortesius cõsilium sumptum prosequitur. Itinere dierum quattuor progressus à Zempoale, in prouinciam venit, nomine Sincuchimalarem. Ea est planities vno contenta municipio, in monticuli sito latere, arte, ac natura munitissimo. Nullus patet ad illud accessus alius, præterquam per scalas duas arduo successu, manu locatas. Sedes est ea, domiciliumque illius prouinciolæ Reguli Mutec‍zumæ regis vectigalis. Prouincia est vberrima vicis, ac villis in planitie multis fulta passim: domorum singulæ trecentarum, quadringentarumque, sed ruralium sunt. Nobilitas, vti vbique accidit, apud regulum inhabitat. In municipio placide nostros regulus suscepit, ac bene depauit. A Mutec‍zuma se id habuisse in mandatis ait regulus. Se id Mutec‍zumæ relaturum Cortesius, & gratias acturum, ad quẽ visendum ex sui imperio ipse proficiscatur, inquit. Ab hoc regulo discedens Cortesius, petiit montem altissimum, eius prouinciolæ calcem claudentem. Ait Cortesius, fatenturque venientes ab ea, nullius esse mõtis Hispani altiora culmina, in cuius transitu Augusto mense perpessi frigora sunt acria, ob concretas niues, & glacies perpetuas. In horũ mõtiũ descẽsu, planitiẽ capiũt aliã, cuius caput est oppidũ, nomine Texunacum, vberrima est, & vicis, ac ruribꝰ & ipsa fulta. Mutec‍zumæ paret omnia. Egressi vallẽ eam duorum dierum interuallo, terras aquarum carentia steriles, atque hinc desertas, frigoribus, & inedia fracti percurrerunt. Ex illa intemperie, ac insperato tur-

Colonia Almeria.

Frigorosa vallis & tempestatis intemperie periere nõnulli.

bine nymboso cum fulguribus, ac tonitruis, periêre nonnulli. Montem inde subeunt mitiorem, in cuius culmine sacellum erat dicatum Idolis. Ante sacelli fores lignorum erat congeries immensa. Certis anni temporibus suis quique diis lignorum strues cum victimis immolandis offerunt: placare se deos iratos ea via arbitrantur. Hispani montanorum culminum aperturas vocant Portus, inde lignorum portum ab eo effectu, traiectum illum appellarunt. Ex eo monte descendentes, vallẽ captant aliam habitatam, uberem. Eius regulus dicitur Cacataminus. Regis atrium est lapideum, ingens, aulis & cubiculis nostro more multis compositum: in labentis per eam vallẽ fluminis amœni ripa, situm est: suscepit nostros honorifice. Is interrogatus an MuteZumæ dicto pareret, respondit, & quis non, cum sit MuteZuma dominus orbis? Sed quid de nostro Rege sentiret percunctatus, maiorem esse fassus est, cui & ipse MuteZuma obtemperaret. Nostris, an aurũ assequeretur, efflagitantibus, aurum se habere fassus est, daturum autem inconsulto MuteZuma nemini, dixit. Cogere ut præberet non sunt ausi, ne à longe MuteZumam perturbarẽt. Finitimi duo alij Reguli fama nostræ gentis commoti, ad Cortesium venerunt, singulos torques aureos, sed exigui ponderis, neque puri metalli ad eum attulerunt, quorum alter aduerso flumine leucis imperitabat quatuor, flumine secundo duabus alter. Fluminis illius ripas utrasque, domibus esse passim fultas, hortis tamẽ, & prædiolis interiectis, inquiunt. Eius principis, qui aduerso flumine domicilium habet, atrium aiunt, neque magnitudine, neque elegantia, vel munimento ignobilius: immo & arcem hic esse atrio imminentem, antemuralibus, & turritis mœnibus exactissimam, inexpugnabilem. Quinque aiunt, addunt alij sex milium domorum constare huius reguli oppidum, cuius nomen non dedêre. Fuerunt & ab hoc principe bene suscepti nostri. Est & hic MuteZumæ obtemperãs.

Lignorũ portus.

Regulus Cacataminus.

Magna potentia MuteZumæ.

Ex huius reguli hoſpitio quatuor dimiſerat nuncios Corteſius ad ciuitatem vicinam, nomine Taſcaltecam, incolarum animos tentatum, an illis placeret, vt ſe adiret, quia Taſcaltecanos audierat eſſe bellaciſsimos, & Mutec zumæ hoſtes capitales. Inde apud hunc regulum biduo moratus eſt, nũcios expectãs. Taſcaltecanos adducere Mutec zuma nunquam potuit, vt ab eo legem vllam admitterent, aut parerent: immo & perpetuo iuuentutem ſuam in Mutec zumæ odium exercuerunt, adeo, vt ſale, ac Goſampio ad veſtes conficiendas multis annis caruerint, quum ſint vndique Mutec zumanis terris circunſepti, neque aliunde poſsint ea ſibi neceſſaria comparare. Malle ſe aiunt à Mutec zumæ ſeruitio viuere cũ ſumma rerũ egeſtate liberos, quã Mutec zumæ dicto eſſe audiẽtes. In hac vrbe multos ineſſe proceres aiũt, villarũ dominos, quorũ, veluti ducũ opera, Taſcaltecana reſpublica vtitur in re bellica. Dominos recuſant. Si cui animo ſurgeret, velle caput erigere, in deterius exitium conciuem eum traheret, quàm Heluetij Orgentorigem, de imperio cogitãtem, & idem Heduorum & Sequanorum principibus ſuadentem. Iuſti & recti ſunt cultores Taſcaltecani, vti poſtea compererunt, quod late infra dicemus. Nuncios igitur expectans Corteſius, nec eorum quiſquam reuerteretur, ab eo diſceſsit oppido, ſed per vallẽ illam & diuerſos vicos, octo conſumpſit dies. Zempoalenſes interea Corteſio perſuadere nituntur, vt Taſcaltecæ reipublicæ amicitiam ſibi conciliet, grandia in illis auxilia reperturum contra Mutec zumæ potentiam arguunt: ſi quid aduerſi aliquando moliretur. Mouet inde verſus Taſcaltecam. In itinere vallem reperit aliam, quam tranſuerſabat ab vtraque montium altorum lateralium radice, murus pedes latus viginti, altus vero ſeſquihumanam ſtaturam. Erat ſola in vniuerſo muro porta, paſſuum decem patens, in varios inflexus ſtructa, ne repentinus hoſtiũ incurſus palantes & imparatos adoriri

Tlaxcallã à Gomara dicitur lib. 2. cap. 27. hiſt. ge.

posset. Ad Tascaltecanos murus attinebat ad id confectus, ne ipsis inuitis Mutec Zumani per vallem eam transirent. Postergatæ vallis incolæ Cortesium comitantes, vt viarum ductores, hortabantur, & monebant Cortesium, ne per Tascaltecanorum fines graderetur, dolosos esse, ac fidifragos & exterorum omnium inimicos, hospitumque, ac siquos assequantur, hostium helluones aiebant: se ducturos Cortesium, ac socios per continuas Mutec Zumæ terras, in quibus ex Mutec Zumæ mandato, quicquid optarent assequerentur. E contra Zempoalensium duces Teuchius, Manexius, & Thamaius, & ex Zacataminis primariis, qui bellatores habebant mille, idem plerique assentiebantur, ne Mutec Zumanis dediticiis fideret vllo pacto consulunt, trahendos esse nostros Mutec Zumanis ducentibus per loca discriminibus plena, perque passus insidiis struẽdis aptißimos. A mutec Zumanorum fraudibus caueret, enixe instabant. Se fore ductores per Tascaltecanorum terras apertas promittebant. Zempoalensium & Zacatamĩnorum consiliis inhærens per Tascaltecanos agros carpit iter. Præcedebat ipse Cortesius gradientes ordines cum equitibus, è quibus duos tractim præmittebat, qui si quid ante oculos ingrueret, vti exploratores cognoscerent & retrocedendo paratos esse oportere significarent. Ad leucas forte quattuor præmissi equites, ex alti collis vertice, delitescentes armatos vident in planitie subsequenti, iam Tascaltecani iuris. Hi visis equis, vt ab horrendo prospectu & tanta nouitate perculsi, idem esse animal hominem equo annexum arbitrantes, aufugiunt, vel se aufugere dissimularunt. Nostri dant pacis signa, vocantque per nutus & cum dextrarum motibus fugientes. E multis sistunt pedem quindecim. Insidias habebant paratas, duo præuij reliquos appellant subsequentes equites vt properent. Paulo vlterius prosiliunt è latebris armatorum milia forte qua-

Tascaltecani hostium helluones.

Iter capiunt per Tascaltecanos agros.

Exploratores præmissi.

tuor, prælium ineunt cum nostris. Vno ictu oculi duos interficiunt cum sagittis equos. Adit peditatus noster, hostes adoritur, sagittarum & scloporum globulis labefactati, pugnã deserunt hostes. Peremerunt ex his plærosque, è nostris autem nullus vltra interfectus fuit, aut vulneratus. Postero die ad Cortesium nuncij de pace petenda mittuntur. Duos è nunciis, quos diu Cortesius expectauerat, secum adduxerunt. Veniam pro actis petunt, excusationes innectunt. Milites externos eo die se habuisse dixerunt; quos retinere non potuerint. Factum id contra principum eius prouinciæ potestatem. Se paratos esse ad equorum solutionem, & si quid vltra damni sit illatum, obtulerunt. Excusationes admisit Cortesius. Procedens inde ad miliaria tria in vnius fluminis ripa castrametatus est & nocturnas distribuit vigilias, Barbaris male fidens. Elucescente die ad proximam villam contendit. In ea è quatuor suis nunciis. quos miserat tentatum incolarum animos, duos reperit fuisse ab incolis captos & vinculis astrictos, sed per noctem vinculis ruptis euasisse. Statutum erat vt perimerentur in castrino. Hæc ipsi retulerunt. Dum sic moraretur, ecce insperatos forte mille bellatores, clamoribus horrendis aera replentes, pila & iaculorum multa genera proiiciunt in nostros eminus. Blando illos allicere sermone studuit Cortesius, nil proderat. Ne lacessant nostros per interpretes protestatur. Quo placidius agebat, eo insolentius Barbari sæuiebant. Verterunt terga tandem & insequentes nostros paulatĩ traxerunt in latentes insidias armatorũ, vti Cortesius scribit circiter centum millium. Transiliunt Barbari, circuierunt nostros vndique, dubio euento pugnatum est ab hora præmeridiana ad vesperam. Ea pugna Zempoalenses & Zacatamini, Istacmastitani, reliqui etiam incolæ Cortesium sequentes, gesserunt se strenuè, necessitate coacti extrema: circunseptis namque inter Tascaltecanorum

Petunt pacem Tascaltecani.

Circunuẽti à Barbaris nostri dubio pugnant Marte.

terras nulla patebat ad fugam via. Vna illis fuit salutis spes desperasse de salute. Si victi fuissent lauta Tascaltecanis conuiuia suis carnibus concinnassent. Victi namque victoribus vertuntur in edulia. Vnde lambere iam labra cœperant Tascaltecani spe obsoniorum, quando gentem exteram suos fines ingressam fuisse, cum in sua multitudine confiderent, intellexerunt. Sed aliter illis cessit. Sex habebat Cortesius tormenta campestria, totidemque sclopetarios, sagittarios vero quadraginta, & his admixtos equites tredecim, bellica barbaris ignota instrumenta. Quare iam tandem dissipata est ea Barbarorum nubes. Suspensus animo tamen noctem illam egit insomnem & solicitam, in quodam sacello agresti idolatriæ dicato. Prima vero luce prodiit in apertum cum omnibus equitibus, ex peditibus autem suis centum & ex prouincialibus Istacmastitanis tercentum: pacato nanque & illud oppidum Istacmastitanum Cortesium receperat, dederatque trecentorum hominum suppetias in MutecZumam. Sumpsit & è Zempoalensibus & eorum conuicinis quadringentos, cæteris in impedimẽtorum, & castrorum custodia relictis, vniuersam hostium planitiem percurrit, vicos combussit quinque, deditque in prædam obuia quæque. Captiuos duxit ad castra quadringentos. Sed primo crepusculo, vix bene rubente aurora, ecce ruit ad castra, hostium tam innumerus numerus, vt campos omnes tegere videretur. Cẽtum scribunt & quinquaginta millia bellatorum aduenisse. Ad castrorum munitiones rabide certatũ est. Quatuor aiunt horarum spatio pugnatum fuisse, cum summo nostrorum discrimine. Re tamen infecta Barbari abierũt, cum vertere terga nemo quiret. Ex omibus timidis, leoninos animos sibi quisque tunc assumpsit. Fugatis hostibus Cortesius, veluti fœta tygris, prodit in infidos, qui se iam sparsim in suos lares receperant. Depopulando, sternendoque aut capiendo, vel perimendo quosque ob-

Hostium innumerus numerus.

uios, ad oppidum peruenit trium, vt aiunt, millium domorum amplius, igni ferroque vastauit vniuersum. His ita actis, ingẽtique formidine repletis prouincialibus, eius regionis proceres legatos miserunt ad Cortesium. Præteritorum veniam postulant, se fore illius dicto post id parentes & leges quascunque illius magni Regis nomine, quem Cortesius profiteatur, suscepturos pollicentur. In eius rei argumentum dona attulerunt apud eos honorifica, conos scilicet, ac cristas, bellorum ornamenta, arte mira compositas. Ad victum etiam necessaria, rem dico frumentariam & altiliũ suo more copiam. Diximus nanque sæpe, audiuitque id tua Beatitudo, volucres apud eos ali, gallinarum nostrarum loco, pauonibus grandiores, & nihilo gustu deteriores. Simulant pacẽ hostes.

CAPVT SECVNDVM.



AVDITIS quæ legati referre voluerunt, eorum dominos grauiter incusauit, præteritorum tamen damnorum se veniam illis impertiturum offert & in amicitiam admissurum, modo posthac in Hispaniarum regis obseruantiam sese fideliter gerant. Postero die, quinquaginta è nobiliorbus viri ad eum veniunt inermes, sub amicitiæ ineundæ nomine, exploratum castrorum ingressus. Cortesius cum vidisset fixo intuitu, ac semiturbido vultu illos inspectare castrorum situm, incidit in suspitionem. Semotum à sociis vnum ex illis, per interpretẽ fidũ seducit, hortaturque vt verũ fateatur. Pollicitis, ac blandimentis pellectus ille, rẽ aperit. Primariũ eius prouinciæ inquit, nomine Quesitangal esse in insidiis cum maximis armatorum copiis, quo ex insperato adoriatur castra nocte sequenti. Ad id missos sub specie pacis consortes suos, quo intelligant quà sit oppugnatio sumẽda, qui ve sit facilior

aditus ad frodeas casas quas nostri erexerant, ne sub dio agerent noctes, vt ea ingressi, casas incenderent & implicitos nostros ad ignem extinguendum adorirētur, ac trucidarent. Dolis, artibusque velle tentare fortunam inquit ille, quandoquidem virtute bellica, tam infœlici euētu profligati semper fuerint. His intellectis plenius voluit Cortesius rem cognoscere. Ex iisdem sociis quinque alios in secessum deduxit, minatus est mulctam, obtulit beneficentiam, sine discrimine omnes idem fassi sunt, quod primus. Priusquam de inquisitione fama vulgaretur, cœpit ad vnum quinquaginta illos. Abscissis dextris ad dominos remisit, cū his mandatis: Vestris principibus hæc referte, non esse virorum fortiū, aut virtute bellica egregiorum, insidis his artibus agere rem. Vos perfidiæ ministri, qui hostes ad nos, pro negotiatoribus venistis, vestræ iniquitatis has pœnas luite, vt abscissis dextris, ad eos reuertamini, qui vos auctores tanti facinoris elegerunt. Nos fore paratos quacunque hora venerint, illis dicite, siue noctu nos adoriantur, siue clara luce venerint: qui sint hi pauci, quos perturbare nituntur, intelligent. Eunt, quæ vident referunt, quæ passi sunt ostendunt. Venit Barbarorum turbo ingens bipartitus. Hora erat vespertina. Satius putauit Cortesius rem agere in aperto, dum per lucem ostendere Barbaris liceat equorum toruas & ignotas illis facies, furentiumque tormentorum vim, quam noctem expectare, quæ secum affert mille discrimina, his præcipue qui terras calcant alienas, locorū, si quæ sint mutanda, ignari. Visis equis & tormentorum furore, ac strepitu perculsi, primo congressu terga verterunt hostes per segetes, quæ in agris eo tempore frequentes erant. Sparsi quærunt latibula. Sunt eorum segetes Maiiciales, vti sæpe dictum est. Liberam reliquerunt Cortesio potestatem vagandi. Nihilominus non est ausus è castris per dies aliquot caput exerere. Ad leucam habebant à castris ciuitatem hostilem, quæ militum

Exploratoribus singulis dexteram abscindit Cortesius suisque remittit principibus.

Prodeunt hostes in bellum: fugantur statim.

cogebat

cogebat ad litui sonitum copiam innumeram. Audent enim & Cortesius scribere, & qui veniunt a re ipsa, dicere, viginti millium constare domorum ciuitatem illam Tascaltecam. Tandem per exploratores factus certior illius magnæ ciuitatis incolas imparatos esse, ac nil timentes, ex insperato ciuitatem secunda noctis vigilia inuasit, palantes & sopitos adoritur. Ciuitatis locum munitiorem occupat. Prima luce primarij veniunt ad eum, ne damna inferant supplices orant, se obtemperaturos eius dictis iurant. Commeatuum prouincialium copiam ad Cortesii libitum comportant. Regressus est victor ad castra, vbi socios reperit molesto esse in eum animo, quod eos duxerit, quà non liceat reuerti, nolle vlterius cum eo progredi posse nullo pacto euadere, quin propediem trucidentur ad vnum, cum se videant à tam feris bellatoribus septos vndique, fame, aut frigoribus interituros, quando Barbarorum tela vitauerint. Bellorum præterea euentus incertos esse, victoriam non semper esse in manu hominum: Reuertatur ad littus, vbi socii relicti sunt, hortantur, orantque. Quod si recusauerit, deserturos se illum protestantur. Cortesius autem, qui animo fixum habebat velle regionum omnium earum ciuitatem primariam adire Tenustitanam, prudenter, blandéque magis agendum existimans, quàm seuerè tractandum, ita disseruit. Quid rei est hoc Commilitones? Quid veremini? Nonne vobis constat Deum esse vobiscum, qui tot nobis successus præstitit fœlices? Putatis ne meliores esse, fortioresque, quos sumus quæsituri? Nonne videtis in manu vestra esse, vt Christi fides amplificetur in immẽsum? Quæ, qualiaque regna vestro Regi, vobisque ipsis, modo constãtes sitis, cõparabitis? Parũ est quod iam superest. Et si forte, quod minime vereor, succumbendũ foret, quid fœlicius? potuit ne quisquam hominum gloriosius vnquam vitã finiuisse? Memineritis præterea vos esse Hispanos qui solent esse imperterriti, neque vitam faciunt assis, vbi

Conqueruntur socij de labore & mortis periculo.

Oratio Cortesij ad cõmilitones suos magnifica.

vel Dei omnipotentis obsequium, vel gloriæ adipiscendæ facultas sese offerat. Præterea quo tendemus? quid faciemus ocio marcescentes in littoribus? Sumite animum, sumite, mecumque Barbaras nationes has, Christi legi, ac nostri Regis obseruantiæ subiicite. Quæ nam fama ex his gestis, quæ nunquam viuentium cuiquã se obtulerunt, relinquetur posteris? honoratiores erimus inter vicinos nostros in patria, quam fuerit vnquam Hercules in Græcia ex aduentu suo in Hispaniam, de quo adhuc monumenta extant. Sunt nostri labores multo grauiores, erunt & præmia maiora. Expergiscimini ergo & forti animo rem incœptam mecum capeßite, nil de victoria dubitantes. Habita oratione, bene sermocinatum Cortesium Centuriones annuerunt. Assensit populus marino fluctu mobilior, qui se quacunque flat ventus eà tendit, aures & linguam ad quemcumque sensum soluit. Militum animis sedatis, ad Cortesium ab eius regionis Imperatore generali, dicto Zentegal, legati venerunt, veniam de præteritis petunt, de sumptis in nostros armis. Ne mirentur arguunt, se regem nesciuisse vnquã, aut vlli paruisse, tantique semper fecisse libertatem, quod multa sint incommoda perpeßi à maioribus, ne Mutecҁumæ dicto auscultarent. Sed præcipuè vestibus Gosampiis & sale ad condiendum fercula caruisse, quod assequi nequeant, Mutecҁuma vetante. Si tamen nunc in amicitiam admittantur, facturos imperata pollicentur. Ignotum est omnibus, & admißi sunt. Distabat ea ciuitas Tascalteca à castris leucas sex, vt ad se proficiscatur ciues orant. Recusauit aliquandiu Cortesius, Principum ciuitatis tandem victus precibus, acceßit. Sed aliud est inserendum, priusquam progrediamur in Tascaltecanis rebus. Ad Cortesium venerant sex Mutecҁumæ familiares necessarij cum donis præstantibus. Monilia tulerunt va-

Populi facilis mutabilitas.

[Ae]rumnam [pa]cem offe[ru]nt Tet[?]caltecani.

ria, vestesque varias aureas ad summam Castellanorum aureorum mille. Gosampias etiam vestes mille variis fucatas coloribus. Hi cum intellexissent statuisse animo Cortesium, vt MutecZumam & eius ciuitatem visat, MutecZumæ nomine petierunt à Cortesio, vt deponat cogitatum illum, quia sit ea ciuitas Temistitana in aquis posita, omnium rerum egena suapte natura. Nisi ab exteris cõportentur, fore dificilẽ cõmeatus copiã tantis viris æquam. Auri, argenti, ac gemmarũ, aliarũque rerum omnium, quancunque summam Cortesius postulauerit, MutecZumam, vbicunque sedem figat, missurum, legati promittũt. Cortesius ad hæc: Nequire se vllo pacto postulatis eorum annuere, quod in mandatis habeat à suo rege, vt & vrbem eam & Regem eius visat, vestigetque diligenter omnia, quo per nuncios queat, quid rei sit, suæ Maiestati significare. Habita ea sententia, petunt, vt de Cortesii voluntate liceat de seipsis vnum mittere ad MutecZumam, cum eo responso. Mittendi venia impenditur. E sex collegis vnus it. In diem sextum rediit. Aurea tulit à MutecZuma decem, pondere paria, toreumata perpulchre laborata. Attulit & mancipiorum humeris, quod iumenta nulla consequantur alia, vestes mille & quingentas, prioribus mille preciosiores. Mirabuntur & hoc in loco qui angusti sunt spiritus & illa credent esse fabulosa, quæ nunquam audiuerunt aliâs, aut suis viribus esse imparia. His suo loco satisfaciemus, quando de MutecZumæ æconomica tractabitur. Sit satis euagatum à Tascaltecanis. Qualis, quantáque sit Tascalteca referamus. Hoc primum, vti supra tetigi. Democraticè partim, partim vero Aristocraticè vti aliquando resp. Romana, priusquã ad violentã monarchiã deueniret, patitur proceres (vti iam dixi), dominos fugiunt. Scribit Cortesius, aiuntque venientes, ciuitatem esse vrbe Granata multo maiorem, populisque frequentiorem & rerum om-

Legati à Mutecz uma ad Cortesiũ

nium ad victũ abũdantẽ. Pane Maiicio vtitur. Volucrib⁹ etiã & venatibus, fluuialique piscationi apta: maritima minime. Distat enim à mari nimium, leucas aiunt quinquaginta amplius. Habent & varia legumina. Intra mœnia lapidea lapideæ sunt domus, celsæ, munitæque, vt perpetuo suspecti, ob vicinos & continuos hostes. Fora frequentant, ac nundinas. Induuntur & vtuntur caligis. Monilibus aureis, ac gemmeis delectantur. Conos, cristasque plumeas variorum colorum, ad ornamẽta bellica magnifaciunt. Intexunt auro cuncta. Venduntur & in foris passim ligna humeris hominum allata, igni apta. Venduntur & ad vsum fabricationis trabes, tigna, tabulæ, lateres, saxa, calx: & architectos assequuntur, ac figulos egregios. Nullum est fictile vas apud nos, quod arte superet ab illis vasa formata. Herbarios, medicinales herbas vendentes habent. Balneis vtuntur. Ordinem habere, legesque, quibus se gubernent, cognitum est. Eius prouinciæ amplitudo in rotundum leucarum est nonaginta: cuius caput est hæc ciuitas Tascalteca, oppidis, pagis, vicisque ac montibus & vallibus vberrimis referta, populis fulta & his hominibus bellacibus, ob Mutecçumæ hostis perpetui viciniam. Huic hæret prouinciæ alia regio, nomine Guaçuçingo. Eodem regitur ordine, quo Tascalteca, sub reipublicæ norma. Latronum sunt omnes inimici, deprehensos per fora ducunt vinctos & fustibus ad animæ exhalationem cædunt. Sunt recti obseruatores. Viginti apud Tascaltecanos egit dies. Quo tempore sex Mutecçumani nuncii illius semper lateri adhæserunt, persuadere Cortesio conantes ne sibi Tascaltecanos conciliaret, ne fideret insidis ac dolosis hominibus. Tascaltecani è contra, Mutecçumanos tyrannos esse, ducturosque Cortesium in præceps aliquod ærũnosum, si eis crediderit. Hac dissensione tacitus gaudebat Cortesius. Alterna illorum odia sibi profutura putauit, placidis orationibus vtrosque depascebat. Instabant Mutecçumani

legati vt se Cortesius à Tascaltecanis exolueret, ciuitatemque adiret, non longius quinque leucarum interuallo distantem, MuteçZumæ ditionis nomine Chiurutecal. Inde dicebant facilius posse tractari quicquid cum MuteçZuma esset agendũ. E contra Tascaltecani Cortesio renunciabant insidias esse illi paratas & in via & in vrbe ipsa Chiurutecala. In via quod pluribus in locis eius ciues absciderint itinera in quibus equi periclitarentur, & alia à veteri cursu deducta itinera significarunt. Intra vrbem vero vias esse conclusas plærisque in locis & aggeribus munitas. Coegisseque ciues illos in solariis ac turriculis & fenestris, vicis ac viis publicis imminentibus lapidum magnam congeriem, quibus ex alto adeuntes nostros conficerent. Corrupto viuere contra nostros animo Chiurutecalenses, argumento esse dißeruerunt Tascaltecani, quod nunquam, vti ex distantiore ciuitate GuaZuZingo fecerant, ad se venerint Chiurutecalenses. Hac re intellecta misit Cortesius ad Chiurutecalenses conquestum de iniuria & negligentia illorum. Mandato Cortesii cognito, legatos miserũt, sed plæbeios & nullius momenti homines, qui dicerent se non venisse hactenus, quod per terras inimicorum erat veniendum, bono tamen esse animo erga Cortesium Chiurutecalenses retulerunt. Cognita contumelia, quòd primores ad se venire fuerint dedignati, minabundus vulgares illos dimisit, cum mandatis, nisi post tertium adessent diem primarii ciuitatis illius, iturum se hostiliter in eos, quid soleat iratus operari se experturos inquit, si distulerint accessum ad præstandam Hispano Regi obseruantiam, cuius est omnium terrarum illarum imperium. Venerunt. Excusationes innexas, admissurum se Cortesius ait, si steterint promißis. Se libenti animo facturos imperata polliciti sunt, séque id cogniturum & Tascaltecanos fuisse mentitos intellecturum & tributa se impartituros ad Cortesii edictum, si ad se ierit, obtulerunt. Ita diu ambiguus in

diuersa trahebatur studia. Statuit tandem experiri fortunam & Mutecҁumanis morem gerens, iter capit Chiurutecalam versus. Tascaltecani vero sententia eius audita, nil proficere sua consilia cernentes, nullo pacto se passuros inquiunt, vt Cortesius Mutecҁumanorum fidei se libere credat, ita vt in eorum sit libera potestate, posse illi obesse. Se gratos fore homini, qui tanta sit vsus in eos benignitate, admiseritque Tascaltecanos post innumeros errores in amicitiam, quum delere penitus eos in benemeritam vindictam potuisset. Centum armatorum millia prætoriæ cohortis loco se daturos instant. Vetuit Cortesius. Nil vetuisse profuit. Cum ea phalange centum pene millium prima nocte castra locauit, in vnius obiecti fluminis ripa. Duobus inde millibus in sui tutelam retentis, cæteros dimisit, meritas illis, vt par erat, grates agens. Accedentes nostros Chiurutecalenses sacerdotes, more suo cum puellarum, puerorumque cantibus, & tympanorum ac lituorum clangoribus procul prodeuntes susceperunt. Introeuntes sat commode hospitati sunt, ac depasti, non laute tamen, aut copiose. De viarum clausura & aggeribus, déque paratis lapidibus aliquid senserunt, vt à Tascaltecanis fuerant moniti. Ecce à Mutecҁuma nuncios recentes: ciues Chiurutecanos hi sunt allocuti ad aurem, Cortesium minimè. Quid egerint cum nostris nuncij sciscitati sunt, ciues nil vltra responderunt. Quare motus in suspitionem, Tascaltecanorum consilii memor, Cortesius per Hieronimum Aquilarem interpretem, qui & harum terrarum idiomata callebat, cum in vicinis terris diu seruierit, iuuenem vnum admissum percontatur. Quæ intellexit, hæc sunt. Chiurutecalenses, inquit ille, pueros omnes, ac senes cum fœminis & facultatibus emisisse nostris adeuntibus. Quid aliud cogitent se nescire profitetur. Proditio est detecta, sed ordine quo referendum est. Apud fœminam Chiurute-

Proditio detecta.

calensem puella versabatur Zempoalensis, quæ virum, vel forte amicum sequuta fuerat. Chiurutecalensis fœmina his verbis Zempoalensem aduenam alloquitur. Amice proficiscere mecum. Quo tandem, inquit, ille? extra vrbem, & procul hinc ait. Quid rei moueat illam interrogat aduena. Venturam ea nocte refert à MutecZuma multitudinem armatorum innumeram, quotquot intra hæc mœnia repererint, trucidabunt. Quod tui miserear hæc tibi aperio: ne moreris, ni vna cum cæteris placidos hos tuæ puerilis ætatis annos crudeliter finire desideras. Aquilari puella rem detegit. Vestigaturus negocium, rem Cortesius cognoscit, vera esse intellexit. Chiurutecalenses primarios accersit. Suos esse paratos in armis imperat. Centurionibus rem aperit, vt dato sclopetæ signo, ruant in sceleris autores, quos ipse vocatos erat habiturus in sui hospitii aula coniunctos. Veniunt principes ciuitatis, in vincula, re prius monstrata, conicit, in equum salit, exit. Atrij sui fores armatis circunseptas reperit. Ciuium erat ea multitudo, quæ venturos expectabat, armata. Adoritur illos, priusquàm reliqui accederent, pugnatum est diu acriter, ait ipse quinque horarum spacio. Strauit tandem Barbaros infidos. Ad atrium redit aßignatum. Ciues vinctos ad se vocat. Cur ita fiat interrogati, responderunt se à MutecZuma fuisse deceptos. Ipsis inuitis id actum esse. Si pepercerit, se pollicentur fore perpetuo obnoxios, neque MutecZumæ vltra parituros. Zempoalenses, ac Tascaltecani auxiliarii, se habuerunt eo die strenuis animis, ob conceptum in MutecZumæ tyrannidem odium. Pepercit ciuibus Cortesius. Vt mulieres & pueros, ac reliqua repeterent, reducerentque imperauit. Ita factum est. Repleta est suo populo ciuitas. His actis operam dedit, vt Tascalteca-

ni & Chiurutecalenses conciliarentur & conuenirent animis, qui prius opera MutecZumæ dißidebant, odioque sese in uicem capitali prosequebantur. Est ea ciuitas Chiurutecalla in vberi planitie, domorum, vti scribunt, intra muros calce, ac lapidibus constructos viginti millium, per suburbia totidem. Fuerat quondam respublica. Dediticiam fecerat, ac dicto parentem sibi MutecZuma. Vtraque ciuitas nobis iam parebit libens. Sunt ditiores, vestesque assequuntur nobiliores hi, quàm vicini eorum Tascaltecani. Per deductas foßas magnam suæ planitiei partẽ irrigãt Chiurutecalli. Turritis mœnib⁹ est bene munita. Ex vno celso tẽplo scribit Cortesius quadringentas se turres numerasse tracti, per ciuitatis vicos rectas ampli⁹, quæ omnes templorum fungebantur officio. Habet hæc regio terras aptas ad pascua, quod se nullibi hactenus in illis terris reperisse ait quia sint aliæ populis adeo refertæ vt vix ad serendum agri copia suppetat. Quum hæc ita succeßissent. MutecZuma legatos ad se vocat, incusat heri sui artes iniquas, dolo agere & aliena manu insidiose moliri, non esse principis egregii, qualem esse MutecZumam arbitrabatur. Datam alias per internuncios amicitiæ fidem, se non vltra seruaturum ait Cortesius, quandoquidem ita proditorie MutecZumã contra iusiurandum ea fuerit machinatus. Legati vero semiexanimes suum herum nil tale cogitasse, aut sciuisse dixerunt, tempus ea detecturum, quæ ipsi dicant. Fidei seruatorem semper fuisse MutecZumam, inquiunt: quo se ab ira Cortesii seruarent Chiurutecalenses ea fuisse commentatos. His dictis petũt à Cortesio legati vt cum bona ipsius venia liceat vnum è suo collegio mittere ad MutecZumam ea renunciatum, quæ tractentur. Datus est commeatus. Intra paucos dies regressus, dona tulit Rege digna. Lances aureas decem, vestes gosampias, vti scribit, suo more, mille ac quingentas. Iam dixi aliàs vt angustis animis satisfiat, me apertius hæc dicturum, vnde

Descriptio vrbis Chiurutecallæ.

tot vestes is Rex assequatur in ipsius Regis œconomia. Comestibilia præterea multa. Sed præcipue vinum, quo Reges & proceres fruuntur à populo diuersum. Multa namque poculorum genera conficiunt, ex maiicio generale plebeium, è fructibus variis meliora. Sed ex amigdalis quibusdam, quibus pecuniæ loco vtitur mira. De hac amigdala dicemus infra. Per eum familiarem igitur MuteZuma & recentes alios legatos affirmauit ignota sibi esse, quæ Chiurutecalenses dixerint de se, mentitos in sui excusationem: futurum aliquando vt intelligat veram esse inter se amicitiam, neque fraude media cõsueuisse MuteZumam res tentare. Postulat inter hæc tamen iterum, vt à sumpto proposito adeundi suam ciuitatem decidat, ob rerum carentiam, quia in aquis posita ciuitas illa, rerum omnium sit indiga sui natura. Suis incolis esse à veteri viciniæ commercio satis refertã ait. Sed si hospites accesserint, futuram inopem & egenam. Id se annuere posse Cortesius negauit, quod ita in mandatis habeat à Rege suo. Cognita Cortesii sententia, per legatos Cortesio significat, se in ciuitate expectaturum & pro viribus daturum operam, ne quid deficiat. Misitque primarios plærosque, qui eum ad se comitentur. Monet igitur versus Tenustitanam ciuitatem, visendi cupidus. Ad leucas octo montem æstate cineribus coopertum, ac bicipitem reperit vndique liberum, nomine Popocatepeque, quod idem significat, quod mons fumosus, quia eorum lingua Popoca dicitur fumus, tepeque mons. A cuius verticibus fumus exit perpetuo flatu, validus, recta tendens ad nubila, vti obscura nubes crasso surgit vapore, adeo vt magnæ domus quantitatem æquet fumus, tolliturque in auras tanto furore, vt licet acribus ventis aer concutiatur, neutiquã tamen detorqueatur fumus. Eam rem admiratus Cortesius, decem viros animo pollentes Hispanos ducentibus indigenis misit, qui tantæ rei causam, si possibile fuerit, vestigent. Dicto parent, montẽ ascẽdunt

Mons Popocatepeque.

quo propius potiêre. Non licuit per densos cineres ad extremum apicem accedere, se tamen applicarunt adeo, vt rugitum exeuntis flammæ, fumique strepitum senserint efferum & formidolosum, cum perpetuis turbinibus montem pererrantibus, ita vt mons ipse tremeret, ac velle ruere videretur. E nunciis autem duo cæteris audentiores Hispani, culmen prehendere, dissuadentibus incolis statuerunt. Ad prospectũ vastæ faucis illius ascenderunt. Hanc sesquileucam esse patentem prædicant. Flammæ sæuientis stridore perterriti, redierũt, sorte sua fœlices. Euaserunt subcrescentis flammæ impetum, quæ lenius eo tempore scatebat, sed breuißimo interiecto spatio, cum lapidum iactu inaudito, regressa est rabidißima, & nisi forte fortuna locum parumper concauum in via reperissent, qui latibulum illis præbuit, donec lapidum ille delapsus præteriret (neque enim semper lapides iaculatur mons ipse) actum erat de illorum vita. Fuit incolis tantæ res hæc admirationi, vt ad eos visendos vndique concurrerint cum muneribus, veluti ad semideos. Hoc est Pater sancte non prætereundum. Reges arbitrantur incolæ, qui aduerse gubernauerint viuentes, habere sibi sedem, temporaneam tamẽ, inter illos ignes, vbi scelerum labes expurgent, cacodæmonibus comites. His perquisitis Mutecζumani legati Cortesium ducebant, quà Tascaltecani eundum dissuaserant. Ea namque via passus incommodos, fossas, ac lacunas angustis pontibus refertas habet, vbi facile profligari quiret exercitus, quia non poßint confertim per ea loca traiicere. Aliud ergo iter aliquanto lõgius ac difficilius, quia per lapidosas terras, aggressus est. Per imas altorum montium fumigantium valles, vnde cum iam exirent & ex collibus montanis à fronte despicerent, vallẽ prospectant ingentem. Ea est Colua, in qua magna ciuitas Tenustitana lacunaris iacet. Duobus lacubus est nobilis hæc ingens vallis, salso vno, in quo ciuitas est sita (is est ambitu leucarum

Audacia Hispanorum.

vt ipsi aiunt, sexaginta) dulci altero, de quibus latius infra dicemus. MuteCzumæ legati, qui nostros comitabantur, cur per aliud iter ducere agmen tentarent, interrogati, responderunt se non negare quin hoc iter sit commodius. Sed quoniam per GuaZuZingorum terras hostiles erat eundum, itinere diei vnius, quodque commeatuum copia forte defuisset, ea via suasisse illud. Hic aduertendū quod GuaZaZingi & Tascaltecani, respublicæ duæ, fœderibus erāt, & animis in MuteCzumam connexis: inde pauperes esse repererūt, quod circunsepti ab hoste tāto, nullius alterius nationis commercio fruebantur. Quare prouincialibus suis tantū prouentibus vsi, calamitose viuebāt, ne Regi cuiquā subderent colla. Cortesio tamē, quod se sperarēt eius opera posse aliquando libere vagari, amicitiæ fœdera præstiterunt, & in signum eius rei mancipia quædā & suo more vestes, pauperes tamen, dono dederunt, victuiq; necessaria sat copiose, vno die tantū, sunt impartiti. Iam Augustus terga vertebat, quando necdum bene montium illorum fauces egressus, ad atrium campestre, ad delitias æstiuas extructum, ductus est, ingens adeo, vt in eo noctem illam vniuersus exercitus sat commode fuerit hospitatus. Reperit namque censu habito, secumē Zempoalensibus, Tascaltecanis, GaZuZingis & Chiurutecallensibus armatorum milia quattuor amplius, è suis Hispanis vix tercentum. Sed vti iam dictum est, ad sedandos exilium & angustarum mentium sermones, tormentis & equis, generibus ignotis, res agitur, magis quā bellatorum multitudine. Neque victus defuit. MuteCzumani quippe oeconomi, quacumque nostri proficiscebantur, satis lautè prouidebant. Frigore hic tremuerunt, ob altorum montium viciniam, propterea magnis ignibus opus fuit. Ad Cortesium MuteCzumæ frater, cum proceribus plærisque venit, eo die. Dona tulère MuteCzumæ nomine trium millium

castellanorum auri, monilia egregia, admixtis tamen precibus ut reuertantur, sistantque ubicumque placuerit. Tributa præbiturum Mutec Zumam quæcumque Cortesius dictauerit, modo ire desinat ad ciuitatem aquis circunseptam, ubi necessario cum tanta præcipuè multitudine, sit laborandum inopia rerum, quia suapte natura nihil producat, nullo pacto defuturum, aut ullo tempore ab eius Regis, à quo se missum ait, obseruantia. Repetitis Mutec Zumæ, quanto lenius potuit Cortesius id se libenter facturum, ut tanto Regi morem gereret, si per sui Regis mandata liceret. Aduentum suum non debere ipsos arbitrari futurum incommodum, immo utilem, ac honorificum. Se iturum quando aliter nequeat efficere. Si vero posthæc fuerit Mutec Zumæ sua mora molesta, rediturum se ilico fœderibus ictis & compositis rebus inter utrūque, quæ multo clarius & commodius fient coram, quam per nuncios alternos. Dum in his versarentur, non destitisse interea incolas ab insidiis parandis ait Cortesius, syluasque atrio montanas imminentes, ea nocte armatis fuisse refertas. Sed se adeo cautum semper fuisse iactat, ut ab eorum artibus, ac dolis, facile se exemerit. Mouens inde ciuitatem versus lacunarem, reperit terrestrem ciuitatem aliam, domorum, ut aiunt, viginti millium, nomine Amaquemeca, cuius prouinciæ nomen est Chialco. Eius loci Regulus Mutec Zumæ ditionarius, biduo nostros laute, copioseque depascuit, deditque hospitibus dono triū millium Castellanorum auri, monilia, uti alius paulo ante dedit, & quadraginta mancipia. Ad leucas inde quatuor, lacunæ inhæsit dulci, ea multo minor salsa est. Vrbs est in eius littore, parte dimidia in aqua, altera in sicco. Adiacet urbi mons altus. Ad Cortesium illuc venerunt viri duodecim, quorum primas lectica vectus est, humeris hominum. Annorum erat quinque ac viginti. Ad huius descensum è lectica celeri cursu properarunt cæteri, sordesque omnes ac lapillos,

& si palea ibi iacebat, paleam purgando quà iturus erat salutatum Cortesium. Post salutatum Muteczumæ nomine Cortesium, ab eo petiit, ne argueretur, rex incuria, vel negligentia, quod non prodierit obuiam ægrotare illum inquiens, se autem missos, vt eum comitentur. Si tamen propositum adeundi mutare vellet, fore sibi gratissimum. Blandis illos verbis & gratis quibusdã nostratibus munusculis demulsit. Abierũt alacres. Illorum vestigia secutus Cortesius, oppidum aliud in aqua lacunæ dulcis positum, domorum mille & quingentarum inuenit. Lintribus ad illud itur, ac reditur. Sunt eorum cymbæ vn lignea vti de Canois insularium sæpe dixi, vocant ipsi nauiculas eas Acales. Progrediens per eius lacunæ mediũ, stratam reperit viam altitudine hastali, quæ ad aliud oppidũ ducit egregium, domorum bismille. Fuit hic honorifice susceptus, vt apud se pernoctaret Cortesius oppidani optabant, negarũt Muteczumani Principes comitantes. Ad ciuitatem multo maiorem ea vespera illum Muteczumani duxerunt, quæ, iam lacunæ salsæ littus tangit, nomine Iztapalapam. Ea est fratris Muteczumæ ditionaria spacio trium leucarum ab oppido priore, cuius nomen Tacatepla. Ab Iztapalapa distat alia ciuitas, nomine Coluacam leucas tres, à qua & prouincia Colua, vnde nostri ab initio dedere nomen vniuersæ terræ, quod à longe de illa intellexerant. Iztapalapa est domorum, vt aiunt, octo millium, egregiarum maiori ex parte. Coluacana non multo minor. Apud Muteczumæ fratrem erat Coluacanæ regulus, qui & ipse Cortesium preciosis donauit muneribus. Iztapalapæ reguli atrium aiunt esse miris modis calce ac lapidibus fabrefactum. Lignariam etiam artem in eo pollere dicũt. Pauimẽta esse regalia, penetraliaque & cubicula cum ingentibus aulis, laudant apertis faucibus. Hortos habet ea domus variis arboribus & oleribus, ac floridis herbis, & suaue olentibus cultißimos. Cum multis etiam piscium

generibus stagna ingentia insunt, in quibus adnatant omniũ aquaticarum volucrum species variæ. Ad lacunarum usque solum profundum descendi potest per gradus marmoreos allatos à longe. Mira vero de ambulatoria cannarum retibus circumsepta, ne quis ad areas, aut arboreos fructus libere possit introire. Mille blandimentis sunt illæ sepes constructæ, uti apud delicatos cardines purpureos ex myrto, aut ex rore marino, buxo etiam, & multis in locis aliis accidit, pulchra visu omnia. Minuta de his rebus refert multa, quæ iam me sua prolixitate fatigant. Cæteris omißis in Tenustitanam ciuitatem, & Muteczumæ optatos ab una partium amplexus iam virum istum Cortesium proiiciamus.

CAPVT TERTIVM.

ITUR ex Iztapalapa ad Tenustitanam magni regis Muteczumæ sedem, per manufactum arte, ac impensa incredibili murum lapideum, in aqua ipsa erectum, duarum hastarum latitudine. Is murus pontis officio fungitur. Est namque & Iztapalapa ipsa parte aliqua, in salso lacu, reliqua in terra ædificata. Lateri uni pontis illius duæ ciuitates inhærent, partim in aqua fundatæ. In altero una, quarum prima obuia gradientibus, dicitur Mesiqualcingo: Secunda est Coluacana, de qua paulo ante: Tertia vero dicitur Vuichilabusco. Primam aiunt domorum esse triũ millium amplius, sex millium secundam, tertiam quatuor millium, turritis omnes & magnificis fultas Idolorum templis. Ciuitates hæ ponti adhærentes sal conficiunt, quo uniuersæ illarum terrarum nationes utuntur. Ex aqua lacunæ salsa, illud congelant, per fossulas in terram ad id condensandum aptam, deducta. Congelatum concoquunt, in glomos posthæc,

Quomodo sal cõficiant.

aut paniculos formant, per fora, & nundinas peregrinarum rerum permutatione asportandum. MutecZumæ tantũ dedititii salis illius commoditate participes fiebant. Detrectantes autem illius mandata minime. Sine sale propterea Tascaltecani, & GuaZuZingi, plærique etiã alij suas escas condiebant, quia, vti diximus, MutecZumæ imperio aduersabantur. Sunt huiuscemodi muri, qui pontium à terrestribus locis ad ciuitates aqueas vicem gerunt, plures, seque interdum vti viæ diuersæ coniungunt. Ad hunc murum ab IZtapalapa discedẽtem, murus alter ab alio ciuitatis latere occurrit. In obiuio Castellum erectum est turrium duarum inexpugnabilium. Inde vno itinere itur ad ciuitatem. In his muris, seu pontibus, tractim sunt ponticuli trabeales, mobiles, qui quando bellica ingruit aliqua suspicio, eleuantur. Propter portuaria etiam fieri arbitror scissuras illas ne fraudentur, vti multis in locis, quæ pace tranquilla fruuntur, videmus ciuitatum claudi noctu portas, non alia de causa. Pontibus eleuatis putei restant aquarũ transeuntiũ. Aditũ præbet aquis, fluũt ibi ac refluũt aquæ, vti aiunt. Hoc est in natura mirũ, meo & illorũ iudicio, qui credere se nullo pacto aiunt posse id accidere, quod ipsi non aliâs legerint, Pater Sancte. Distat à mari ciuitas hæc lacunaris, siue lacunæ ipsius salsæ situs, leucas septuaginta amplius. Iacentque medii montium altorũ tractus duo, duæque valles ingentes inter vtrosque montes. Maris tamen fluxum suscipit, ac refluxum lacuna, ni mẽtiuntur. Sed quà sit maris ingressus aut regressus nemini cõstat. Fluctu aduentãte, per duorum collium fauces, in dulcis lacunæ alueum euomitur salsa, redeunte vero impetu redit ex dulci ad salsam, nec propterea dulcis ita corrũpitur, quin bibi poßit, neque salsa dulcescit. Satis de lacunis, muris, põtibus & castellis. Ad spectaculũ tãdẽ Hispanis placidũ, quia diu optatum, Tenustiatanis prudentibus forte aliter, quia verentur fore, vt hi hospites quie-

tem suam Elysiam veniant perturbaturi, de populo secus, qui nil sentit æque delectabile, quàm res nouas ante oculos in præsentiarum habere, de futuro nihil anxius. Ad hoc biuiū vsque à ciuitate venerunt obuiam Cortesio mille viri, patrio more ornati. Cortesium, sua quique cerimonia vsi, salutant: Ea est, terram dextra contingere, mox qua parte dextræ terrā tetigerint, eam osculantur in obseruantiæ signum. Nobiles hi curiales omnes erant. A tergo rex ipse tantopere desideratus, iam tandem aduenit. Est ea via, vt iam dixi sesquileucam, aiunt alii duas leucas, producta, adeo tamen recta, vt rubrica iactata nihil poßit deduci rectius. Si oculorum prospiciētis alicuius acies ei seruiuerit, ex ipso castello vnde Cortesius mouit ad MutecZumam ciuitatis ingressum facile percipiet. Per pontis eius medium iter gradiebatur Rex, per pontis latera gēs reliqua subsequenter ordine seruato, æquo inter se distantes interuallo. Nudis pedibus omnes. A lacertis MutecZumam duo Principes, quorum vnus frater eius erat, IZtapalapæ dominus, è primoribus alter, regem captum trahebant, non quod indigeret tali auxilio, sed moris est eorum ita obseruare reges, vt procerum viribus sustineri videantur. Accedente MutecZuma, Cortesius ex equo quo portabatur, desiluit. Amplexurus Regem adit. Collaterales principes prohibuerunt. Nefas apud eos est regem tangere. Qui à lateribus veniebant, agminibus compositis, aßignata deserebant loca, vt singuli cum solita cerimonia Cortesium salutarent. Ad locum quisque mox suum regrediebatur, ne ordo confunderetur. Post peractas alacres salutationes, Cortesius ad Regem conuersus, quem collo gestabat exigui precii torquem sibi abstulit, & regi collo imposuit. Vitrei namque variorū colorum erant, Adamantes partim vniones & Pyropi ex vitro partim. MutecZumæ tamen donum placuit. Duobus aliis torquibus gemmeis, & aureis cocleis, & cācris aureis appensis cōpensauit MutecZuma.

Susceptis

Susceptis omnibus, qui exierant obuiam, faciem vertunt ad ingentem illam miraculo ascribẽdam ciuitatem. Eodem ordine, quo venerant, regrediuntur omnes per pontis eius admirandi latera, medio pontis campo MuteçZumæ Regi, nostrisque solis relicto. Proh facinus spectandum & horrendum dictu. Ab vtroque Pontis eius exteriore latere, crebræ turres erant in lacu sitæ magnifice, quæ omnes templorum vices gerebãt. In his passim vel mancipiorũ precio emptorũ, vel dediticiorum filij vectigalis loco ad id destinati, corpora pro hostiis immolabantur, horrore quodam non intellecto. Scalpi sibi viscera transeũdo plærique rem intelligentes professi sunt. Ad atrium tandẽ ingens, veterem MutecZumæ maiorum sedem, ornatu regio comptum, peruentum est. Ibi locauit MutecZuma Cortesium in Aula regia super throno aureo, reuersusque est ad aliud atrium. Lautis & regalibus iussit omnes Cortesii comites dapibus saturari, hospitiisque cuique ipsorum commodis suscipi. Post paucas horas pransus rediit ad Cortesium MutecZuma. Cubicularios, ac necessarios familiares duxit, vestibus auro, & viuacissimis coloribus intextis, ex Gosampio onustos. Incredibile dictu, sed quam credibile sit, infra dicemus. Sex milia vestium aiunt qui eas vidêre. Scribit idem Cortesius. Ex auro, atque argẽto vnâ dona multa tulerunt. Erat apud Cortesii tribunal stratum aliud tabulatum, eodem ornatu comptum. In illo MutecZuma vocatis ad se proceribus regnorum omnibus, orationem habuit huiuscemodi, vti per interpretes quos Hieronymus Aquilaris intelligebat, perceperunt.

Viri virtute bellica egregij, & in supplices benigni, fœlicem opto, speroque fore congressum hunc vestrum. Faustus ad has terras sit vester aduentus. Dehinc ad proceres conuersus suos hæc ait. Ex relatu maiorum cognouimus nos esse aduenas. Ad oras magnus quidam princeps post omnium viuentium memoriam, classe vectus, maiores nostros perdsi- Oratio MutecZumæ.

xit, an sponte sua, an tempestatibus actus, nō liquet, comitibus relictis discessit in patriam, regressus demum voluisset adductos remeare. Domos iam sibi construxerant, prouincialibusque fœminis sociati filios procreauerant, ac fixa domicilia habebant pacatissima. Renuerūt de reditu maiores nostri, neque illius dicto vlterius auscultarunt. Elegerant namque iam sibi de seipsis & senatum, & populi principes, quorum consiliis regerentur, feruntque abiisse minabundum. Nusquam apparuit ad hæc vsque tempora quisquam ius illius ductoris repetens. Vos hortor, moneóque meorum regnorum proceres, vt eadem obseruantia tanti regis ducem hunc, qua meipsum prosequamini, vectigaliáque mihi debita, illi ad sui libitum præbeatis. Ad Cortesium deinde faciem vertens, hæc addidit. Arbitramur ergo ex his, quæ dixi, regem eum, quem vos misisse dicitis, originem ab illo traxisse, quare bonis auibus adsitis, quiescite animis à laboribus, quos immensos, ex quo has terras estis ingressi, fuisse passos intellexi, languentia iam corpora curate. Vestra sunt omnia quæ possidemus regna. Tibi Primario quicumque sis, duci ad hoc misso, regnis omnib⁹, quæ mihi fuerunt obnoxia, liceat imperare. Quod autem ad Zempoalensium, Tascaltecanorum, & Guazuzingorū relata, de me attinet, iuremerito illa capi debent, vt ea, quæ de hostili animo processerunt: rerū experientia fuisse mentitos ostendet. Domos meas esse aureas, aureas & storeas, ac suppellectilia aurea, méque Deum esse, non hominem, blatterarunt. Lapideas esse mihi ædes, ex fluuialibus herbis storeas, ex gosampio suppellectilia tu ipse vides. Aurea me habere monilia in thesauros congesta fateor. Ea sunt tua: illius tanti regis nostri nomine vtere pro libito. Quod autem me non esse hominem, ac immortalem tibi dixerint, en brachia, en crura mea, carnea ne sint, atque ossea, tu videris. Hæc dicēs, brachia, cruraque semilachrymās detegebat. Vbi dicēdi finē fecit, solatus est eū Cortesius, & rei bene gerendæ spē dedit. Discessit his actis Mute-

In potestatē Cortesii omnia ponit

Zuma, satis vultu lætus, an stomacho sedatus, qui aliquãdo gustauerit imperium, ne patiatur collegã, iudicet, & an hospites per vim quis vnquam libens susceperit, experti loquantur. In vocatorum principum facie, qui demissis in terram oculis, id audiuerant, quàm placidus fuerit ille conuentus, liquet intelligere. Lachrymabundi namque cum suspiriis, ac singultibus quicquid actum est susceperunt, hæsitaruntque diu silentes. Se tandem Mutec Zumæ mandata sequuturos sunt polliciti. Nõ potuisse tamen tanta, támque repentina rerum permutatione nõ perturbari animis. Dimisso consilio ad natales quisque suos perrexit. De hoc iam satis. Quæ successerint ex eo congressu nunc referamus. Mutec Zumæ, suisque dediticiis, & necessariis, pessimo quidem successu omnia euenerunt, vt infra dicemus. Sed nostræ religionis augmento, egregiè. Speramus namque fore, vt propediẽ sanguinaria illa libamina tollãtur è medio, cum amplexu mandatorum Christi. Ita egerunt dies tranquillos sex. Post vero ærumnosos subsequentes omnes, adeo, vt nihil infœlicius populari cuiquam acciderit, ne modo regi vnquam. Sex namque diebus illis elapsis, siue quod ita euenerit, siue quod ita occasionem nancisci voluerit Cortesius, ab eo arcis præfecto, quem in Coloniæ Veræ Crucis præsidio relictũ diximus, litteras habuisse paulo ante dixit, quibus præfectus ille renunciabat, Coalcopocam eius prouinciæ regulũ, in qua Cortesius coloniam erexerat nomine indito Almeriam, rem fœdam, & nullo pacto ferrndam admisisse. Coalcopocam retulit præfectus ille misisse nuncios ad se, qui dicerent Coalcopocam regem ad eum non venisse hactenus salutatum, & præstitum eam obseruantiam, quæ tanto Regi deberetur, quãtus ille est, quem profiteantur Cortesius, & socii, quia transeundum erat per inimicorum terras, à quibus incõmodi aliquid peruenturum vererentur, propterea petit, vt præfectus Hispanos è suis aliquos ad se mitteret, futuros viæ co-

Littera ad Cortesiũ à præfecto Veræ crucis.

mites in sui tutelam. Sperasse quippe se aiebat non ausuros inimicos moliri aduersi quicquam Hispanis comitibus. Credidit nuncio præfectus. Quatuor Hispanos ad Coalcopocam misit, qui eum ad se comitarentur, per amicas ipsi terras, Coalcopocæ autem contra. Adeuntes nuncij, intra Coalcopocæ fines fuerũt oppreßi, duos illico grassatores peremerunt, reliqui duo vulneribus confoßi euaserunt. Coalcopocæ consilio actũ arbitratus præfectus in rei vindictã in Coalcopocam tendit. Equos habebat duos tantum, cum his sclopetarios, & tormentorum vasa quædam ac pedites. E comitibus quinquaginta secum ducit, auxilio tamen vicinorum Coalcopocæ inimicorum accito, ciuitatem Coalcopocæ impetiit. Obstiterunt acriter Coalcopocani. In oppugnatione septem Hispanos peremerunt, ex auxiliariis & plerosque. Tandem expugnata & in prædam data fuit Coalcopocæ sedes, ciuibus multis trucidatis, captisque. Coalcopoca fugiens euasit. Occasionem hanc nactus Cortesius, miserum MutecZumam statuit labefactare, veritus ne forte fortuna mutetur, néve aliquãdo fastiditus Hispanorum insolentia, quos ipse in ocio præsertim & saturitate frenare nequibat, timens etiam ne diuturna hospicii molestia iam hospites suscipientes desperaret, MutecZumam adit: Scriptũ ad se fuisse inquit, dictúmque, Coalcopocam dediticium suum, ea in præfectum arcis Veræ Crucis patrasse, non inscio solum, immo iubente MutecZuma. Se non ea credidisse inquit Cortesius. Ad tollendam tamen omnem suspitionem ab animo regis magni, ad cuius aures rem deuenisse fabulatus est, oportere, vt ad atrium, quod ipse Cortesius inhabitat, proficiscatur MutecZuma, quo scribere queat se habere illum in potestate, licet nihil velit de vrbis & regnorum regimine immutari. MutecZuma vero, quamuis intelligat autoritatem suam paulatim ire præcipitem, annuit postulato tamen. Lecticam, qua transeat, afferri iubet. Murmur in populo ex tanta nouitate rerum exortum est, ac tumultuari cœptum. Armorum deiectum, & si-

Coalcopoca ciuitas à nostris expugnata

lentium indixit MutecZuma. Se sua sponte id facere persuasit omnibus. Comitati sunt herum obortis lachrymis proceres, ac familiares. Paucos post dies petit, vt Coalcopocam, & illius facinoris participes accersat puniendos, quo possit ipsius innocentiam apud magnum regem expurgare. Paret MutecZuma. Familiaribus fidis accitis dat sigillum arcanum, in suæ vltimæ voluntatis argumentum, addito in mandatis, vt vicinioribus vocatis populis dediticiis, illata vi conentur illum adducere, si venire recusauerit. Veniunt Coalcopoca, filiusque illius vnus, & primarii quindecim. Se id patrasse cum MutecZumæ voluntate negauit primò. Cortesius Coalcopocam & reliquos vnà cum filio, structo in ingenti platea magno rogo comburi iussit, MutecZuma, vniuersaque ingenti platea magno rogo comburi iussit, MutecZuma, vniuersaque ingenti eius regia ciuitate inspectante, lata in eos proditionis sententia. Illi verò cum se ad supplicium duci viderent, de MutecZumæ imperio confessi sunt. Vnde Cortesius, qui quæsitis occasionibus, MutecZumæ imperium sibi vendicare studebat, cõpedibus nectit MutecZumam, quem apud se habebat, minitabundus insuper iecit in illum iurgia. Infœlix tunc MutecZuma, re adeo noua perculsus, formidine repletur, decidit animo, neqne iam erigere caput audet, aut suorum auxilia implorare: soluit illum tamen ilico, incusauitque grauiter facti. Ille vero pœnam se meruisse fassus est, vti agnus mitis. Aequo animo pati videtur has regulas grammaticalibus duriores, imberbibus pueris dictatas, omnia placide fert, ne seditio ciuium & procerum oriatur. Quodcunque iugum sibi lenius esse videtur, quàm suorum exagitatio, acsi Diocletiani regeretur exemplo, qui venenum potius statuit sorbere, quàm habenas imperij abiecti resumere. Post id MutecZumã alloquitur Cortesius, sperare se inquit fidem seruaturum, quam præstitit de obseruantia, cæterisque fœderibus ictis illius magni regis

Cortesius ad MutecZumam.

Hispani nomine, propterea vt voluntatem expleat suam, liceat ad atrium in quo prius regio more splendebat regredi, si velit. Offert Cortesius. Renuit ille, inquiens, nullo modo fieri posse, quin à suis proceribus stimularetur & mille molestiis torqueretur, ad excitandos tumultus esse paratos eorum animos, quos frendere dentibus intelligere se ait, quod Cortesium & socios cum ea præsertim officialium inferiorum caterua susceperit. Quietius tutiusque se apud nostros agere vitam fassus est, quam in tanto suorum turbine versari. Deambulatum tamen interdum ad atria, quæ ad delitias mira struxerat, gradiebatur, de quibus infra latius. Ita sub vnis diu vixerunt ambo tectis, Cortesius hospes receptus, & Muteczuma receptor, sed tunc è conuerso. Quandocumque ad vesperam reuertebatur, non ad regiam antiquam maiorum & suam sedem, sed ad Cortesii palatium tendebat. Comites omnes suos & Hispanos vna donis, è lectica descendens, afficiebat, séque ab Hispanis tractari volebat, quos alacri vultu & benignis sermonibus appellabat & alloquebatur. His ita stantibus petiit à Muteczuma Cortesius, vt aurifodinas, à quibus ipse ac maiores eius aurum assequebantur, ostenderet: placere inquit Muteczuma: iussitque sine mora, eius artis experientia pollentes opifices accersiri. Per diuersa diuersi mittuntur cum Hispanis à Cortesio designatis, qui Cortesio reportent quæ viderint. Primi ad aurifodinas diriguntur prouinciæ vnius nuncupatæ Zuzulla. Ea distat ab Tenustitana regia leucas octoginta, facili collectu aurum à tribus fluminibus legerunt, neque enim instrumenta secum Hispani tulerunt, ad purgandum apta. Incolæ namque non tanti faciunt aurum, vt aliter illud perquirere curent, quam vt egesta arena inter lapillulos auri grana grandiora decerpant. Terram aiunt, quæ media est leucarum interuallo, magnificis oppidis fultam. Alios ad regionem misit, nomine Tamaculappa, cuius incolæ sunt ditiores, in vestium etiam

Zuzulla prouícia.

gestamine ornatiores ZuZullanis, quod tellure gaudeant vberiore. Ad aliam nomine Malinaltepech alios destinauit, quæ mari propior est, leucas distans à Regia lacuna sexaginta. Ex magno ibi flumine aurum collegerunt. Ad montanam alij regionem tetenderunt, nomine Tenis. Hic sunt feri bellatores, hastas habent certatui aptas spittamarum triginta. Eius regulus Coatelimaccus nomine, à MutecZumæ legibus liber est. Hispanis licere suos fines pedibus terere, MutecZumanis minimè dixit. Ita placide suscepit Coatelimaccus Hispanos & laute cibauit. Hæc regio Tenis octo est fluminibus aurum gignentibus omnibus, celebris. Misit ad Cortesium nuncios hic Regulus, se suaque oblatum. Destinati sunt alij ad prouinciam nomine Tachintebech, duos in hac prouincia fluuios aurum gignentes & ducendæ coloniæ regionem aptum inuenerunt. De huius terræ Tachintebechæ benignitate factus certior Cortesius, postulauit à MutecZuma, vt magni Regis nostri nomine, domum in ea prouincia erigeret, in quam ituri ad aurum legendum se quirent recipere. Placuit. Imperauit architectis regiis, vt præsto essent. Fuit ministrorum eius diligentia tanta, vt duorum vix mensium internallo, atrium struxerint, cuiusque magni principis & vniuersæ regiæ familiæ capax, ne quid deficeret. Dum interea domus ædificabatur satæ sunt in ictu oculi, vt vulgo loquar, panicij grani, quo panem conficiunt, heminæ innumeræ, faseolique multi & leguminum varia genera, duóque illorum arborum milia, quæ pecuniariam amigdalam procreent, de quibus aliâs latius. Pro phantasmate habebunt exiles ingenio, quod ex arboribus moneta colligatur. Conditæ fuerunt extra ædem grandiorem tres aliæ domus atrii ministeriis addictæ. Lacunas etiam dulcium aquarum ingentes, in quibus & piscium & aquaticarum volucrum copiæ nutriantur, sed anserum præcipuè.

Tachintebech.

Quingentas namque primo ictu iniici præcepit, quia illis magis vtantur ob plumas, è quibus velamina conficiunt multimoda. Eas enim singulis annis expilant primo vere. Addidit & gallinas, quæ sunt pauonibus nostris maiores & nihilo, vti alias dixi, deteriores, mille & quingentas ad esum præsentem & sobolem futuram. Quæcunque præterea faciunt ad cultum agrorum & rem rusticam exercendam, instrumēta omnia. Scribit Cortesius atrium illud tam paruo erectum tempore, si vendi quiret, valoris esse Castellanorum viginti millium amplius, neque par illi esse in Hispania vllum. Dam^9 quæ dant. Interrogatus dehinc MutecZuma vbinā esset portus aliquis, nostris nauibus recipiendis aptus, respondit se nescire, quod rei maritimæ sibi nunquam fuerit cura. Daturum se tamē littus omne depictum, quo locum ipsemet eligeret ad libitum. Eorum littorū gnaros cum Hispanis misit magistros, diuersas peragrarunt partes. In prouincia GuaZacalco, cuius regulus est MutecZumæ infensus, Hispanos admisit regulus, MutecZumanos minime. De nostrorum præstantia & virtute bellica se audiuisse regulus ait, ex quo Potenchianenses subdidere, ex illóque tempore nostrorum amicitiam concupiisse, fauste venisse se optare inquit, & fluuii fauces ingentes illis monstrauit, fluuiumque aiunt esse profundum, hinc grandiorum nauium receptiuum. Condendæ Coloniæ ibi sumpsit initiū, ita rogante regulo, qui more patriæ illius sex à suis dediticiis domos in huius fluminis ripa erexêre. Plures promisit, vbi fuerit opus. Inuitauitque Hispanos ad æternum domicilium, si voluerint pedem figere intra suos fines, immo & intra ciuitatem suam si maluerint. In amicitiæ optatæ signū dona misit, licet non magnifica, nunciosque ad Cortesium oblatū obseruantiā. Ad res MutecZumanas redeamus. Detento MutecZuma, vel vt liberi^9 loquamur, in seruitutē honestā reducto, CatamaZinus Hacoluacanæ prouinciæ possessor, cuius capus

Sumptuosum atriū

est Tesucco, Mutecζumæ subiectus & affinis, calces excußit: se neque Cortesio nunc, neque Mutecζumæ pariturum vlterius professus est. Superbe cristas erexit in vtrumque. Hic quatuor ciuitatib⁹ dominatur (inde dicitur Nahautecal, quia Nahau dicitur quatuor, Tecal dominus) sub Mutecζumæ tamen imperio: Vti tua Beatitudo nouit accidere in regnis nostris Europeis, sub Imperatoribus in Germania, sub regibus in Hispania & Gallia principes esse potentes, Cæsaribus tamen & Regibus obtemperantes, cum terris ipsis, quibus imperitāt. Ciuitatum earum primaria, nomine Tescuco, triginta milliū aiunt esse domorum egregiis mœnibus & magnificis templis ac ædibus insignem. Reliquas trium & quatuor millium esse focorum dicunt, cum villis ac vicis & pagis ditibus & vbere gleba fortunatis. Nunciis, Cortesii nomine, inuitātibus ad pacem, respondit elato supercilio. Ecquid? animo nos putatis esse ita strato vt vobis aduenis subiicere colla velimus? Et Mutecζumam Regem acriter incusauit, quod ita languide se dediderit in nostrorum potestatem: Intellecturos quisnam ipse sit, si accesserint. Veniant quandocumque voluerint, excusso lacerto edixit. Cortesius, his renunciatis, bello impetere Catamaζinum optabat. Aliter agendum esse consuluit Mutecζuma. Stragem fore paratam, si ad manus res deuenerit, quia potens Catamaζinus sit & egregiorum bello virorum dominus. Victoriam fore dubiam, & si vicerit, cruentam: artubus censuit atque astu agendum. Sibi eam relinqui curam dixit. Cristas abscissurum se Catamaζino paruo negocio inquit. Stipendiariis nobilibus ducibus suis accersitis, velle se Catamaζini temerariam insolentiam deprimere inquit. His ducibus neceßitudo erat apud Mutecζumam cum Catamaζino & familiaribus eius, quibus subornatis Catamaζini capturæ operam impendant & ad se trahant renitentem, & si viderint opus esse trucident, imperat. Longæ sunt ambages, longa & historia. Quonam pacto res acta sit satis

Superbissima responsio Catamazini.

est. Heri mandatũ dextro pede peregerũt duces. Catamazinũ raptarunt noctu imparatum nil timentem, per lintres in propriis ædibus, quæ in salsi lacus margine sitæ sunt ductum in Tenustitanam lacunarem Regiã. Cortesio dedit Catamazinũ, quo in vincula & compedes coniecto, fratrem eius Cacuscazinum Muteczumæ obsequentem in regnum suffecit. Optabant id earum ciuitatum populi, quia superbe nimis à Catamazino gubernabantur, neque audebat frater apud fratrem vitam agere, quod esset nimis peruicax & capitosus. Paucos post dies Cortesius Muteczumæ suasit, ad proceres, qui audita sui Ragis oratione de obseruantia magno Hispaniarum Regi præstanda, natales terras repetierant, nuncios esse mittẽdos, qui ab ipsorum singulis petant earum rerum, quas quisque poßideat partem, ad magnum Hispaniarum Regem mittendam, quod sit implicitus inexhaustæ cuidam magnæ moli fabricandæ, sitque ob eam sumptam constructuram anxius. Annuit postulato Muteczuma. E suis familiaribus proceribus notis, vti accidit in regum dominus ex commertio in regum penetralibus, binos misit aut ternos, totidemque cum eis Hispanos comites Cortesius ad procerũ singulos. Tanta est iã inter illos concepta formido, vt solo audito Hispanorũ nomine, nemo sciat emutire, aut aliter cogitare, quã vt imperetur. Leucas quinquaginta, sexaginta, octoginta & centũ amplius per diuersa diuersi tetẽderũt, petierũt, ampla dona tulerũt. Tanta fuit auri copia, vt ex cõflato scribãt Cortesius, quintã Regi debitã partem summã ascendisse Castellanorũ aureorũ quatuor & triginta milium. Castellanum vero nummum nouit Beatitudo tua ducatum superare triente. Præter conflandum aurum, monilia portarunt preciosa multa, magni etiam ponderis & valoris, perpulchre formata, in quibus ars materiã vincebat. Habẽt nãque argutißimos omniũ artiũ opifices, aurariæ, argentariæque præcipue, quod Beatitudinẽ tuã minime latet. Vidit nãque nõ pauca, fabrefactura quoque aliquãdo fuit ad

Ingens auri copia conflata.

mirata, cũ apud nos esset, ante sublimis throni adeptionẽ. Lapillorũ quoque preciosorũ ait Cortesius allatã esse copiã non contẽnendã. Sed ex argento allato scribit Cortesius Regiã partẽ quintam centum amplius fuisse librarum octuncialiũ, quas Hispanus marcos nũcupat. E gosampiis verò suppellectilibus, auleis, vestibus, lectorum ornatibus, referunt non credẽda. Credenda tamen, quando vir talis ad Cæsarem & nostri collegii Indici senatores audeat ea scribere. Addẽs insuper se multa prætermittere, ne tanta recensendo sit molestus. Idem affirmant qui ad nos inde regrediũtur. Quæ vero à Rege ipso MuteÇuma receperit, adeo sunt & precio & arte admiranda, vt prætereunda esse censeam, donec illa videamus. Præmissa cũ Beatitudine tua vidimus in oppido celebri Valdoleto, quæ in quarta Decade descripsimus. Propediem ex illis multa se missurum scribit. Priora dicunt, qui veniunt ad nos, esse numero, qualitate, ac precio multo inferiora. Ociabatur Cortesius, neque in tantis, tamque fœlicibus successibus quid facere quiret, intelligebat. MuteÇumæ potentiam, Imperij amplitudinẽ & œconomicæ ordinem ac elegantiam & copiam contemplans, nescire qua se vertat, vndéque initium narrãdi capiat, profitetur. De prouincia tamen ea, in qua lacunæ illæ, ac Tenustitana ciuitas immensa, multæque aliæ iacent, exordiri se velle differit, de cæteris postmodũ. Prouinciã appellari Messicã dicit, altis mõtib⁹ circũseptam. In ea planitie lacunæ sunt illæ duæ, dulcis vna, salsa altera, vti iã dictũ est. Planitiẽ illã leucarũ esse aiũt ambitu septuaginta, quã lacunæ maiori ex parte occupãt. Cũ sit Tenustitana ciuitas magni Regis MuteÇumæ domiciliũ, in salsi lac⁹ cẽtro posita. Quacũque sit ad eã eũdi, sesquileucæ, vel duarũ alicubi leucarũ est à cõtinenti interuallũ, die noctuq; feruet cymbis eũtib⁹ ac redeũtib⁹ lacuna. Itur etiã per manufactos põtes lapideos quatuor, vti à quatuor lateribus, maiori ex parte perpetuos, solidosque, tracti tamen apertos & concisos, traiectis per portas illas trabibus sublicibus, quo

Descriptio Tenustianæ ciuitatis elegans & copiosa.

fluentes ac refluentes aquæ liberum habeant transitum, quóque leuari facile poßint, si aduersi aliquid emergeret. Latos aiunt esse pontes illos duarum hastarum mensura. Ex illis vnum descripsimus in congressu MutecZumæ cum Cortesio. Inde aliorum forma capiatur. Per vnum è pontibus ad vrbem aquæ ductus trahitur, ponte tamen non impedito. Vniuersa ciuitas inde potum sumit. Tractim loca sunt designata quæstoribus regiis seruantibus lintres, venum aquam per ciuitatē portantes: ab aquatoribus ibi exigunt vectigalia. Duos habet alueos is aquæ ductus. Quando ex meantis aquæ muscoso situ sordescit vnus, in alterū labentē aquā dirigūt, donec tergatur alter, ita vicißim detersis in vniuersa ciuitate purificatā bibūt aquā. Bouis corpꝰ aiūt aquæ ductꝰ illiꝰ craßitudinē adæquare. De frequētibus vero per vrbē ipsā pontibus, quibus vicini traiiciunt ad vicinos, quid referam? Lignei sunt, lati omnes ita vt decem vnà viri pares poßint deambulare, innumeros dicunt esse, neque minus putandum est. Sunt namque viæ maiori ex parte aqueæ. Sunt tamen & aliæ terrestres, vti liquet videre in insigni nostra Venetiarum Rep. Alias præterea dicunt esse in vtraque lacuna, tum in ripa, tum in aquis ipsis fundatas ciuitates, ad Venetiarum similitudinem. Tenustitanam ipsam inquiunt sexaginta circiter esse milium domorum, neque, si vera sunt cætera quæ narrantur, abiiciendum est, quin fieri posSit. Sunt in ea ingētes plateæ, sed vna præcipuè porticibus vndique circunuallata. Receptrix est omnium mercatorum, negociatorumque alteriusmodi. Tabernæ ibi sunt meritoriæ rerum omnium vendibilium, vestitui, esuique, ac ornatui, tam bellico, quam ciuili commodißimæ. Numerare posse in foris & nundinis quoto die vendentium & ementium hominum sexaginta millia, qui cymbis vehunt ad ciuitatem de suæ patriæ prouentibus, & peregrinum aliquid secum reuehentes. Vt apud nostrates omnes cum asellis, aut aliâs onerariis iumentis,

Tenustitana sexaginta miliū domorū.

vel curribus, rustica gens ex pagis & ruribus ad oppida vicina, vel ciuitates, quæ suo labore, cura ve coëgerunt: ligna dico, paleam, vinum, triticum, ordeum, altiliaque & huiuscemodi, quo vel necessitati, vel apetitui suo satisfaciant, in regressu ad vesperam reportat. Sed est aliud ibi commertiantibus & peregrinis omnibus maxime commodum. Nulla est platea, biuium aut triuium vel quadriuium nullum, in quibus desint caupones. Singulis horarum momentis assa, elixaque ibi reperiũtur edulia volucrum & quadrupedũ. Boues autem, capras, ouesque non assequuntur. Carnes in eorum vsu sunt catellorum, vti iam dixi, quos pinguefaciunt castratos ad obsonia, ceruorumque & aprorum assequũtur copiam, & sunt egregij venatores: lepores & cuniculos, turtures etiam, ac turdos & ficedulas, perdices, atagenes, fasianos quoque alit ea tellus. Inter altilia domestica anseres, anates, Pauonum autẽ, quos nostri gallinas nuncupant, sicuti nostrates rurales fœminæ pullos, alunt quique domi copiam. Pauonibus fœminis illos dixi aliquando similes esse magnitudine & pennarum colore. Sed mores illorum descripsi nunquam. Viginti, trigintaque aliquando pariunt fœminæ oua, ita quod multiplicans semper est grex. Mares amore semper esse captos, propterea cibi illos leuissimi esse aiunt. Coram fœminis perpetuo seipsos spectant, &, vti mares nostri pauones, integro die caudis eleuatis in rotæ modum coram amatis fœminis deambulant transuerse gradientes, vti etiã nostri pauones efficiunt, & tractim singulo quique momẽto post passus ductos quatuor, aut paulo plures, strident, veluti pressus alta febri cum frendet præ frigore dentibus æger. Diuersos ad sui libitum inter colli plumas colores ostentant, glauco nunc, mox viridi, purpureo demum, pro vario pennarum motu nitent, vti cupiens amicæ captus amore iuuenis elegãs placere. Sed vnum mihi retulit, quod experimento se didicisse ait sacerdos quidam Benedictus Martinus earum terrarũ ma-

ximus indagator, meo spiritui creditu difficile. Ex his pauonibus ait se agmina multa nutriuisse, generationique illorum vehementi studio indulsisse. Marem ait impedimentis quibusdam cruralibus esse implicitum, adeo vt captare fœminam ad coitum vix queat, nisi notus aliquis fœminā manu captam teneat, neque fœminā inquit à captu abhorrere, neque marē ab accessu deterreri. Vbi primum teneri amatam cernit, adit illico, remque suam in detinentis manibus peragit. Hæc ille, raro tamen id accidere fatentur socii. Ouorum habent ex pauonibus illis, anseribus & anatibus copiam ingentem, siue cruda, siue diuersis condita modis ea voluerint, aut in offas educta parata sunt. Piscium etiam est apud eos tum fluuialiū, tū lacunarium copia, maritimorū minimè, distant à mari namque magna intercapedine, & illos crudos, assos & elixos assequūtur negotiatores ad sui volūtatē. De fructib⁹ autē nostratib⁹ assequūtur cerasa, pruna, & poma variarū specierū, nobis autem ignota genera multa. Ad appetitum vero sensualem, viuæ venduntur cuiusque generis rapaces volucres & illarū coria integra farcita gosampio, ita vt viuas arbitrentur esse, qui eas inspectant. Quæque viæ diuisim suos tenent opifices. Herbarios & pharmacopolas ad valetudinem curandam in precio habent. Olerum etiam multa genera, lactucas, rafanos, nasturciū, allia, cepas, ac multa præterea. Mella cerasque colligunt ex arboribus quædam. Ex apibus & nostratia. De altilibus, quadrupedibusque, ac piscibus, escariisque rebus aliis, & sensualibus iam satis: quibus pecuniis agantur hæc, auditu est pulcherrimum. Audiuit Beatitudo tua id, scripsi & ego aliàs.

Mirabile de coitu Indicorū pauonum

CAPVT QVARTVM.



X Arboreis quibusdam fructibus, nostris amigdalis similibus, quos Cachaos nuncupant, eorum esse currentem dixi monetam. Eius est vtilitas duplex: monetæ officio fungitur, & potui conficiendo apta est amigdala, per se non est comestibilis, quoniam amariuscula, licet tenera, vti amigdala spoliata. Sed trita seruatur ad potum, & pulueris illius portione coniecta in aquam, mox reuoluta parumper, poculum efficitur rege dignum. O fœlicem monetam, quæ suauem, vtilemque præbet humano generi potum, & à tartarea peste auaritiæ suos immunes seruat possessores, quod suffodi, aut diu seruari nequeat. Sunt & alia pocula multiplicia, vti vulgo accidit in tuæ Beatitudinis natali solo de ceruisiis & sidra, contuso concoctoque in cupis, aut hydriis maiicio grano & fructibus, herbis etiam aliquibus, quorum potuum sunt mercatoriis proximæ cauponales tabernæ, vbi edulia parantur. Inauditum alias nouum illud de moneta Beatitudo tua, priusquam ex hispania discederet, intellexit. Sed quo modo arbor illa plãtetur, nutriatur & coalescat, nondum habueramus: nunc vero notiora sunt omnia. Arbores illæ paucis in locis creantur: opus enim est calida, humidaque regione, quadam cœli benignitate donata. Sunt reguli, quorum vectigalia prouentusque illarum arborum soli sunt fructus. Earum permutatione necessaria sibi comparant, mãcipia dico, vestesque & ad ornatũ & ad cætera facientia. Ad eos mercatores, variarum rerum merces important. Efferunt fructuum illorum copiam, qua prouinciæ reliquæ fruuntur. Ita versatiles amigdalæ sunt illæ, vt eo modo finitimi omnes fiant eius rei participes. Idem accidit vbicumque terrarum: qui namque aromata, aurum, argentum, chalybem, aut ferrum, vel plumbum, metallúm ve aliud habent

De pecuniis Indorum.

natiuum,ex ea suæ patriæ beneficentia,quod optant peregrinum assequuntur.Eunt quippe per aliorum terras,quæ mercibus illis indigent,aut ex humana mollicie indigere se arbitrantur,ac referant quæ vicinis grata fore cognouerint,vt naturam adornent hac rerum varietate. Sic viuitur in orbe,sic loquendum est.Qua vero arte arbores illæ nutriantur, referẽdum est.Sub alterius cuiusuis arboris tenella plantantur, quo veluti nutricis in sinu fœtus infans,à solis ardoribus & nimborum rabie sit secura.Postea vero quàm adoleuit, vt suas queat protendere radices & iam durefacta poßit aëris ac solis frui spiritibus,nutrix arbor scinditur,aut eruitur.De moneta satis.Quod nisi vulgares & angustæ animæ credere voluerint,ne credere cogantur efflagito.Venduntur & in Tenustitanis plateis,ac foris venalibus quæcumque faciunt ad domorum structuram & ornatum,trabes, tigna,combustibilia ligna,calx,gipsusque,ac lateres,& formati ad præsentẽ vsum lapides.Venduntur & fictilia vasa multimoda,hydriæ,cathari,lances,crateres,patellæ,paropsides,pelues,sartagines, catini, vrcei,cuncta fabrelaborata vasa omnia.Chalybe, ac ferro carent.Auro,argento,stanno,plumbo,orichalco abundant. Siue rude metallum omne,siue conflatum,aut decussum & fabre factum in monilia quæque optauerit quis,parata reperiet.Visum quicquid sese oculis artificum offerat,tanta est in illis argutia, vt cudant & scalpant illud,ita pulchre, vt naturam æmulentur.Nullius est aspectus volucris,quadrupedis nullius facies,aut forma,cuius MutecZuma non habeat viuis simillimas imagines , & viuere illas putant quicunque procul eas inspectant.Nec longe abest à tuæ Beatitudinis noticia.Vidit non pauca in allato munere,priusquam ex Hispania iter caperet ad Vrbem.Aliud est non prætereundum. Domus est senatoria domus. in maioris plateæ lato campo senatoria ingens.Ibi perpetuò sedent autorati longæui decem aut duodecim viri,vt iurecon-

sulti

sulti de rebus emergentibus iudicaturi. Astant illis sceptrati lictores ministri, qui iussa illorum exequantur. Adsunt & ædiles, qui numeris & mensuris præsint. An ponderibus vtãtur adhuc nesciuerunt. Est aliud quippe admirandum. Dixi esse rerum omnium copiam in ea circunuallata salso lacu ciuitate, cum neque oneraria iumẽta, mulos, aut asinos, neque boues, quibus plaustra vel currus exerceant, assequantur. Qua industria illa portẽtur, percunctabuntur iuremerito multi, trabes præcipue ingentes & saxa edificiis condendis apta, huiuscemodi & reliqua. Mancipiorum humeris sciant omnia comportari: nec ab admiratione alienum est, quod cum ferro careant & chalybe, tam perpollitè, tamque eleganter cuncta fabrefaciant. Ex lapidibus intelligant omnia formari, ac diduci. In initio huius tantæ inuentionis ab ipso Christophoro Colono præfecto maritimo, Hispanice Almiranto appellato, lapidem ex illis vnum ab eo ipso Almiranto condonatum mihi, fui assequutus. Is erat Smaragdini obscuri coloris in ligno circunligatus & manubriatus tenacissimo. Totis viribus innixus concussi ego ipse vectes ferreas, vectem vibicibus infeci, lapide incorrupto, aut læso nulla ex parte. His ergo lapidibus sua conficiunt instrumenta & ad lapidicinam & ad lignariam, argentariamque aut aurariam artes exercẽdas. Posthæc veritus Cortesius quod euenire solet in rerum humanarũ fluxu, ac fragilitate, vt scilicet vagæ mentes hominum mutẽtur, & accidere posse ratus, vt tenustitani, etiam Muteczuma prohibere nitente, vel diuturna hospitii molestia fracti, vel alia quacunque occasione sumpta, insurgerent & arma caperent, cum se videret aquis & pontibus intercisis circunseptũ, quatuor construxit in salsa lacuna paruas biremes, dictos bergantinos, vt ingruente aliqua necessitate posset vna viginti comites, in terram cum equis demittere. Bergantinis peractis, quum per illorum cõmoditatem se iam tutũ esse arbitraretur,

Omnia lapidibus fabrefaciunt.

statuit arcana ciuitatis illius, quæ momenti sunt alicuius, indagare. Tẽpla primo peruisit, Muteczuma comitãte: vti apud nos sunt quæque in Tribu dicta parrochiæ, suæ cuique cœliti ecclesiæ aßignatæ, ita sunt apud illos vicatisuis idolis tẽpla dicata. Sed quæ de maiori tẽplo, déque primoribus idolis referãtur, audiat tua Beatitudo. Tẽplũ ait illustrius quadratũ esse. Cuique lateri porta inest, ingens, cui recta respondẽt quatuor admirandæ illæ viæ stratæ, quæ pontiũ funguntur cõmodo ex continenti. Oppidanorũ quingentorũ municipiũ illius tẽpli amplitudo coæquat situ: muris lapideis altis & apprime fabrefactis munitum est, multis etiam turribus circunuallatum & in validæ arcis modum erectum. E turribus multis quatuor ait esse cæteris grãdiores multóque capaciores, quia sint in eis aulæ cubiculaque sacerdotibus antistitibus addictæ. Ad habitacula prima per gradus ascenditur marmoreos quinquaginta: sacerdotum, vti dixi, hæc sunt domicilia, qui sacrificiorum curã gerunt. Septẽnes includuntur illic principum ciuitatis filii: neque inde prodeũt vnquã aut caput exerunt, donec nubiles effecti ad matrimonii vinculũ educantur. Eo tẽpore scindunt capillos nũquã, ab omni luxu semper, à cibis sanguinẽ gignentibus certis anni temporibus abstinent & crebris ieiuniis corpus macerant, ne insolescat calcibusque dominam rationẽ seruus concutiat. Nigro induuntur. Turrim ex illis aliquam scribit esse turri Hispalẽsi cãpanariæ, quæ altissima est, altiorẽ: nullibi terrarũ cõcludit se vidisse maiora, meliora, aut arte acutiore laborata ædificia: extra Hispaniam an quid viderit, curiosiores me percunctentur. De idolis vero quid referãt narrentque veniẽtes, est tremebũdũ dictu. Posthabito Vuichilabuchichi deorũ ipsorũ maximi simulacro marmoreo, viriliũ staturarũ triũ, quod Rodio nõ inuidet colosso, quando quis pietate mot⁹ erga numẽ aliquod, dicare illi simulacrũ instituit ex omni genere seminũ esui aptarũ, eã coaceruare studet cõgeriẽ, quæ ad imaginis à se meditatæ proceritatem sufficiat, seminibus illis

Descriptio tẽpli maioris in Tenustitana.

Idolum Vuichilabuchichi.

contusis & in farinam redactis. Proh crudele facinus, proh barbariē horrendā: tot pueros puellasque vel mancipia tot corā farina pinsenda dilacerant, donec tantū sanguinis exhauriatur, quātum loco tepentis aquæ sufficiat ad massam cōponēdam, qua per eius artis lanios tartareos, dum vda est & mollis, sine vlla stomachi perturbatione satis compacta, veluti figulus è luto, vel è cera cerarius, suum fingit idolum imaginarius & nefandi opificis magister ascitus. Dixi aliâs, si bene memor sum, non aperto iugulo victimas mactari, sed gladio per costulas cordi viciniores tracto, à viuis & suam ærumnosam sortem inspectantibus, cor erutum litari: sanguine cordi proximo deorum labra liniunt, cor autem ipsum comburunt, ita placatum iri deorum odium arbitrantur. Est à sacerdotibus persuasum populis id prodigium. De miserarum autem hostiarum membris & carnibus quid operentur interrogabiunt, & rite quidem, multi. O nefandam oscitationem, O nauseam fastidientem: vti agnos immolatos Iudæi quondam ex lege veteri mandebant, ita illi carnes humanas, pedibus manibusque solum & visceribus proiectis, edunt. Ad varios autem effectus varia deorum formant simulacra, pro victoria si prælio sit decertandum, pro incolumitate, pro frugum copia & huiusmodi pro cuiusque arbitrio. Ad Cortesiū tēplum illud maximū perābulantem regrediamur. In aulis, quas supra diximus tēplis inesse, magna erāt magnorū deorū simulacra, aulis inerāt penetralia obscura, ad quæ per angusta intrabatur ostia, solis accessa sacerdotib⁹. Magnæ aulæ simulacris magnis fultæ, prīcipibus erāt dicatæ in sepulchrum: quæ in penetralibus minora, nobilibus honesto loco natis aßignata erāt in tumulos: vti cuiusque facultas suppetebat, ita singulis annis immolandis humanis victimis impartiebatur. Candelulam apud nos pauper, magnam facem diues cœlitibus offert, solo thure multi sacra fa-

Modus sacrificandī execrabilis.

ciunt, ecclesiis cōdendis inuigilāt alii, vti nos thure nostro cera que Christum eiusque sanctos pacatos reddimus, pectoris tamē oblato feruore. Accidit vt dum per apertas magni templi aulas Rex & Cortesius pergerent, è Cortesii familiaribus quidam angusta illa sacella & obscura, nec libentibus custodibus sunt ingressi, muros vidêre cum accensis fascibus rubro illitos colore, pugionum cuspidibus: quid sit tentant, muros confricant. Proh ferinas mentes, victimarum humanarū sanguine irrorati non erant solum parietes, sed cruorem repererunt cruori superadditum ad duorum vsque digitorum altitudinem: proh nauseam stomachosam, è pugionum scalptis foraminibus, tartareum aiunt prodiisse fœtorem intollerādum, à putrido sanguine latente sub recenti. Sed inter horrida tanta vnum occurrit iubilo dignum. Simulacra quæcunque inerant aulis Cortesius deiici, mox confringi, per altos demum scalarum gradus in frusta concisa detrudi iussit, marmoreum reliquit vnum colossum quod nimis ingens esset neque facile diuelli poterat. Ea re vehemēter perturbatus est præsens Mutec-Zuma, perturbati & proceres aulici omnes, conquestique sunt dicētes: En nos infœlices, en miseros, irati dii fruges nobis tollent, quibus vescimur & fame peribimus, superuenientque nobis vti aliâs accidit, diis non placatis, omnia morborum genera & ab hostibus si bello tentabimur non erimus tuti, neque à populi tumultu satis securi, qui si hoc intellexerit furibundus insurget. Cortesius ad hæc: En quid facinorosius? en quid ineptius? deos vos esse arbitramini eos qui vestrorum deditiorum manibus sunt formati? ministeria igitur vestrorū hominum digniora sunt ipsis hominibus? quod tuus opifex, ô MutecZuma & forte sordidum mancipiū suis manibus confingit, tua dignius est maiestate? quæ cæcitas vestra hæc est? aut quæ insana crudelitas? vt horū simulacrorum insensibiliū causa, tot humana corpora quotānis interficiatis? quid hæc sen

Factum Cortesii iubilo dignum.

tiunt, quæ neque vident neque audiunt? Illum, illum, qui cœlum fecit ac terram, illum colere oportet. Is est à quo bona cũcta procedunt, cui sunt hæc vestra sacrificia molestissima. Lege præterea sancitum est à nostro rege quem ab illo trahere originẽ fatemini, qui maiores vestros ad has terras perduxit, vt quicũque marẽ aut fœminã gladio ferierit, gladio moriatur. Hæc vbi Cortesi⁹ disseruit per suos interpretes, cũ palore vult⁹ & corde trementi Mutecζuma repetiit: attende Cortesi, quæ nobis à maioribus relictæ sunt sacrorum cerimoniæ, has obseruauimus & exercuimus hactenus, quam vero tu nos dicis tantopere errasse, idque nostro regi minime placiturum inquis, delectamur audire, modo populis id persuadere queamus. Hos forte ritus nostri maiores derelicti ab incolis eorum temporũ seruari repererunt, socerorum & vxorum secuti sumus consuetudinem, neque mirari debes in hos errores, si errores sunt, nos incidisse: legẽ præbeto, eã totis viribus amplecti nitemur. His auditis Cortesius repetiit vnum esse deum, trinum in personis, vnum in essentia, qui cœlos creauit ac terras, solemque ac lunam, cum stellarum ornamentis vniuersis terrã circueũtibus ad vsum hominum, hinc necare homines odiosum illi est, qui ex eadem materia mancipium formauit & quoscumque faciem humanam habentes, qua me, qua te, qua istos. Ex virgine muliere is natus inter nos, passusque fuit ad humani generis salutem, quod aliquando latius tibi atque istis per vẽturos sapientes ostendetur. Eius dei vexillum & victoriæ signum est crucis huius simulacrum, crucem habere oportet rerum ducem & matris illius virginis imaginem, quæ sinu gestat infantẽ. Hæc dicens ex iurecõsulto Cortesius theologus effectus, crucem & virginis imaginem adorandam ostendit. Ita laruis diruptis monstrorum, operam dedit Mutecζuma, vt ipso præsente tẽpla ministri verrerent & confricatim detergerent, ne tãtæ labis sanguineæ signa vlla remanerent. De

sordida religione Tenustitana iã satis. De procerum atriis & diuitum aliorũ & domibus egregiis referamus. Nullum ait Cortesius se vidisse atrium in Hispania siue regum siue principis sit alicuius, quod non æquet è septuaginta ædibus humilior: lapideis marmoreisque structas ædificiis arte architectica laboratas esse omnes illas ædes inquit, cum pauimentis multiplicibus & ex Iaspide parioque ac diaphono marmore postibus impluuia circumambientibus, ingentes solariis suppositas porticus. Addit, debere credi quæcunque de his dicantur, inquiens à miraculo procul esse, quia sint Mutec Zumæ regna patentia multa, in quibus magna procerũ multitudo variis imperat regionibus, vt i sub Cæsarea corona, ducum comitũ & marchionum aliorumque titulorum nobiles multi adumbrãtur. Illi omnes certis anni temporibus Mutec Zumæ curiã, ex veteri consuetudine, frequentant, nec licet aliter efficere. Sedet iis animo, vt certatim quisque studeat in ædium structura socios superare: moras Cardinalium apud Pontifices in vrbe Roma, illorum aßistentiæ compararem, sed multo aliter hoc: sibi namque Cardinales in ædificando prospectant solis, de successiuo nihil curantes. Hi vero Mutec Zumæ dicto parentes, lõgißime consulunt posteritati: proprios quippe filios apud Mutec Zumam, primarios præsertim mittunt educandos, quorum est copia ingens adeo, vt quouis elucescente die cernere liceat per Mutec Zumanas aulas & aperta solaria deãbulantes quingentos amplius huiusmodi nobilium iuuenes, quorum familiaribus & asseclis clientibus plena sunt eo tempore ad prandii horam vsque, ingentia impluuia tria & plateæ antiportales palatinæ. Iis omnibus de Mutec Zumæ penu præbetur esca, claudi toto die cellas dicit nũquã, licere cuicunque à cellariis potũ exigere. Regem tamen nemo videt, donec pransum aut cœnatum exeat è cubiculis penetralibus in aulã ingentẽ, cuius æquam magnitudine ait Cortesius se nescire vllam. Adeunt sedentẽ iuuenes tercẽtum ornati palatino more, singulas aff.

Ardens studium ædificãdi egregias structuras

runt dapium variarum lances, suppositis, ne gelascant hiberno tempore dapes, prunariis: hi minimè se applicant ad mensam, septo mensa circunducta est, unus tantum intra septum stat, qui singulas tollit ab illorum manibus lances, porrigitque principi prandenti. E ferculis Mutec Zuma dat manu propria stantibus in eius dextera senibus auctoritate pollentibus sex, de more antiquo, eo prandente nudis pedibus stant omnes. Storeis sunt pauimenta cooperta. Si forte accidit vt quenquã vocet, adit vocatus corpore demisso, facie prona in terrã: neque caput eleuat vnquam, donec procul discesserit serptum retrocedens, tergo nunquam verso licet regredi. Recto vultu regem inspicere nemo solet, deiectis oculis & facie in læuã vel dexterã versa, quæ respondeat rex auscultant eius familiares & necessarii, nec minus principes: inde Cortesium incusarũt quod accersitos ab eo Hispanos recta facie in eum patiatur intueri. Non esse id moris apud nos respondit, neque tanti facere Regẽ nostrum, licet maximus sit, suam mortalitatem, vt tanta velit adorari reuerentia: placuit responsum. Est præterea MutecZuma præsente, quocunque in statu appareat, in tanta multitudine silẽtium immensum, vt neminem illorum habere spiritum anhelantem putaret quis. Lauat quoto prandio quotáve cœna in vtroque margine manus, linteis tergit candidissimis, quo semel vsus est linteo nusquã aliâs manu capit, intacta oportet esse omnia instrumẽta. De vestibus idẽ, de lecto surgẽs induitur vno modo quo visendus prodit, in cubiculũ regrediẽs prãsus vestẽ mutat: quũ cœnaturus iterum exit, sumit aliã, quartã reuertẽs, quã ad cubitum vsque gerit. De tribus tamẽ vestibus quoto die mutatis plærique mihi viua voce retulerunt ex his qui redeũt: vtcũque sit, omnes in vestiũ mutatu conueniunt, vt in gaZophylacium vestes illæ semel sumptæ farciantur, MutecZumæ faciem non vltra visuræ: sed quales vestes illæ sint aliâs dicemus, sunt namque leuissimæ.

De reuerentia exhibita regi.

De vestitu Regis

His animaduersis, non erit mirandũ si de tot donatis vestibus mentio supra facta est. Annis namque & annorum diebus computatis, quibus pace fruitur præsertim Mutec Zuma, & quoties die quoto mutet vestes, cedet omnis admiratio. Sed cur eam aceruet vestium congeriem interrogabunt lectores, & rite quidem. Sciant Mutec Zumam solitum esse familiaribus & bene meritis militibus ad bellum euntibus vel è victoria redeuntibus vestium portionem præbere donatiui vel stipendij adaugendi loco, vti Augustus Cæsar orbis dominus, hoc Mutec Zuma potentior, pudendam panis tantum mercedē præclari aliquid gerentibus superaddi iubebat, donec à Marone monitus eam panis largitionem exiguam argumento esse, quod pinsoris filius esset, tunc licet placuisse Cæsari facetiam scribatur, erubuisse tamen illum ea diuinatione credendum est, quia mores mutaturum se ac rege magno non pinsoris filio digna se Vergilio post id præbiturum munera pollicitus fuit. Fictilibus comedit bibitque Mutec Zuma, licet aurea argenteaque ac gemmata torreumata consequatur innumera: quæ semel allata sunt fictilia, lances, patellæ, paropsides, vrcei, ac id genus vasa regrediuntur nunquam. De atriis domibusque campestribus nunc aliquid. Procerum quisque præter vrbanas ad delitias habet in agro aperto erectas domos non vulgares & illis adhærentes hortos ac viridaria, fructetaque variorũ generum, herbarum & rosarum ac florũ suaueolentium: nec ars deest in areis curandis & sepibus cãneis circuntexendis, ne repente quis ad earum cultas delitias sternendas aut expilãdas introeat: stagna quoque in hortis quisque suis habet, pisciũ diuersorũ ibi agmen adnatat, volucrũ aquaticarũ supernãtiũ est in eis multitudo. Si procerum ergo quisque domos habet singulas eiuscemodi, æquum est vt Mutec Zuma illorũ Imperator non retrocedat. Tres habet in secessu ædes magnas Mutec Zuma ad æstiuarũ molestiarũ solatiũ: in vna mõstro-

Hortorũ cultura.

sorum hominum copiã, nanorum, gibbosorum, canorũ à natura vnicruriũ aut bicipitium: horũ curæ sunt addicti ministri. Rapacibus est volucribus designata secunda, in qua & vultures & aquilæ cæteraque omnia accipitris & carnificũ genera insunt. Cuique volucrum est cellula sua super impluuio magno aperta, cum duabus hastis infixis, vna exterius ad solē captandum, intra est ad cubitandum altera: suis quæque carectis sunt interiectis separatim cellæ. Impluuium vero est vniuersum ligneis retibus alte coopertum, ita vt cœlo fruatur & tuto volitet, in sua quæque volucris parte assignata: iis addicti ministri sunt non ad cibos præbendos solum, sed chirurgorum est stipendiatorum numerus, qui sciant varia in auibus morborum genera nascentia arte medica curare. De aquaticis auibus est quid mirum: pelago quæcunque sedem habent, salsis stagnis includuntur: quæ vero dulcium aquarum sunt hospites, dulcibus, & certis anni temporibus, veteribus aquis exiccatis & detersis diligenter piscinis, recentes mittuntur aquæ: cuique volucrum generi, piscium, herbarum maiicique grani pro cuiusque natura suas ministri præbent escas, ab œconomis Mutecʒumanis & dispensatoribus porrectas. Circũ ea stagna sunt porticus amplæ, superque illis postibus marmoreis & alabastrinis ac iaspidinis sustinentibus. Sunt alia solaria, è quibus despicere queat veniens Mutecʒuma omnium volucrũ actus & certamina, quando præcipue cibantur. Tertia domus est leonibus, tygribus, lupis, vulpibus & huius generis addicta rapacibus, suis quoque cubiculis & septis conclusis pauonibus, de quibus supra satis: hac depascuntur animalia ferocia. Domiciliis pollent atria illa, vt si pernoctare in eis cũ sua familia statuerit rex, commode facere id possit. Hæc aiunt, hæc dicimus. Nos, quæcunque scribunt aut enarrāt corã, credimus, quia putamus non ausuros temere quicquam à vero alienum significare, & quia didicimus credere ea posse

Mirum de aquaticis auibus

fieri quæ sunt poßibilia nec miraculosa, præterireque se aiunt multa ne nimis lōgius narrationib⁹ fastidio grauēt Cæsaris & curialiū aures. Dū hæc ita nostri vestigarēt, ad varias MutecZumanæ ditionis regiones missi fuerāt nūcij comitātib⁹ Hispanis, qui terrarū proceribus sui regis nomine renūciarēt magno Hispaniarū regi esse parēdū, illiusque nomine ducib⁹ ab eo missis. Ab oriēte ad vltimos vsque illarū terrarū limites, qui eas à Iucatana distermināt (putāt nāque Iucatanā, quæ primo obiicitur ex Cuba venietibus, esse insulā, neque adhuc liquidè cōstat) terræ tātū aiūt intercedere, vt ferè ter Hispaniæ magnitudinē æquet: ex Potēchiana quippè, alio nomine Victoria, ciuitate diximus leucarū cētū ampli⁹ distare Tenustitanā, & Potēchiani fines vlterius ad Iucatanā & sinū dictū Figuéras iādudū repertū protēdūtur. Ad occidentē verò missi ciuitatē repererūt & ipsā ingētē nomine Cumatanā, ab Tenustitana, vt aiūt, leucas distantē ducētas circiter, & huius ciuitatis Regulus, cuius nomē ignoro, quique medij iacent, Orientales etiā ad Potēchianos vsque, qui, præter paucas respublicas illas, de quibus satis latè, MutecZumæ dicto parebāt, nūc vtrique colla nostris subdidêre. MutecZumā sæpenumero Cortesius hortatus est, vt regiā veterē repeteret: recusauit inquiens, neutri expedit vt dissociemur: proceres enim mei, vti aliâs dixi, sui cōmodi magis quàm nostræ quietis amatores, instāter efflagitabunt, vt populo cōcitato in te bellum inferatur, erimus propterea cōnexi ab illorum insolēti ambitione tutiores. Ad eas tamē domos animi causa profectus est aliquādo, vti paulo ante memoraui, & ad vesperam apud Cortesium è lectica descendebat. Euntem aut regredientē rectis oculis inspectabat nemo: tanta est erga illum concepta reuerentia, vt minimè dignos eius intuitu arbitrarentur se. A maioribus ea est populis illis insita superstitio. Sed quid? sed quid? iterum tertiò, sed quid? Blandæ genitricis fortunæ illecebræ in colaphos nouercales

Cumatana ingens ciuitas.

assuetos in ipsius rota rotante conuersæ sunt. In eam ciuitatem lacunarem ingressum fuisse inquit Cortesius octauo die Septembris, anni. M. D. XIX. ibique placidissimam egisse hyemen, verisque partem maiorem ad Maium vsque, anni alterius mensem: quo tempore Diecus Velazquez Cubæ aut fernandinæ progubernator, classem in Cortesium venturam instituebat, quod se inconsulto & inuito, vti supra retuli, statuerit pedem figere, coloniasque in illis terris deducere. De classe paulo post, de Cortesio nunc. Dum sic sese haberet apud Mutecζumam indies expectans apertis faucibus nunciorum reditum, quos ad Cæsarem cum donis miserat, Montegium & Portucarrerium, ecce renunciatum est ab incolis Mutecζumanis littoralibus, visas esse in alto mari naues: putauit suorum esse nunciorum nauim & lætatus est, sed lætitia in tristitiam ilico est transmutata. Minuta hic prætereo multa, quæ Græci, quæ Iudæi, quia semper intra fines angustos versati sunt, suis innecterent historijs, si concutibus eorum accidissent: nos autē in tanta rerum vastitate non pauca prætermittimus. Ad summam. Ea erat Iacobi Velazquez classis nauium tum rostratarum carauelarum, tum biremiū brigantinorū octodecim, viris instructa, peditibus octingentis, equitibus octoginta, vasis tormentarijs septemdecim, vt infra patebit. Præsenti classi præfecit Velazquez iuuenem Pamphilum Naruaecii appellatum. Misit ad Pamphilum Cortesius nuncios, qui ab eo poscerent vt amice veniret, ne incœptis tam fœlicibus perturbandis intendat. Respondit Pamphilus, habere se in mandatis à Cæsare, vt earum ipse terrarum generalis armorum ducis fungatur officio, Cortesioque dici iubet, vt imperio cedat, ad seque supplex & inermis veniat, quo habita ratione suorum operum, iudicio subeat suo, vel Iacobi Velazquez mittentis. Obtemperaturum se Cortesius ait regiis patentibus literis, si patentes

Inconstās fortuna.

regias litteras magistratui relicto in colonia Veræ crucis ostenderit. Sed si literas eas se habere mētiatur, exeat è prouincia, in qua ipse pedem figere statuit, non cursim raptare quæ inuenerit, quia id conducere regi sentiat, ne ingentia cœpta suo aduentu perturbet: cristas erecturos & contra Christianos defecturos omnes Barbaros iam victos, qui ductu ipsius Cæsari parent, & eius obseruant nomen, si discordes esse ac tendere in diuersa Hispanos intellexerint.

CAPVT QVINTVM.



VLTA huiuscemodi per legatos vltro citroque discussa sunt, nil actum, stabat proposito Pāphilus. Ad MutecZumā in corticea quadam tabella sunt allatæ interim à dedititis quibusdam pictæ naues illæ cum suis quæque tormētis & equis, sclopetariis octo & viginti, sagittariis centum viginti, quæ omnia in terram erant exposita. Cortesius ergo re cognita, ignarus primo quid cōsilii capiat, animo cruciabatur. Si rē despiceret, fore videbat, vt noui hostis aperti autoritas, & apud Hispanos & Barbaros vires colligat. Parte alia durū erat rem tantā deserere, quia timebat id quod euenit, Barbarorum scilicet eruptionē in suos. Satius tādē esse putauit ad Pāphilū tendere, autoritate sua confisus, qua in insula Cuba, cum iusticiæ præfectus esset, inter venientes cum Pamphilo pollebat. Præsidiis in atrio, vbi MutecZumā habebat, relictis, MutecZumā his verbis alloquitur. MutecZuma mi rex, tuæ fœlicitatis futuræ nūc occasio sese offert, si fidū rex tali tēpore te repererit, fore vt omnia tibi fauste fœliciterque sint successura. Eo, quid hoc rei sit, vestigatū, ne me absente quid noui exoriatur operam dato. Hispanos quos in tui obsequiū relinquo, tuæ fidei cōmendo. Pollicitus est omnē opē MutecZuma, Hispanosque se habiturū loco affiniū dixit. Ito bonis auibus, & si animo non amico meos fines illi

Cortesius ad MutecZumam.

…igerint, mihi renunciato: vt debellentur & à meis terris …ciatur imperabo. Præsidiis ergo relictis & MutecZuma fi…que ipsius quibusdam gratis muneribus donatis, iter capit …mphilum versus, is in Zempoallē pedē fixerat: ciuesque illos … Cortesiū seduxerat. Eo animo gradiebatur vt obuia pertur…uret. Tetendit ad illum Cortesius. Prætermissis ambagibus, …cersit AlguaZillū suū (is est iustitiæ executor, quem latinꝰ …ilitē appellat: vt, rarus venit in cœnacula miles.) cum octo …inta peditibus præmittit, iure prætorio vsus Pāphiliū prehen…lat præcepit. Subsequitur subsidio ipse cum centum septua…inta reliquis. Cum viris ergo ducentis quinquaginta Pāphi…ū nō imparatum, quia per exploratores erat monitꝰ, adoritur. In altam templi eius ciuitatis turrim se Pāphilus munierat: …ctoque tormentorum vasa in scalarum gradibus locauerat. Pāphilus hic magis Terētianus, quam Hector Troianus cum octingētis militibus sepitur, oppugnatur, capitur. Putamus Pāphilanos milites non ausos fuisse contra Cortesium, qui prætor vrbanus in Cuba illos aliquādo perterruerat, erigere frōtem:, putamus & seductos prius astu Cortesii primarios: quò, tempore rei gerendæ, relinquerent in suis vaginis hospites enses. Hic multa in Cortesium submurmurantur, quæ aliquādo patebūt: vtcunque sit, Pamphilo resistenti parumper oculus fuit erutus. Ita paulo ante duobus oculis nitentem Pamphilum, luscū abduxit cum primariis eius consortibus centurionibus suo duci fidis: qui pauci fuisse arguuntur. Sequutus Pamphilum fuerat licentiatus quidam Aiglionus iureconsultus egregius, è senatoribus Hispaniolæ vnus. Is Hispaniolæ senatus nomine, à quo iura dantur partibus illis omnibus, Iacobo VelaZqueZ imperauerat, ne classem illam in Cortesium mitteret, tanto malo ne causam daret: rem hanc regia dixit autoritate non armis decernendam: idem Pamphilo dicturus aduenerat: totis viribus innixus fuit diuertere classis autores ab eo instituto. Non

Licenciatus Aiglionus.

paruit modo Pāphilus Terētianus, sed senatorē ipsum in vincula conie&ctū vna naui mittebat in Cubā ad Diecum Velazquez classis eius inuentorem. Fuit eius licentiati prudētia talis, vt seductis nautis custodes ipse suos vinctos duxerit eadem naui ad Hispaniolā. Ita fiunt offæ in fortunæ gremio. Hæc minuta sunt: ad grauia veniamus. Quicūque Pāphilum sequuti sunt, Cortesio noto Prætori vrbano adhæserūt. Naues misit ad Verā crucē illius coloniæ præsidijs de victoria significatū: cum reliquis iter capit versus Tenustitanā: & præmittit nuncium qui Muteczumā cæterosque relictos certiores faciat de rerum successibus. Is nuncius fuit in via multis vulneribus cōfossus, & vix gemēs euasit: perturbata esse omnia in Tenustitana ciuitate, Barbaros defecisse, cōbußisse bergātinos quatuor illos, de quibus supra mentionē fecimus, ad nostrerū tutelā fabricatos, nostraque præsidia obsessa in extremis angustijs laborare, ferro & igne arctißime premi, cōmeatus interceptos omnes renunciauit. Actū fuisse de omnibus dixit, ni Muteczuma obstitisset, cuius & iam dicto ciues nō auscultare inquit. Ad lacunæ salsæ marginē se applicat Cortesius, cum suo cōmitatu canoā vnilignea mittit exploratū, quid rei hoc sit. Occurrit alia, qua Muteczumæ nuncius vnus & è præsidiariis obseßis Hispanis alter, vehebātur, Cortesio significatum de nostrorū calamitate. Fieri hæc, inuito Muteczuma cōpertum est: hortātur nuncij vt properet, ex eius accessu dicit nuncius sperare Muteczumā, vt exorta seditio cadat in tranquillum: celeri properatu cum canois quibusdā se coniicit in atriū ad præsidia & Muteczumā eo tumultu anxium, octauo Kalēdas Iulij. Pontes ligneos qui

Tumultus exortus in Tenustitana ciuitate absente Cortesio.

1520 tractim lapideos intersecāt, sublatos, ac vias aggeribus munitas reperit: præ timore arbitratus est primò, sed lōge aliter: emori statuerāt malle, quàm diutius ferre tales hospites, qui regem suum sub tutoris vitæ specie detineāt, ciuitatē occupēt, antiquos hostes Tascaltecanos, Guazuzingos, & alios præterea in

ontumeliā ante illorum oculos ipsorum impēsa cōseruent: cō-
neatus cōsequutu difficiles, quod aquis circunsepti rerum om
nium à natura sint indigi, absumāt, ab iniurijs non abstineāt,
ributa imponāt, si quid preciosum apud eos intellexerint con-
upiscunt, & vi vel artibus extorquere nituntur, qui demum
simulachra deorum cōfregerint, & ritus veteres ac ceremonias
antiquas illis abstulerint. His de causis perturbati ciuitatis prin
cipes, & cum illis externi proceres qui familiariter suo rege
fruebātur, apudque regē natos & propinquos à pueris educa-
bant, gentē hanc eruere, vti carduos agricolæ solēt à segetibus,
rabido spiritu decreuerūt. Regis iniussu, immo & pro viribus renitēte, debellādi atrium, & præsidia trucidādi aut rerum egestate cōsumendi sumpsere prouinciā. Fideliter egit rex se ditione exorta.
Vnde iam ad extre-
mum vitæ marginē reducti erāt nostri, nisi Cortesius aduenis-
set, cuius accessu resumpsere parūper animas iam anhelantes,
quum spei nihil superesset. Atrium in modū arcis munierāt,
arci tēplaria celsa turris pinis circūamicta imminebat. E pinis
& propugnaculis saxorum & telorum iactu damna nostris
inferebāt grauia. Vbi aduenisse Cortesiū cum auxiliaris co-
piis & ingressum ad suos intellexerunt Barbari, ferocius ac ra
bidius certare cœperunt, lapidum & iaculorū atra nubes, sa-
gittarumque ac missilium omne genus dēsitas cœlum nostris
auferebat. Clamores dati ad sydera confundebant aërem,
quod bellatorum peruicacium numerus esset innumerus. Ad
pugnātes in plano, cum Hispanis bis centum emisit ducē vnū
Cortesius ex arce, stragem fecit in Barbaris aliquam, sed circū-
septus ab ingenti multitudine findere nequiuit agmen illo-
rum. Reditus ad arcem fuit eis difficilis, egressus tamen
est, ferro sibi viam aperiens: inter confectos vulneratus ip-
se fuit grauiter, & trucidatos reliquit è comitibus qua-
tuor: parte altera Cortesius ruit in aduersos, parum illis ob-
erat, quia vbi iā lapides & iacula emiserāt, ad turriculas ab

Atrox certamen.
Hispanis dictas Azoteas, quæ frequentes per vniuersam ciuitatem structæ sunt, se recipiebant: atrox fuit certamen diu, coactus fuit Cortesius è prælio se in arcem recipere, quod non sine periculo vix efficit, multis è sociis vi lapidum & varii generis telorum interfectis. Cortesio in arcem reducto, redintegrarunt oppugnationem Barbari, ab omni latere quærunt aditum & ruinam, portis innixi conãtur igne supposito illas cõburere, propugnatores cum tormentariis globis, cum sclopetariis cumque sagittariis ex oppugnatoribus multos transuerberaui, peruicaci tamen animo superstites per sociorum cadauera, si opus erat, procedebant, prælium renouando: ab Aurora vsque ad vesperam aiunt fuisse certatum. nostris erat is labor intollerabilis, quòd omnes cogerentur toto die in armis esse, illis vero multo leuior, quòd singulis horis quater fessorum & interemptorum aut vulneratorum loco recẽtes incolumes sufficiebantur in stationibus, nec minus alacres veniebant ad periculum, quàm à periculo laßi discederent: tanta iam est odii concepti perturbatio. Alterne se hortabantur, vt forti animo studeant hospites huiusmodi è propriis laribus eiicere; pulchrius posse neminem viuere, quam tale iugum pugnando è ceruicibus excutere, vel pro patriæ libertate spiritum emittere. Ita toto die, veluti circum ouile rabidi lupi prælio insistebant, ad vesperã pugna cessabat. Sed noctẽ integrã clamoribus adeo validis exagitabãt, vt eo strepitu surdesceret vicinia. Nec intra arcẽ ipsi alterne se poterãt audire, tãtus erat vocũ reboatus. Barbaris eo die discedẽtibus, cẽsu habito Cortesius octoginta è suis sensit vulneratos. Postero die qui fuit Iulii Kalẽdarũ octauus, solito grauius accurrũt, atrox certamen exoritur. Terdecim in hostes dirigit tormẽta cãpestria, sclopetariosque ac sagitttarios locat in frontem: proh mirum facinus, licet à singulis tormentorum globis decem, duodecim interdum ex eis transuerberarentur

uerberarentur & membratim per aëra raptarentur, nil minus instabant: Germanorum aut Heluetiorum more stringebant illico phalangem, quacunque parte globi discerpserāt. Altero die summa coactus egestate rerum, tentare in aperto fortunam statuit. Exeunt vti rabidi leones Hispani, quos atra fames vrgebat. In hostes ruunt, trucidant multos, domos arci contiguas quasdam debellarunt. E pontibus ligneis vias transuersantibus superarunt quosdam. Sed ad vesperam non minus famelici redierunt nostri, Cortesio & è socijs quinquaginta vulneratis. Vrgente indies magis ac magis necessitate, rei frumentariæ præcipuè penuria, coacti sunt artes inuenire, quibus damna hostibus grauiora inferendo, ad pacem illos quirent trahere. Per noctem tria construxit instrumenta bellica, lignea, contecta tabulis in modum casulæ quadratæ, testudines appellat ars militaris, instrumētum viginti erat capax bellatorū, suppositis rotis instrumenta exeunt: sclopetarij erant & sagittarij testudinem replentes. Calones cum securibus & ligonibus ducebant à tergo, putantes posse diruere domos & aggeres infensos. Fuit lapidum & telorum è turriculis vijs imminentibus in testudines iactus talis, vt tecta illarum confregerint: ita redire serptim ad arcem fuit opus. Prosiliunt in Barbaros Hispani.

Quum hæc ita gererentur, MutecZuma rex infœlix, quem secum nostri habebant, postulauit vt ad conspectum duceretur præliantium, se operam daturum vt ab oppugnatione desistant. Ad tabulatum quoddam apertum, ab ea parte qua confertiores erant oppugnantes, fato iniquo ductus est. Ruit in pugnatores lapidum adeò ingens turbo, vt nemo faciem exeruerit qui non abierit concussus. Ibi MutecZuma rex potentißimus, vir bonus à natura & satis prudens, suæ magnitudinis & delitiarum infœlicem adeptus est exitum, lapide percussus à suis in tertium diem animam illam tot regnorum dominam, tot nationibus & populis formidolosam ex- Trucidatur potentissimus rex MutecZuma.

halauit. Corpus humandum ciuibus tradiderunt nostri. Quid ultra nesciunt. Neque enim relictum illis est arbitrium ut quicquam aliud possent, quàm de uita seruanda cogitare.

CAPVT SEXTVM,

Alloquitur proceres Tenustitanos Cortesius



OSTRIDIE accitos ad eum locum, ubi MutecZumæ calamitosus euenit casus, bellorum duces ciuitatis principes & regis affines (inter quos frater eius erat Astapalappæ dominus) allocutus est Cortesius. Ut pacem quā bellum malint suadet, hortatur, monet: deleturum radicitus eam adeo clarem & illustrem ciuitatem primariam ipsorū sedem & natale solum, ni destiterint ad incœptis. Misereri se illorum futuræ calamitatis, quos in amicos admiserit semel. Verba esse inania quæ Cortesius ferat, responderunt. Pro non amico, sed hoste infenso habere se illum uelle dixerunt. Pacē oblatā nō admissuros aiunt se, nisi liberam eorum patriam, extra suos fines discedens cum suis copiis, relinquat. Ut à futuris damnis & grauibus iacturis caueant Cortesius iterum recenset. Se potius morituros ad unum constantibus animis, quam tale iugum perpeti disseruerunt. Propterea ut de recessu cogitet, non spem ponat in fragilibus uerbis, enunciant. Mortē fore sibi placidissimam aiunt, modo eam seruitutem à filiorū & reliquæ posteritatis ceruicibus excusserint. Contrà, quæ cæteræ nationes detrectantes suam amicitiam passæ fuerint, Cortesius iterum præponit. Ignoturum se præteritis erratis pollicetur. Nolle suam amicitiam, nolle ueniam repetunt. Immo se non dubitare inquiunt, quin aut ferro aut fame sint ipsos cōsūpturi ad unū, faciléque id fore ostendunt, quia tāta sit multitudo desperatorū mortē optantiū, ut nihili faciāt mille hominū internicië: modo cuique milleno unus è nostris compensetur. Fixam omnibus sedere hanc sententiā affirmāt. Propterea ut eat bonis auibus qua uenerat, sibi suisque cum tempore consulat, minabundi monent: ut patiatur eos libere frui

moribus & dictatis à maioribus rogant, & obtestantur. Cortesius, vt qui propediem cũ vniuerso cõmitatu fame periturus erat, ni barbarorum vim sterneret (vrgebatur enim iam inedia extrema) ex necessitate coactus fuit animi virtutem altiꝰ fabricare. Suspicabatur etiam, ne si discedere tentaret, vti postulabatur, intra pontes abscissos interciperetur, quod facile factu erat pontibus ligneis interiectis aut eleuatis aut sublatis. Addebat suspicionem, quod minimè latebat ciuitatis principes, cõgestos habere thesauros ingentes Cortesium, quorũ cupiditate trahebãtur, nec immerito quidem: septingentorũ nãque millium ducatorum, tũ ex auro, tũ argento ac gemmis, tunc secũ habuisse summam, nostri fatentur, ex vniuersis terris illis congestam. Inde præparare se ad pugnam, & quid belli fortuna decreuerit ea nocte periclitari statuit. Testudines illas, de quibus fecimus mentionem, resarciuit. Elucescente die prodiit, turriculas è quibus damna nostris lapidum & similium deiectu inferebãtur, diruturus primo: dehinc potens occupaturus, si quiret. Suppositis rotis machinæ ab internis trahebantur: pone tormentaria vasa succedebant tria, quorũ latera scutati sclopetariique plærique vti tutores seruabant, comitantibus vna Tascaltecanorum & Guazuzingorũ triũ milliũ cateruis. E prima turricula, quã sunt adorti, tãta telorũ & saxorũ nubes in nostros demissa est, vt exercere tormenta non licuerit. Vno è nostris interfecto & multis vulneratis mœsti ad arcẽ regreßi sunt. Ex alta quoque tẽplaria turre, quæ imminebat arci, dãnis afficiebãtur innumeris. Eã oppugnare tẽtarũt nostri, per gradus marmoreos cẽtũ ampliꝰ ascẽditur ad eiꝰ verticem. Turris illius præsidarii Barbari rotare nostros per gradꝰ fecerũt. Inde nostri deciderũt animis, hostes autem elati multo grauius premebant obsidionem, & pugnam redintegrabant. Cortesius tanta circundatus calamitate mortem videns præsentaneam, ni turrim expugnauerit, quia

Septingẽtorũ milliũ ducatorum sũma apud Cortesiũ collecta.

neque digitum exerere, turri stante, pro hostibus poterant: ex arce scutum ipse arripit, sequuntur animo pollentiores, scutis & ipsi contecti. Turrim adoriuntur: vel turrim expugnare, vel in eo congressu vitam finire decreuerunt. Licet cum aperto vitæ discrimine prouinciam sumpserint, audacia tamen profuit. Gradus tutari nituntur hostes, gradus conscendere cupiunt nostri, certatum est acriter. Desiderij sui facti sunt iam tandem nostri compotes. Turrim expugnarunt, desilire propugnatores, è primis coëgerunt. In ea turre deiectis idolis, Beatæ Virginis imaginem locauerant: eam hostes abstulerant. Turrim illam ac tres alias incendi iußit: ne vlterius inde arci iactura inferetur. Turribus illis amißis Barbari languerunt. Sequenti nocte nostri erumpentes in vna viarum arci vicina, domos conbussêre tercentum: in altera plerásque è quibus arci molestia fiebat. Ita nunc trucidando, nunc diruendo, & interdum vulnera recipiendo, in pontibus & in vijs, diebus noctibúsque multis laboratum est vtrinque. Ciuitatis tandem proceres, ficto timore ad Cortesium de pace tractatum nuncios mittūt, modò præteritorum veniā impartiatur obtēperaturos aiunt se. Placere inquit Cortesius. Habebat Cortesius in arce detētum è sacerdotibus autoritate pollentē vnū. Vt sacerdotē illū quo medio res agatur, efflagitant, liberet: soluitur sacerdos, credulus Cortesius curam dimittit. Sedet pransurus Cortesius, ex insperato procurrunt nuncij frequentes, pontes interceptos ab armatis hostibus referunt. Impleuerat Cortesius spacia quædam, quæ lignei pontes cooperire solebant, quo si pontes tollerētur, per id solidum possent equi liberè discurrere: spaciorum illorum lateres, terrámque ac materias omnes egestas esse, ac denuo factos inuios pontes & purgata spacia, ita vt neque peditibus, ne modò equis detur traiectus, enunciant. Exilit è mensa, soluit equites in barbaros, ruítque per medios hostes, vtrinque feriendo, ac trucidando ad longum interuallum.

Magnanima Hispanorum audacia.

Pacem simulant ficto timore.

Sed pœnituit ita latè fuisse vagatum. Rediens è pugna cuncta reperit à tergo refertißima bellatoribus, ab aqua cum lintribus, ab vtroque latere & à fronte confertos, & pontis omne interuallum occupantes reperit, à tergo qui fugiendo superstiterant infestißimè instant: premebatur etiam à turriculis, vtrinque multi restiterunt lapidibus & iaculis confoßi, fuit & Cortesius grauiter percussus in caput, pauci euaserunt incolumes, & hi adeò languidi, vt neque lacertos erigere quirent. Postquam vero se in arcem receperunt, non commodè satis conditas dapes, quibus reficerentur, inuenerunt, nec fortè asperi maiicij panis bucellas, aut aquam potabilem. de vino aut carnibus sublata erat cura. Ita mœsti omnes à Cortesio postularunt, vt eos inde reducat, fore propediem, vt vel barbarorum gladijs occumbant, vel fame tabescant. Auscultauit commilitonum efflagitationibus, & reipsa ad extremum redactâ motus, annuit de discessu: trabes præparauit quasdam ad iaciendos pontes, qua lapidei deficiebant. Vna noctium secretò proditurus, thesauros ad summam septingẽtorum millium ducatorum dispartit. Regis computatori & thesaurario, cæterisque ministris Regiam aßignat partem quintam, quam vt ipsi current edicit. Ad equorum clunes cætera diuidit exportanda. MutecZumæ filium secum habebat marem & femellas duas obsides, primariósque plures alios captos in certaminibus, quorum causa, & ob Deorum simulachra disiecta, popularis ille tumultus erat exortus. Ordines instruit, præstites & substites deligit, agmina componit, carpit iter sub nocte silenti. Per ciuitatem vniuersam fama in ictu oculi vagatur, Cortesium & socios eius aufugere. Peruolat ingens numerus bellatorum, clamores tolluntur ad astra, iaculis & lapidibus concutiuntur vndique miseri nostri. Acies prima euasit, qui medij, quíque vltimi subsequebantur male percußi fuerunt. Longæ sunt de his conflictibus narrationes.

Multa scripta breuibus accipiat tua Beatitudo: ex hominibus & equis multos peremerũt Barbari, quòd sui Regis filios ciuitatisque principes abducerent, quodque thesauros asportarent, rabidis pectoribus decertabant: quicquid opũ, quicquid ve supellectiliũ auferebãt nostri, datũ est in prædã, præter parum id quod aciei primæ sorte obtigerat: erat certãdi furor tantus, vt promiscue Muteczumæ filios & primarios vrbi vna cũ mãcipiis, quæ multa nostri assequebãtur, permixtim cũ nostris interfecerint: & si aliquãdo equites, qui supererant, ad sequentes regrediebãtur, cõcitato cursu obuij primi ad aquas saliebãt, cũ illis natare tãtundẽ sit, ac terra, vti crocodilis aut vitulis marinis, deãbulare, dehinc ex aqua serptĩ per pontiũ muros egreßi ingrediebãtur. Ita penitus profligati & dispersi nostri lacunã vniuersã deseruerũt. Quibus datũ fuit euadere, in cãpo ciuitatis terrestris vnius, nomine Tacuna, pedẽ fixerũt. In eius planiciei elato cliuo, Cortesius profligati sui exercitus reliquias collecturus, permãsit, & sub dio pernoctauit: neque enim ausus est fidere Tacunensibus, quos audiuit susurris & conuenticulis remorderi. Censu habito post susceptas reliquias infœlices, relictos à tergo trucidatos reperit, ex Hispanis centũ quinquaginta, ex auxiliariis Tascaltecanis, & Guazuzingis, cæterisque illorũ finitimis circiter duo millia, ex equis duos amisit & quadraginta: neque de Muteczumæ filiis aut primoribus, qui capti ducebantur, superfuit quisquam. De mancipiis idẽ: ante nostrorũ oculos occubuerunt omnes. Tenustitani victores nostrorum vestigia pugnando semper secuti fuerũt, ad huius ciuitatis Tacunæ prospectum: erat lata ibi planicies, impleta est ea nocte finitimis à Tenustitanis accitis, nõ ausi sunt per noctis tenebras adoriri nostros: diẽ expectarũt. Per exploratores certior factus est Cortesius quid animi haberent, quantaque multitudo in ipsum esset coacta, stratagemate vsus est. Diuersis in partibus iußit ignes accendi, quo arbitrarentur ho-

Misere profligati nostri.

Stratagema bellicum.

stes fixo pede nostros diē expectaturos. De secunda vigilia tolli signa iubet, vt quoquo modo possent milites sequātur edicit: è Tascaltecanis auxiliariis euasit vnus, anxio Cortesio, quòd qua tendere oportebat & tendere cogerentur, ignoraret: ducatus offert operam, quòd se terras illas percurrisse aliàs profiteretur. Tascaltecano duce mouet, grauiter saucios equorum clunibus aut caudis adiutos educunt: reliquos bello inutiles, qui stare pedibus quirent, vel saucios vel aliquo morbo languidos premittit. Vix bene vltimum agmen, quod ipse cū equitibus & incolumibus paucis seruabat, à nocturna sede aberat mille passus, quando primo crepusculo exoriente multitudo aduenit hostiū innumera: longis paßibus nostrū agmē vltimū assequūtur barbari. Ita nostros à tergo stimulabāt, tracti in eos ruebant equites, & plærosque trucidabāt, & ad āgmē incedens regrediebātur. Ita pugnando semper ad duas vsque leucas nostros insectati sunt, neque licuit longius iter efficere per hostium molestias: nec minus illis erat graue, quod omniū rerum egestate premerentur, quia neque à Tenustitana quicquam aptum esui exportauerant, neque tuti gradiebantur ab oppidanis: qui erant itineribus proximi, elatis clamoribus è domibus prorumpebant, veluti ad lupum deprehēsum apud ouile pastores efficere solēt, donec longe à septis lupū senserint abscessisse. Cū his difficultatibus ad amicos Tascaltecanos tandē peruentū est. In secūdo cōgressu ab exitu à Tenustitana ciuitate quatuor equos sagittis hostes vulnerarūt, è quibus vnū per ēptū ait Cortesius lautā sibi & cōmilitonibus dedisse cœnā, quòd equum auide comederint: quinque se diebus, inquiunt, cū solo maiici tosto grano, neque ad saturitatē vitā egisse calamitosā. Particularia hic multa prætereo, quæ faciunt, vt neque fabulosos duodecim Hercules Græcanicos, aut viuentium quenquam talia fuisse passum vita superstite crediderim, tot ærumnas, pugnarum tot discrimina, talem esuriem

Barbari à tergo nostros sequūtur.

arbitror nemine͂ viue͂tium, qui non sit Hispanus, ferre potuisse. Ad hoc natum est genus hoc hominu͂, vt tolerare facilius queat quoscunque labores fame͂que ac sitim, æstus & frigora, diuturnioresque vigilias, & sub dio, si necessitas exigat, qua͂ alia meo iudicio gens vlla. Sexto tande͂ die à profectione illa, quæ fugæ similis fuit, ad oppidum Tascaltecani iuris, nomine

peruenĩu͂t Guazilipa͂

GuaZilipam peruenit: domorum id est quatuor millium, vti referunt. Semisuspectus id oppidum ingressus est, quia timuit, quod fieri solet in rebus humanis, ne cum fortuna mutati essent illorum animi, & ex amicis facti essent inimici, fidem seruatam reperit. Distabat ad oppidum à Tascalteca leucas quatuor. Audita per Tascaltecanos suorum & nostrorum

Vindictæ spem oste͂dunt.

strage, accessúque ad se: legatos è ciuitatis principibus duos miserunt, quorum vnus magistrarius, Secutengel alter. Venerunt & è GuaZuZingo, republica Tascaltecanis amica, nuncij, afflictos solati sunt nostros, bono sint animo suadent, futuræ vindictæ spem præbent, vires omnes ad id negotij offeruut suas. Quiescant à tot languoribus in presentiarum, & socios curent hortantur: de Hispanorum strage͂ suorumque ciuium sub ipsorum vmbra interemptorum iactura, pœnas non multò post luituros Tenustitanos promittunt. Animum confirmauit dubium his dictis Cortesius, contendit rogatu legatorum Tascaltecam. GuaZuZingorum vero legatos rebus quibusdam nostratibus illis gratis, quia peregrinis, donatos remisit alacres. Placide suscepti sunt nostri, lectísque mollibus & victui necessarijs adiuti. Reliquerat ad MutecZumam proficiscens Cortesius apud Tascaltecanos auri & argenti non nihil. Integra reperit omnia, ac fidem seruatam. Sed quid profuit? in capsis quibusdam facultates illas, quæ summa͂ æquabant vnum & viginti millium castellanorum auri, præter gemmas, mittebat ad coloniam Veræ Crucis: comitabanttur opes illas equites quinque, pedites autem quatuor & qua-

draginta, per Coluæ prouinciæ fines hostiles, quia Tenustitanis amici sunt: capti ad vnū fuerunt, immolatique omnes eorum dijs, & deuorati à Coluanis, & thesauros inter se diuiserunt Coluani. Viginti dierum intercapedine moratus apud Tascaltecanos, saucios curauit, languidos recreauit. Posthæc ad coloniam Veræ crucis iterum misit: regrediens nuncius bene valere illa præsidia dixit, eo nuncio lætatus est Cortesius, sed commilitonum erat sententia, vt ad eam coloniam reducerētur, quo simul iuncti quirent barbarorum insidijs & perfidiæ faciliùs obuiare. Referre se nolle pedem Cortesius ait, quādoquidem in Tascaltecanis & Guazuzingis tantam fidem repererit, vt proni sint ad sumendam de tam atrocibus facinoribus in Tenustitanos vindictam suadet. Circiter Kalendas Iulij anni. M. D. XX. prodit agminibus compositis. Est ciuitas ingens nomine Tepeaca non longè distans à Tascalteca: hostili se animo hæ ciuitates insectantur. Tepeacenses duodecim Hispanos transeuntes in suis finibus deprehensos immolarunt & comederunt. Ad eos tetendit Cortesius cùm ingentibus Tascaltecanorum, Chiurutecalorum & Guazuzingorum copijs: per exploratores renunciatum est Tepeacenses a Tenustitana ciuitate militares hospites suscepisse contra nostros. Vt breuibus absoluam, prætermissis ambagibus, & hospites suscipientes & suscepti victi fuerunt. Ciuitatem habuit in deditionem. Iure se iurando parituros Cortesij mandatis polliciti sunt, & in obseruantiæ pignus obsides dederunt. Tormentaria nostra instrumenta bellica & vnà equi, res ab eis nunquam visæ aut auditæ, prostrant ilico illorum animos: maximo tamen adiumento fuit trium illorum populorum collecta manus. In hac prouincia Tepeaca locum elegit nouæ coloniæ condendæ, arcemque ibi instruxit, cui nomen dedit Sugura la Frontera. Tepeacensibus statuit non fidere, quod facili suasu Tenustitanorum principum consilia sint resumptu-

Tepeaca ingens ciuitas.

ri, quodque sit Tepeaca medium iter intercipiens à Vera cruce ad hos populos amicos. Dum hæc ita gererentur, nuncios habuit Cortesius à Vera cruce qui retulerunt, à Panuco regulo Garaij copias ad id flumen ingens missas, vt coloniam erigeret, fuisse profligatas denuo, stratosque ac euasos à Panuci reguli manibus, ad Veram crucem esse appulsos. Post Tepeacenses debellatos per cæteras nationes finitimas fama vagans populorum animos exagitabat. Montana est ciuitas alia nomine Guaccachiulla, ea legatos latenter misit ad Cortesium, se suaque oblatū in Coluæ prouinciæ incolas Tenustitanorum amicos, à quibus iacturas & contumelias se recepisse innumeras conquesti sunt, ad mulierum vsque raptus. Cismontani sunt Guaccachiulli, transmontanis in Colua regione sitis incolis inimici. Cortesio nunciarunt in transmōtanis Messingæ finibus latere in insidijs armatorum triginta millia, quod audiuerint nostros hoc animo esse montibus proximos, vt in Coluam transeant. Cum Hispanis peditibus ducentum, equitibus solum terdecim, auxiliariis tribus millibus, tormentarijs vasis additis, ad Guaccachiullos tendit: insidiarum præfecti protentis cruribus in ciuitate Guaccachiulla ociabantur. Præhendit aut interfecit ad vnum. Est Guaccachiulla ciuitas validis mœnibus turritis munita, circumuallata montibus, vbere glebæ fortunata, domorum, vti aiunt, lapidibus & calce erectarum circiter sex millium, duobus fluminibus eius planiciem irrigantibus nobilitata. Ciuitas est alia distans à Guaccachiulla quatuor tantum leucas. Misit hæc legatos oblatum deditionem. Eius regulus cum euasis Coluanis aufugit, vocatus ad imperium, recusauit. Exilium perpeti maluit quàm nostris subesse. Fratrem illius, populis id petentibus, promisso addito ciuibus, se non mutaturum sententiam, suffecit in regnum. Post paucos inde dies,

Descriptio ciuitatis.

ad ciuitatem aliam, nomine Izzucam, ad leucas easdem quatuor à Guaccachiulla, sed alia via profectus est. Ex itinere sensit Coluanorum esse in illius ciuitatis finibus copias maximas. Centum viginti millium scribunt. Terram ne ingrederentur nostri, arbitrabantur se posse tueri. Intra vrbem erant propugnatorum sex millia, cæteri per stationes erant in vicis & pagis dispartiti. Fœminas & bello inutiles quosque ad siluas & montana cum supellectilibus emiserant. Est ciuitas hæc arte ac natura valdè munita. Sum fessus munita quæque recensendo. Ergo sic. Expugnata est demum: è mœnibus ad fluuium vicinum maior pars propugnatorum desiliuit, quia se fuisse adortos à tergo senserũt. Vrbe capta ignouit populo Cortesius, vt familias cum facultatibus reducãt imperat. Domos repetũt alacres quisque suas. Impletur illico ciuitas. Per duos nuncios vrbanos, regulum qui cum Tenustitanis Coluanisque cæteris abierat, iubet acciri. Renuit. Maluit exilium. Frater huic erat spurius ætate grandior, erat & ex filio mortuo nepos decennis, tantum nepotem, quia legitimus erat, locauit in regnum, patruo in tutorem electo, sed additis illi tutelæ collegis tribus autoritate ac fide pollentibus Guaccachiullanis finitimis, qui pupilli rem curent, donec ætate prouectus gubernare ipse sciat. Izzucam hanc vrbem trium aiunt esse millium domorum, centum amplius templarias turres suis dijs dicatas, in quibus humano sanguine litatur, se numerasse inquit Cortesius ex alto quodam loco. Turres eas omnes cum suis quasque simulachris comburi fecit: imperans, ne vltra cerimoniis eiusmodi studerent. Deum cœli & terræ satorem dixit homicidas odio habere. Vt homo hominem interficiat alienum esse à dei & naturæ instituto. Arcem habet imminentem

Expugnata Guaccachiulla.

Izzuca ciuitas describitur.

urbi hæc ciuitas, septa montibus, qui eam ab acribus uentorum flatibus tutantur ob calorem, propterea gosampij generat quantitatem ingentem. Irrigua est eius planicies. Per deductas fossas uniuersus ipsius campus humectatur æstate. Fructuum est ibi copia multimoda, neque deest olerum satio. Vicis & pagis est referta planicies. Guaccachiullis occupatis & Izzucanis domitis, fama per nationes longinquas delata, rapacis fortunæ uultum esse mutatum & ex nouerca in blandam matrem esse conuersam patefecit. Animi gentium à Tenustitanis ad nostros, uti fieri solet in rota rotante, præcipites ierunt. Legati undique deditum se certatim concurrunt: metu Coluanorum & eius prouinciæ principum Tenustitanorum, non ausos hactenus fuisse obseruantiam tanto Regi, quantum Hispani esse profiteantur, debitam offerre: Nunc uero, quum se sperent fore tutos nostrorum fauore à tyrannide uicinorum regum, ciuitatum suarum detecturos uoluntatem aduenisse inquiunt. Ut iam tandem huic narrationi, quæ sat longa serie relata est, finem imponamus: A captiuis quibusdam Cortesius intellexit, in Tenustitana ciuitate post Mutec-zumæ obitum effectum esse regem fratrem eius Hastapallappæ dominum. Is post tres menses à regno capto, uariolarum morbo interiit, cui Muteczumæ nepos ex sorore suffectus est nomine Catamazinus, quod è tribus Muteczumæ filijs unū inter nostrorum stragem in pontibus interfecerint ipsi. E superstitibus uerò unus erat morio: paralticius alter. Is Catamazinus generibus armorum quotquot assequi potest comparandis intendit. Hastis præcipuè longis: quibus sperat equos procul posse ferire: quia solo equorum occursu perturbantur. Veretur namque Cortesium ad se, in admissorum uindictam, rediturum. Quia præcipuè intelligat circumuicinas regiones à se deficere, nostrisque in sui perniciem auxilia polliceri. Nec fallitur quidem: terdecim quippe birêmes dictos bergan-

Catamazinus post mortem Muteczumæ in regem suffectus.

inos ait Cortesius paraturum se ad salci lacus vastitatem illum deuastandam: quo tanta ciuitas commeatibus ablatis, & aquaeductibus confractis, tali necessitate vrgeatur, vt subdere colla Hispani Regis iugo cogi possit. Ad Hispaniolam interea quatuor misit naues, quae aduehant equos & vna sclopetariorum commodum numerum, cum tormentarij pulueris copia. Scribit Cortesius terras illas Hispanis in fluuiorum, montium, & vallium arboriferarum benegnitate similes esse. Propterea petit à Caesare, vt nomen à se illis terris inditum confirmet. Hispaniam nouam Oceani maris id vniuersum, quod descriptum est, nuncupauit. Supplicat vnà in sui voluminis ingentis calce, vt placeat suae Maiestati, virum aliquem virtute ac rerum experientia pollentem ad se mittere, qui terrarum à se subditarum perlustret oras, ac referat quae viderit. Sub data diei Octobris trigesimae ex arce quam appellauit ipse Seguram Fronterae. Anni. M. D. XX. Noua Hispania Oceani.

ADRIANO PONTIFICI MAXIMO DE ORBE AMBITO.

CAPVT SEPTIMVM.



DVM haec in meo pluteo scripta morarentur, deficientibus ob locorum longam intercapedinem & nō tuta itinera tabellarijs, ecce ab Oceano praegnanti nouos foetus, ecce recentes partus. Perpediculis duob⁹ claudetur hoc opus qui primariam precio superabunt narrationem: inaudito & creditu difficili, de orbe ambito & repertis aromatum altricibus insulis, vno. Quibus artibus, astu, animi feruore, vi armorum Tascaltecanis GuaZiZingis & finitimis MutecZumae hostibus auxiliantibus, Fernandus Cortesius ingentem

illam ciuitatem lacunarem Tenustitanam & eius potentiam vniuersam recuperauerit, strauerit, ac ferè deleuerit funditus, altero: vnde beatitudinis tuæ sceptro & magnæ Castellæ Regno accensio facta est non exigua. Ad ambitum paralelum & aromatariam negociationem veniamus, quæ paulo longius captanda est. Ex vrbe Barchinona, cum Cæsar illic Laletanis intenderet comitijs, tua beatitudine in nostro rerum Indicarum Cæsareo senatu præsidente: data fuit, vti meminisse oportet, Fernando Magagliano Portugalensi, à suo rege traansfuga, de Maluchis insulis aromatum nutricibus perquirendis cura, quod is in Cochineis, Cananoreis, Colocuteis, Chersonesis, aliâs Malacheis nundinis, septennio versatus, vbinam iacerent insulæ sciebat. Ab aurea Chersoneso vulgo Malacha, cæterisque illis emporiis non lõgo maris tractũ distant. Dimissus Magaglianus à nostro Senatu ipso, cuius erat princeps tua Beatitudo, ex Barrameda, Bethis ostio in Oceanũ, vigesimo Septẽbris anni millesimi quigẽtesimi decimi noni, vela fecit, cum nauibus quinque nominibus impositis prætoriæ, Trinitatis, cæteris sanctus Antonius, victoria, Conceptio, sanctus Iacobus, in quibus viros vehebat ducentum triginta septem, è nauibus duæ tantum redierunt. Quarum vna, prætoria naui derelicta, regressa est inutilis: altera post triennium ferè ab egressu ex Hispania (sexto namque Septembris anni. M. D. XXII. ad eundem appulsa est portum, à quo discedens exierat) gariofolis & aliis aromatibus quibusdam onusta. E viris pauci euaserunt. Perstitit & prætor ipse Magaglianus in vna insularum dicta Matam ab incolis trucidatus ex itinere, vt infra dicemus. Est inter Castellanos & Portugalenses à maioribus innata simultas quædam: è Castellanis Magaglianus, diuersis occasionibus quæsitis multos sub iusticiæ prætextu consumpsit, quod inuiti illius dictis auscultarent. Hoc suis locis. Ad iter ab

Altius rẽ repetit.

eis sumptum veniamus. Ad fortunatas primo, dehinc ad Gorgodum insularum prospectum, quas Bortugalicus earum dominus Capitis nuncupat viridis, appulsi: verterunt proras in dexteram à tergo nostri putati cōtinentis, per eius terræ porrecturā quæ dicitur sancti Augustini, Castellana impositione: pauloque vlterius à Portugalensibus sanctæ Mariæ, quæ vltra lineam æquinoxialem protenditur grádus quinque, decesseruntque ad antarcticum, ad signum vsque: vbi diximus in vna decadum fuisse trūcidatum Solisium claßis nostræ littora illa percurrentis ducem, cum socijs quibusdam, atque ab incolis comestum. Eum sinum aiunt habere gradus octo & triginta trans æquinoctialem ad antarcticum. Huic loco nomē est impositum Baia sanctæ Mariæ: dixi alias Baiā dici sinum. Mißi à Magagliano nuncij aduerso flumine in sinū cadente, cum vna è nauibus & cimba alterius, tres viderunt semisyluestres ac nudos homines spitamis duabus humanam superātes staturam. Ex illis fidēs vnus cimbā est ingressus. Arbitrati sunt nostri tracturum ad naues socios, si habitum ad manus benè tractarent. Benè pastum ac potum & indutum remiserunt. Nullus aduenit, neque vlterius ille. Repererunt tamen arbores cum nostris securibus scissas, in cacumine quoque arboris alterius crucem erectam. Hominis è nostris nullius repererunt vestigia. Mira de huius fluminis amplitudine referunt vti de Maragnono in Paria regione ad septentrionem alias dixi. In viginti se leucas aduerso flumine ascēdisse aiunt, vbi latū esse dicūt leucas septēdecim. Fauces autē eius, quod multa in illud ex itinere defluere perceperint alia flumina, latas esse dicūt in immēsum: bibiq; dulces aquas per spatiū ingēs in pelago: quo sinu derelicto, ad antarcticum paucis gradibus, quia curuabatur iam ad occidentem terram, magnū repererunt alium sinum, cui nomen imposuere sancti Iuliani. Portus erat in eo tutißimus, propterea iacere anchoras præter iußit.

Baia sā̄ctæ Mariæ.

Portus S. Iuliani.

Iam sol ad nos ascendens, terras illas deserebat: frigore premebantur, posteaquam sol arietem transegerat medium, vti apud septentrionales nostros, dimidiam libræ partem sole transeunte. In eo portu sub tugurijs & magalibus in littore, mēses æstiuos nostri quatuor ampliuss à frigore detenti & tempestatibus inclusi egerunt. In Kalendis namque Aprilis portum captarunt illum, exierunt vero nono calendas Septembris. Hic sæuiuit Magaglianus Portugalensis in virum quendam nomine Ioannem Carthagenam, Episcopi Burgensis familiarem: qui ex regia sanctione datus erat Magagliano collega, secundusque claßis dux. Illum & sacerdodotem vnum sub structarum insidiarum ad eum perimēdum occasione dimisit in terram, cum biscocti panis pera, singulisque ensibus: voluisset cogitatus eorum, si fortè cogitauerant de eo perimendo, morte mulctare: sed veritus Castellanorum odia in eum iam concepta, non est ausus. Varij variè rem hanc, reliquas etiam huic similes referunt. Magaglianum iure quæ fecerit egisse, dicunt hi, taxant alij, veterique simultati generali Castellanos inter & Portugalenses, executiones illas ascribunt. Incolarum illic videre tuguria: sed est gens inculta, inermis, tantum pellibus contecta, vaga, sine certis sedibus, exlex, statura grandiore, Patagones appellantur. E portu illo sancti Iuliani iam sole ad eas oras redeunte: Kalendas nono Septembris anni. M. D. XXI. anchoris erutis descendunt ad antarcicum, aiunt ipsi gradus alios quatuordecim. Hic est pede plano ambulandum parum per. Audiuisse sub nube se in actionibus Portugalensibus, cum puer esset hic Magaglianus, fretum iacere in illis terris varijs tractibus implicitum: sed qua esset illud quæsiturus non intelligebat. Sors obtulit quod ratio non direxit: exorta est illi adeò fera tempestas, vt vnam è nauibus raptauerit, proieceritque pensilem integram super proximis quibusdam saxis.

Ira Magagliani in Ioannem Carragenam.

Patagones

saxis. Seruati sunt homines: sed nauis in frusta ex ictu procellæ perstitit. Ecce vnam è quinque iam postergatam. Paulo longius habebat à læua ingens Oceani pelagus. A dextris, inaccessos montes niuales: è nauibus vna quæ minore indigebat fundo, receptum quærens, à furore vndarum propius ad terram se applicat. Fretum forte vidit angustum, paulo interius procedens in sinum incidit latum quatuor leucas Hispanas, lõgum sex, regressa nauis dat de freto nuncium. Hic prætereo minuta multa, sequuntur reliquæ: aiunt alicubi fundà iaci potuisse lapides ad vtrunque montem. Deserta est terra, cedrinis arboribus dicũt cõsitos esse mõtes ambos laterales freto. Eo sinu præterlapso, fretum aliud obuium habuerunt, aliquando latius, angustum tamen. Dehinc sinum alium. Post fretum aliud, vltra quem sinus erat alius, vti duas videlicet in tabulis indicibus Europæ angustas fauces, amplum quoddam spacium amplectentes ad Helespontum: ita in hoc freto tres cum spaciis grandioribus totidem. Freta hæc insulis plena sunt paruis, vnde suspecti semper vada timentes, per ea loca nauigabant. Vbique profundissima repererunt maria. Tendebat iam ad Occidentem æstiuum tractus ille, quem centum decem leucas protentum designant. Dum in medio ferè tractu illo iecissent in quodam quadrato maris spacio anchoras, nil memoratu dignum inuenerunt, iter sequuntur suum è quatuor nauibus tres. Restat in eo quadrato interuallo quarta sancti Antonij titulo nuncupata: putauerũt socij secuturam. Restitit, & terga vertit cæteris, regressaque iam diu est blasphemijs insectans Magaglianum. Non impune talem inobseruantiam admisisse nauis duces arbitramur. Cum solis ergo tribus nauibus procedunt cæteri. E fretis illis exeunt tandem, quæ Octobris die primo & vigesimo sunt ingressi: Egressi autem quinto Kalẽdas Decembris. Longissimos se dies eo tempore, noctes vero breuissimas, habuisse dicunt: nec à sphera

ratione alienum est. Vastum, eo tractu superato, captarunt Oceanum aliud mare. Id est nostri putati continentis à tergo, mariq; illi iungitur, quod Australe in decadibus appello, à Vasco Nunnez primum reperto ex Dariene, dirigentibus illû Comogri regis filiis: per id pelagus immensum, aiunt tres se menses ac viginti dies egisse, cœli tantum & aquæ salsæ prospectu contentos. De summa rerum egestate, deque infensis caloribus miseranda referunt. Orizæ quantum pugno capi queat, portionem quotidianam multis diebus fuisse solam, sine alterius vllius cibi mica, profitentur. Potabilis aquæ penuria erat tanta, vt cogerentur salsæ maris aquæ tertiam partem ad Orizam coquendam inicere, & si forte puram quis bibere tentaret, claudere oculos præ viridi situ, & nares præ foetore cogebatur. Per mare illud ingens tendentes ad occidentem & septentrionem resumpsere denuo lineam æquinoctialem, cui proximas reperere duas incertes insulas, quas appellauêre infortunatas, eo quod penitus inutiles ac desertas. Dehinc insularum multitudinē Archipelagus nūcupauere, ad nostrarum Cycladum in Ionio mari similitudinem: in initio quarum descendêre in insulis plærisque ab exitu angusti freti leucarum spacio quingentarū, eas Latrones appellauêre, vetere nomine non expresso, quod, licet pacatis animis nostros admiserint, quicquid asse qui poterant furabantur: vti vagum genus illud furum quod Italus Zingaros appellat, & se mentiūtur Aegyptios esse: inter ablata furtiuè, cymbā, qua in terrā è nauibus nostri descēderāt, vix terga vertentibus, abduxerāt eā tamē: sed multis prius interemptis reuexerūt. Nuda est gēs & semibruta: est ibi arbor quæ coccos creat. Ex illis maior est insula Burneia, quā sine hæsitatione scribūt ambitu esse leucarum ducentarum quinquaginta quatuor. In huius insulæ portu aiunt arborem creari, cuius folia cadentia gradiantur

Insulæ Infortunatæ.

Archipelagus.

serptim vti vermis: vitalem spiritum puto aliquem inter vtranque folii faciem tumescere, qui quasi ventosus halitus paruo duraturus folia moueat. Duo ibi religionum genera esse intellexerunt, idolatras & Mahometanos, inuicem satis concordes. Armenta boum & bubalorum nutriuntur in ea. Greges etiam caprarum, & altilium nostratium copia passim ibi alitur, ouium minime. Tritico & hordeo caret ac vino, abundant Oriza, is est eorum panis, & ex Oriza dapes condiunt varias. Vltro citroque Burneius regulus & nostri gratis muneribus se salutarunt. Ad nostros regulus sua misit munera super elephantibus duobus, & altero die dapium genera duo & triginta humeris nobilium allata: quinque ac viginti millium domorum aiunt huius principis esse ciuitatem: sed lignearum, præter regis atrium, quod esse dicunt lapideum. Circumeunt Burneiam insulæ multæ paruæ: inter quas duæ, quarum altera Zubo, Matan, ab oppido primario nomine Matan, altera. Zubi regulum sibi Magaglianus conciliauit, datis illi regi muneribus è nostratibus ipsi gratis, quia nouis & alienis ab eorum cognitione. Baptismatis lauacro regulū & Cæsaris obseruantiæ subiecit. Dehinc relictis in portu Zubensi nauibus, cum illarum scaphis & prouincialibus cymbis vniligneis & militibus Zubensibus, traiecit in insulam Matan ab oppido Matan dictam, quæ in prospectu est ad leucas tantū quatuor. Matano regi persuadere conatus est per interpretes, vt Hispano regi magno vellet ac Zubensi subdere se, pendereque tributa Hispano magno regi: se illi obtemperaturū respondit, Zubensi minime. Dedit oppidum regiæ sedi vicinum in prædam, & combußit vniuersum Magaglianus, domorū forte quinquaginta: in Zubum regressus est cum præda rerum comestibiliū, quarū erat in Zubo aliqua penuria & suppellectiliū variorū. Sed maiorū illorū partē Zubenses Matanorum

Oriza.

Burneius regulus.

inimici rapuerunt sibi. In octauum inde diem reuersus Magaglianus eodem modo, relictis nauibus, armis tentauit oppidum ipsum regium Matanum expugnare. Detrectauit Magagliani, fato aduerso huc aduecti, mandata regulus. Exiuit obuiam armatus cum oppidanis. Præter tela prouincialia ex cannis & lignis adustis, hastas hic regulus longas & ferratas assequitur, quia Sericæ & Sienarum regionum mercatores has petractent insulas. Fuit à regulo cum septem socijs trucidatus, vulnerati duo & viginti. Ita bonus Portugalensis Magaglianus suæ cupiditati aromatariæ finem imposuit. Regressi superstites ad socios in Zubum, fuerunt à Zubensi regulo inuitati. Conuiuio affuerũt Ioannes Serranus nauclerorũ Oceani princeps, de quo in decadibus primis, nunc vnius nauis præfectus, & alterius nauis præfectus alius, cum forte decem comitibus. Vagabantur interea per insulam alij è nautis forte quadraginta. Salit ex insidiis in prandentes regia cohors, armata trucidauit alios, præfectos seruant, & nudatos ad littus trahunt palam, existimantes venturos è nauibus cum scaphis alios, vt eos prehenderent. Non ausi sunt qui naues custodiebant accedere. Ita socius derelictis vela fecerunt infœlices. Scrutatus sum à regressis inter cæteros à iuuene Genuensi Martino de Iudicibus, qui omnibus rebus interfuit, quod crimen admissum Zubensem regem ad patrandum impulerit tam crudele facinus. Fœminarum stupra causam perturbationi dedisse arbitrantur. Sunt namque Zelotypi. Hæ sunt, meo iudicio insulæ, de quibus autores multi multa referunt. Millia insularum, tria dicunt plerique, augent alij, non longe ab Indicis littoribus distare. E circumeuntibus Burneiam insulam, vna est in qua sunt oppida duo Buturan & Calegam: placidè ibi sunt suscepti. Ex eadem insula viderunt aliam, à Calaganensibus digito monstratam, in qua Buturanenses & Caleganenses dixerunt, auri esse in arenis maris tantam

Magaglianimors.

copiã, vt cribro solum arena discussa, auri grana deligãt, quæ auelanã vel paulo minorem fructum æquent: cætera veluti vilia despiciunt. Est huic in prospectu alia duobus oppidis nobilibus insignis. Vindanao & Chipico, quorum alterum ad austrum spectat, ad septentrionem alterum. Australis terra cinamomum, aurum altera gignit. Ex vtroque nostris rerum permutatione tribuerunt aliquid. Ad has insulas vti iam dixi, ex Seribus & Sienensibus aliisque Indicis regionibus frequenter solent commeare mercatores, auri & gemmarum permutatione, aliarumque rerum: ipsi telas, pannos, ac cætera faciẽtia ad ornatum & cultum humanum, ad bellum etiam. Ab horum insularum prospectu abesse tantopere desideratas Maluchas insulas, ad æquinoxium leucas centum septuaginta quinque, gradus ipsi computant decem: vnde, figant ingenium in his computationibus non intelligo. Gradum prisci philosophi sexaginta milliaribus Italis, quæ mille passus dimensos includant singula, constare volunt. Leucam isti dicunt milliaria ex illis continere quatuor mari, terra vero tria. Si cõputationem leucarum sumpserimus, nautarum Hispanorũ more, quindecim cõtinet quisque gradus leucas: ipsi vero contra omnium opinionem, aiunt gradum cõtinere leucas septem decim cum dimidia. Intelligant ipsi se, quia illos ego non intelligo. Ad Maluchas veniamus: captarunt tandem illas. Quinque sunt primariæ, lineæ æquinoctiali vel suppositæ vel proximæ, ambitu ferè æquali: quatuor vel quinque, aut quando plenius, sex leucis ipsarum quælibet continetur. Eminet, quodam naturæ instinctũ, in singulis elatus collis. In illis gariofilum & suapte oritur natura & coalescit. Quinque illas ab latere antarctico videtur ingens terra nomine Gilolo includere. Nascuntur & in Gilolo gariofila sed acria & semisyluestria: vti accidit de castaneis aut oleastrorum oliuis non insertis, in paruis vero insulis illis omnibus sunt aromatica. Sed

Quot leucæ efficiãt gradum.

Maluchæ insulæ.

auditu pulcherrimum est, unde aromaticus ille vigor in gariofila eorum iudicio infigatur. Aiunt incolæ singulis diebus ter eleuari nubem quandam, dicunt ipsi mitti è cœlo, summo mane, in meridie, & ad vesperam, quæ collium gariofila gignentium culmina tegat, ita vt eo tempore videri vertices nequeant: atque post breue tempus dissolui nubem illam. Gariofilorumque arbores, quæ sunt lauro pares ac ferè similes, eo spiritu grauidare, argumento esse dicunt, quòd ea nubes ad insularum plana descendat nunquam: neque ab collibus transplātatas arbores bene coalescere, aut fructus gignere sapidos. Planiciem quæque insula orizæ sationi seruat edendam. In vna illarum descenderunt, à cuius regulo fuerunt placide ac honorifice suscepti, sed cum duabus tantum nauibus: tertiam namque, quod iam deficerent homines, qui gubernare plures quirent, post prætoris & sociorum necem & letale conuiuium, dissoluerunt. Quæ Trinitatis & quæ Victoriæ nomen habebant, remanserunt incolumes. Gens hæc ferè nuda est, subligaribus ex arborum philiris ad pudendorum tantum velamen vtuntur. Regulus vero ille nostris retulit, propterea læto se animo nostros in hospites suscepisse, quòd paucis ante mensibus in orbe lunæ viderit gentem exteram aduentare pelago, neque nostros differre ab eo simulachro vel puncto professus est. Ab his insulis arbitrari se aiunt distasse ab Hispaniola leucas quinquies mille, quæ milliarium continent Italorum millia viginti: falli arbitror. Aiunt nostri insulas eas esse fœlices, licet nostro pane vinoque careant & carnibus bouinis, arietinisque, quia contenti sint sua oriza, ex qua mille ciborum genera conficiunt. Popularem habent alium panem ex quarundam palmarum veterum lapsarum interiore medulla iam confecta vetustate, vti accidere solet in montanis densis nemoribus ab hominum commercio semotis, in quibus decidunt magnæ arbores vel vi tiphonum perculsæ, vel deficiente in radi-

De vigore gariofilorum.

cibus substantia terrestri, ex longa intercapedine annorum crescenteque arborum proceritate, quæ maiore indigeat radicum vigore, quam tellus ipsa queat radicibus porrigere ad arborem sustinendam. Vtcunque sit, iacent in siluis multæ, putrescuntque ibi & canescunt carieque corroduntur. Eiusmodi est ea palmaris medulla ex qua illi vulgarem conficiunt panem. In quadratas medullam scindunt formas, mox in farinam conterunt & desiccant, pinsunt demum & coquunt: frusta tulerunt in cocti lateris formam compacta. Volui gustare, nil asperius, nil insipidius: miserorũ inopum esse debet id alimentum, quibus orizæ deest facultas, quod agrorum cultus sint expertes. Vidi ego & in montanis ruribus ac pagis vesci monticolas pane paulo sapidiore, coloris fere nigri, ex grano tiphæ, vulgo Hispano centeno, vel millio aut panico, vel his deterioribus aliquibus. Regula est in rotæ rotantis arbitrio, vt saturentur pauci, famescant plures, delicias assequãtur quidam, epulum non multi. Viuitur tamen vndique, quia natura paruo est contenta, modo paruo simus assueti. Caprarũ est apud eos alendarum & altilium omnium cura. Cannas habent dulces, vti è quibus extorquetur saccarum. Mala etiã punica, quæ granata dicũt Italus & Hispanus, mala medica & citria omnis generis. In his pomis dicit Hispan⁹, limas, limones, narangias, torongias, cidras, cidrones, quæ inter se differunt. In herbis etiam cur nasturcium aquaticum vocabo, herbas in fontium riuulis nascentes? si vulgus Hispanum Berros, Italum cresones liquide ac sine circuitione nominat vno vocabulo? Et quod magis nauseam incitat, inter eas herbas venenosum perimens nascitur nescio quid, ab Hispanis anapelum appellatum. Interrogatus, qui nihil in thesauros animæ suæ curet aceruare præterquam esse latinum, etiam quod illo careat vocabulo lingua latina, poßitque aliunde sumi perpulchre, an liceat

Ex quo conficiũt panem.

Mala punica.

anapelum dicere? torquebit nares, & insufflans lupi strangulatorem dici rem illam debere graui quodam elato supercilio immurmurabit. Ergo sic meo arbitrio, cum nasutorum bona venia, Maluceæ insulæ, narangiis, limis, limonibus, torongis & cidris, cidronibus, granatis pomis, oleribusque abundant. Non sine causa subiit de cressonibus vel berris, & anapelo mentio: quia cum in primo margine cœnæ paucis ante diebus herbam illam cum suis aceto sale ac oleo ederemus: Fernãdus Rodericus meus, cuius opera vsa est aliquando tuæ beatitudinis suasu Cæsarea maiestas, in anapelum incidit, quo sumpto, ac si cicutam vel aconitum comedisset, ita stratus decidit, tiriaca & mitridatico fuit obuiatum illico: diu tamen semi-attonitus vixit. Nonne sapidum & bene sonans verbum est anapelum, cum lupi strangulatorẽ fœda illi circuitione dici debere blatterabunt? Vina non ex vuis, quas nõ habent Maluceæ, insulæ sed ex varijs fructuum generibus sapida, ex vno præsertim conficiunt. Est apud eos & apud nostri putati continẽtis incolas arbor ferè palma in similitudine formæ: in modo procreandi valdè dißimilis. Arbor hæc racemos generat duodecim, plures interdũ, ad vigesimum vsque: in quolibet racemo, botros vti ex vua, sed mille tegminibus vestitos: botrrus quisque denudatus paruo meloni valde rotundo est similis, sed cortice testudinea ferè concham æquans duricie. Coccos appellant fructus illos, textis exterioribus est pluribus tunicatus coccus, quàm palmula cõmestibilis cum iisdem costulis, retibus interligantibus illas: nec minore labore purgari tunicas illas oportet, quàm palmulæ denudentur. Aperti cocci potũ præbent & escam, liquore suaui plenum esse reperiunt. Intra corticem nutritur spongiosa quædam altitudine duorum digitorum, inhærens cortici massa, butyro vel abdomini candore mollicieque similis, gustu suauior: Maßa illa de interno cortice abrasa est esui aptißima. Si paucis diebus conuo-

Anapelũ.

Arbor similis palmæ.

luta parumper in ipso vase perstiterit, dicitur liquefieri, conuertitque in oleum oliuarum oleo suauius, & ægrotis valde salubre. Aliud naturæ ministerium vtile recipitur ex hac arbore. Perforant arboris latera, qua folia ex arbore prodeunt. Stillare guttatim aiunt in supposita vascula liquorem potabilem, gustui aptissimum, & valetudini consonum. Piscibus intendunt capiendis, quorum illa maria creant passim multa genera, interque vnum mõstrosum non mediocriter, cubito aliquanto minorẽ, ventrosum, tergo fulto, non squamis, sed corio durissimo, rostro porcino, fronte duobus rectis cornibus osseis armata, dorso bicipite, eleuato, osseo. Regulus, apud quem nostri descenderunt, ope diuina illuc aduectos credens: nostros quid optẽt, quid ve queritẽt interrogat. Aromata inquiunt. Quæ nos habemus ait, assequemini. His dictis insulares suos dedititios ad se vocat: vt nostris gariofilorũ quisque suorum aceruos ostendat edicit. Sinatque pro arbitrio, honeste tamen compensando, nostris auferre: matura namque in aceruos domi congerunt, mercatores expectantes, vti de omnibus alijs mercibus accidit. Hic ad Collociteas, Cochineas, Canenoreas, & Malacheas nundinas, cum nauibus quibusdam magnis, quas ipsi vocant iuncos, asportantur. Idem de pipere, gingibere, cynamomo, cæterisque animos hominum effœminantibus, parum necessarijs blandimentis: sed in his quinque insulis Maluchis, nil aliorum generatur aromatum præterquam gariofilorum, non tamen longè distant ab his illæ lasciuias gignantes alias, id ab incolis Malucheis renunciatum est, & experimento pyratico didicerunt. Quum namque à Burneia insula grandi, ac cæteris circumadiacentibus insulis, in vna quarum præfectum Magaglianum trucidarunt, ad Maluchas tenderent ex insperato inter nauigandum in nauim vnam ex prouincialibus ingentem, imparatam, dictam iuncum inciderunt, onustam mercibus, inter

Monstrosum genꝰ piscium.

quas omnium aliorum aromatum inuenêre copiam, sed exiguam, ea sunt perfectißima, quia de recenti collecta: neque naues illæ longos audent maris tractus percurrere, quia non sunt illorum naues arte tanta compositæ, vt ferre queant eas maris procellas, quas nostræ perpetiũtur: neque illarum nautæ sint ita periti, vt nauigare sciant qua ventus non flet recta in puppim. Commeatuum prouincialium illa nauis in proximam aliam insulam vehebat pondus suum: OriZam, coccos, de quibus paulo ante, gallinas, anseres, & commestibilia multa, auri etiam granati copiam aliquam: lauta sibi ex illis prouentibus parauêre prandia, innocentum, sine suspitione transeuntium, impensa. Gariofilis ergo duas naues superstites onerare statuerunt: & quoniam non reperta fuit apud eum regulum tanta copia, vt impleri naues ambæ possent, regulus ipsemet percurrit finitimas, quæ sunt in prospectu. De quinque namque, alterne quatuor se inuicem vident. Quinta longius parumper abest ab alijs, quantum oculus non attingit hominis, sed paulo plus. Ecce repletas gariofilis naues duas ex decerptis recenter ab ipsis arboribus, è quibus & ramos cum suis quemque gariofilis tulêre: delectabile fuit curialibus omnibus ramos illos videre, olfacereque in suis matricibus ramis bacculas illas. Differt non mediocriter odor ille ab odore veterum gariofilorum quæ venduntur à pharmacopolis. Ex alatis habui ramos plærosque: multis sum multos impartitus, ad varias terras mittendos. Adhuc restant apud me pauculi, quos asseruabo donec intelligam an ad tuæ Sanctitatis manus aliquis ex illis peruenerit. Ecce naues duas gariofilis onustas. Quid subsecutum sit, enarremus. Erat è duabus vna, dicta Trinitas, carie confecta, corrosa, putrida vermibus, quos Venetus vocat bissas, Hispanus bromam, adeo terebrata, vt nil minus per eius latera & sentinam aqua percurreret, ac per cribri foramina. Quare non ausa est credere

Naues duæ repletæ gariofilis.

e tam vastæ nauigationi, donec reficeretur. Perstitit ergo Trinitas ad hunc vsque diem, incolumis ne sit ignoramus. E quinque igitur duæ tantum redierunt. Hæc quæ Victoria dicitur in præsentiárum: Anno superiore altera sancti Antonij, ex hominibus pauci. Restat vt quæ redierit Victoria referamus: Alia namque via post triennium paucis diebus exceptis, à discessu reuecta est, primarijs omnibus infelici euentu ponè relictis. Sed hoc inauditum hactenus, tentatum nunquam ab initio mundi parallelum integrum, terram vniuersam circuiuit hæc nauis. Quid super hac incredibili nouitate cōfinxisset Græcia, si Græco alicui accidisset? Nauis Argonautica dicat, (quam sine rubore ac derisu suspitiose fabulantur in cœlum esse relatam) quidnam effecit. Si quid ista egerit persuaserimus, ex vrbe Argo in Pontum ad Oeten & Medeam progressa, cū suis heroibus, Hercule, Theseo, Iasone, nescio quid egerit: adhuc ignotum gētibus est, quid fuerit vellus illud aureum: quæ vero sit ex Græcia in Pontum itineris intercapedo apud grammaticulos pueri didicerunt. Vrgue gignanteo multo minor est ea distantia. Sed quonam id pacto queat, vt mundum cinxerit, hominibus persuadere, elaborandum est. Creditu quippe durum. Hinc argumentum capiamus. Afferri iubeat Beatitudo tua solidam spheram rotundam, in qua sit orbis totius depicta figura. Ibi ducem accipiat fretum Herculeum, Gibraltari strictum appellatum. Exeundo ad læuam occurrunt primo fortunatæ insulæ, Canariæ dictæ vulgo. Inter eas, & Affricæ litora recta tendentibus ad meridiem, obuiæ fiunt aliæ insulæ à Portugalensibus dominis earū Capitis viridis insulæ nuncupatæ, Latine Gorgodes Meduseæ. Hic animaduertēdū est attētā mēte, quia hinc sumitur huius admirationis initiū. Portugalēses ex Hesperidibus in læuā prorsus conuertunt proras, & lineā trāseunt æquinoxialem, tropicū etiā capricorni traiiciunt, vsque ad lunæ mōtiū porrecturā vltimā: Caput Bona Sperātiæ

Nauis argonautica

dictam: vt vulgo loquar: ab æquatore gradus quatuor & triginta, minuunt duos alij. Ex eius promontorij cuspide regrediuntur ad orientem, & Erythrei maris Persicique sinus fauces, Indíque ac Gangis vasta ora pernauigant, ad auream vsque Chersonesum, quam ab ipsis Malacham nuncupatam diximus. Ecce dimidiam circuli orbicularis partem. Duodecim horarũ quas sol percurrit, è quatuor & viginti perpetuo computo cosmographi omnes id esse spacium scriptum reliquerunt: dimidiam, quæ restat, nunc dimetiamur. Ad Gorgodes redeundum est. Illis insulis in læuam relictis hæc nostra claßicula nauium quinque, rectà tetendit ad dexteram, puppim vertens Portugalensibus puppibus, à tergo eius nostræ terræ, quã dicimus putatũ continentem, cuius initium est sub Portugalensiũ ditione, ac tantũ progressa est claßis hæc vt ea via gradus antarctici fuerit assequuta, vti iã, diximus quinquaginta amplius: non signo numerum particularem, quia differunt in relatu graduũ, licet parum. Solẽ sequuti cadentẽ, vti Portugalenses orientem, præhenderunt à tergo eas insulas Maluchas, quæ non magno tractu distant ab eo in quo Gatigaram Ptolomæus & sinum magnum locat: regioni Sinarum patentem portam. Quid dicam de sinu magno, & de Gatigara, (quæ non reperisse aiunt eo esse habitu quo describuntur à Ptolomæo:) prætereo in præsentiarum, aliâs forte latius. Ad ambitum parallelum redeamus: en alia via versis vestigijs repertã Chersonesum aureã, quàm à Portugalẽsibus: eadem via per aureæ Chersonesi prospectum, perque Portugalensium semitas omnes reducit ista nauis, argonauticæ regina: ad Hesperides Gorgodes applicata hæc nauis, omnium rerum egena, scapham dimittit cum terdecim hominibus, potabilem aquam & commestibile aliquid, non gratuito tamen postulatum. Ibi Portugalenses sui regis ministri, qui oculum sibi dextrum erutum iri arbitrantur, si aromatum

Aurea Chersonesus.

princeps alius prouentus assequatur, scapham & ministros contra fœdera inita ab initio diuisionis, ab Alexandro Pontifice sexto sancitæ, prehenderunt: tentasseque regios Hesperidum magistratus, nauim ipsam capere, quod factu facile fuisset. Sed intellecto sociorum euentu, nautæ priusquam suas Portugalẽses præpararẽt naues cõgreßiuas, erutis anchoris, aufugisse aiunt se, relictis in Portugalẽsium potestate terdecim socijs, ex vno & triginta quos aduehebãt de sexaginta ex Maluchis nauium ingreßis, dimissos tamen remiserũt Portugalenses ex sui regis mãdato. Si cõquestus, si sua discrimina, si famen, sitim, vigilias & ærumnosos labores in exhauriendo ingredietẽm per apertas rimas & foramina maris aquã die noctuque recitare vellem, lõgam nimis intexerẽ orationẽ, hoc satis, in illam cribro pertusatißimo pertusatiorem nauem, in aduectos octodecim, equo strigoso strigosiores. Tot erroribus actos se inquiunt, vt millia leucarum quatuordecim percurrisse, nunc hac, modo illac nauigando se prædicent, licet terræ ambitũ minus octo millibus constare fateantur, quia qua via quærendæ forent optatæ insulæ ab itinere Portugalẽsium alieno ignorabant. Datur opera ne à talibus incœptis decidatur: quid statuetur, quo pacto cum Portugalensibus concludetur, qui se iacturam ingentẽ perpessuros ex hoc negocio cõqueruntur, significabimus. Arguunt illi Maluchas esse intra limites aßignatos ab Alexandro sexto Pontifice maximo cuique regi, Castellæ dico & Portugaliæ: esse pagos aiunt illi & rura villulasque, suos prouentus ad Malacheas, Colocuteas, Cochineasque nundinas afferentes, vt accidit in vniuerso, rusticis ad vrbes, & oppida venum necessaria comportantibus, quæ domi colunt & nutriunt rustici. Nos verò è contra reperimus Malucham ab ipsis vsurpatam, quod sit extra lineã illam, diuidentem ab oriente in occidentem ab vtroque polo. Id tuæ Beatitudini est notißimum, quia coram eã discussa

fuit non semel ista quæstio. Vnum restat quod summa replebit admiratione legentes, eos præcipue qui se putãt vagos cœlorũ cursus habere præ manibus familiares. Quãdo ad Gorgodes nauis hæc regressa fuit, diem fuisse Mercurij arbitrabãtur nautæ, Iouis esse repererunt. Vnde diem vnum in eo discursu aiunt sibi ablatum, ea trium annorum intercapedine. Ad illos ego: En vestri forte sacerdotes vos fefellerunt, diem illum in suis aut celebrationibus, aut horis recitandis remittendo. Ad me ipsi: Et quid? num forte omnes? cordatos præcipue ac rerum experientia pollentes in errorem tantum decidere potuisse suspicaris? casus communis est, vt dierum ac mensium ratio habeatur in promptu, præsertim quia multi horarios habebant secum libellos, & quid esset quotidie recitandum optime callebant. In horis præsertim Beatæ virginis, cui nos singulis momentis prosternebamur, patrocinium eius implorantes: in his & defunctorum commemorationibus tempus illud ociosum multi conterebãt. Dirigito igitur cogitatum aliò: dies ablatus est nobis vnus proculdubio. Hi hæc, alij alia, ac varij varia cõmemorãt, de sublato die conueniunt omnes. Addidi ego, amici memores estote annũ sequentẽ à discessu vestro, qui fuit vigesimus à quingentesimo, bissextilem fuisse, ne inde forte sit error sumptus. Pigmeo Februario dedisse illo anno se nouem & viginti dies, & bissextis bissextæ Kalendas Martii illius anni non fuisse oblitos, affirmarunt. Sunt hi octodecim superstites litterarum penitus expertes. Ita successiue inquiunt. Agitatus ea cura conueni Gasparem Contarinum, oratorem apud Cæsarem pro sua Illustri Republica Veneta, omni litterarum genere non mediocriter eruditum. Nouam hanc inauditam hactenus narrationem variis argumentis discutiendo accidere posse cognouimus hoc pacto. Soluit hæc nauis Castellana ab Gorgodibus insulis occidentem versus, quo etiam sol tendit. Inde effectum est vt sequuta solẽ, vnum-

De diẽ perdito.

quemque diem longiorē habuerit pro quantitate itineris confecti, quamobrem perfecto circulo, quem sol viginti quatuor horis peragit versus occasum, integrum diem consumpsit, itáque vno pauciores dies habuit, quàm illi qui certam quandā sedem eo temporis spacio tenuêre. Quod si claßis Portugalensium quæ versus orientem nauigat, cōtinuato itinere versus orientem hac nauigatione & via, nunc primum inuenta ac mortalibus patefacta, iterum ad Gorgodes reuerteretur, nulli dubium quin cū breuiores dies habitura fuerit peracto circulo illis superfuturæ fuerīt viginti quatuor integræ horæ, ac ita vn⁹ integer dies, quare vno plures numeratura esset: sicque, si vtraque claßis Castellana inquā & Portugalica eodē die ab Gorgodib⁹ soluissent, & Castellana occidentē, Portugalenses vero orientē versus, puppibus inuicem versis nauigassent, & eodem temporis spacio eodem momento diuersis his viis ad Gorgodes reuertissent, si dies ea fuisset Gorgodibus dies Iouis, Castellanis quibus dies integra cōsumpta fuisset in dies longiores, dies Mercurij illuxisset. Portugalensibus autem, quibus ob dies breuiores factos, dies vna superesset, eadem dies veneris. Philosophi rem philosophicam altius discutiant. Nos hæc damus in præsentiarum. Satis iam de peragrato parallelo deque aromatum nutricibus insulis ac die consumpto & nouis terris. Nunc tādem ad res Tenustitanas deueniamus, quas perstringam quanto breuius potero, quia sum mihi iam ipsi tanto labore grauis & molestus, ob senectam fugientem, in cuius rapacibus vnguibus me tua Beatitudo ferè labantem reliquit: ea me properanti volatu, ad sororis suæ decrepitæ rapaciores deuoratus detrudere conatur, ac si per huius luci semitas placidius esset deambulandum.

Redit ad res Tenustitanas.

CAPVT OCTAVVM.

1521 E Disiectis ex lacunari Tenustitana ciuitate nostris, quo've pacto cum finitimorum Tenustitanis inimicorum auxilijs incœperint coalescere à tãta strage, dictũ satis. Vno iactu ad lacunæ viciniã, medijs actibus prætermißis, transiliamus. In ciuitate millium domorũ octo, sed quæ subur bijs cõstat immensis, ad lacunam vsque protentis à Tascalteca leucas octodecim, nomine Tazcuco, cum exercitu numeroso pedem fixit Cortesius. Non ausi sunt ciues Tascucani detrectare, ne darentur in prædam exemplo vicinorum edocti. In Tascalteca construendarum nauium magistros reliquerat Cortesius, qui dum ipse belligerendo circumuicina hostilia premeret, bergantinos, vti mentionem fecimus, componerẽt terdecim. Vbi primum in Tazcuco sedem exercitui dedit, afferri iußit bergantinorum cõposituras, quæ Tascaltecanorũ & Guazuzingorum humeris tabulatim allata sunt, neque laborem illum inuiti sumpserunt: atrox adeo est in Tenustitanos odium, vt pro delicijs habeãt quoscunque labores ad Tenustitanorum perniciem directos. En rem Romano populo, quando illustrius res illorum vigebant, non facilem. Ex Tazcuco labitur in lacunam fluuius non ingens, cuius vtraque ripa domibus, hortis interiacentibus, perpetuis fulta est. Interea dum bergantinorum construeretur compago, dum & remi & amplustre vniuersum componerentur, fossam duci iußit ex Tazcuco ad lacunam spacio milliarium Italorum trium, staturarumque virilium quatuor profundam alicubi, suis lateralibus aggeribus munitißimam, in qua stagnare fluuius posset: ad Bergantinorum deuectum ad lacunam, quinquaginta dierum interuallo cum fossoribus perpetuis octo millibus prouincialibus perfecit opus. Sed vtrũque vna & naues

& naues & fossa formarentur, plærasque ciuitates, tũ terrestres tum lacunares, à quibus fuerat aufugiens infestatus, deleuit, & combußit: neque iam Tenustitani audebant prodire, ut aperto Marte contenderent cum nostris. Terdecim bergantinis per admirandum opus illud deductæ fossæ in lacunam proiectis, Tenustitani suam uidêre præsentaneam perniciem: ex neceßitate tamen animos sumpserunt. Intellecto bergantinorum in lacunam accessu, paruo temporis interuallo conuocauit ad bergantinos cum armatis bellatoribus ingens multitudo cymbarum, aiunt affuisse illico quinque millia, ex relatu ciuium, post habitam uictoriam: accedentes cymbæ ui tormentorum quæ in proris & spondis bergantinorum erant locata, dispergebantur, ueluti ab atrocibus uentis nubeculæ. Ita iam uagantibus, aperto lacunæ campo, bergantinis ciuitatem acriter infestarunt. Paucorum dierum spacio abstulit illi ciuitati Cortesius dulces aquas fluuiales, aquæ ductibus discerptis per Christophorum de Olit: & ne ab ulla parte comeatus ullus ad obseßos duci quiret, tribus exercitibus ciuitatem circumsepsit: à Tazuco uno, per Astapalappam, quam labefactauit ad unguem, eo quod esset cæteris potentior, & Muteczumæ fratris eo tẽpore Regis antiqua sedes. Huic ipse Cortesius præfuit cum sexaginta millibus bellatorum amplius, ut ipsi aiũt: ex omnibus namque iam prouinciis multo plures quàm ipse uelleret, tum spe prædæ, tum libertatis, confluebant: pontem illum, de quo supra facta est mentio, ex Astapalappa directũ ad ciuitatem regiam, occupauit Cortesius. Et paulatim pugnãdo retractis hostibus, tum lacertorum uiribus, tum equorum ac tormentorum impetu à fronte & à lateribus, cum bergantinorum fauore pontem adeptus est ad castellum usque, de quo diximus in occursu Muteczumæ regis cum nostris, ubi castellum illud descripsimus turribus duabus fultum, duos pontes amplectens, qui sub illius fornicibus iunguntur. In eo loco

Tenustitana vndiquaque obsessa.

castra posuit Cortesius & vtriusque pontis fauces ea via possidebat. E contra locari iussit alia castra in tutelam alterius magni pontis à septentrione, cui præfecit Gonsalum Sandoualum iustitiæ exequendæ militem, quem dicit Hispanus Alguazilum. Exercitui tertio ad latus aliud ciuitatis posito præfecit Petrum Aluaradum. Aiunt tres illos exercitus centum viginti millium constare bellatoribus. Ita vndique vallata hostibus misera ciuitas, laborat extrema egestate rerum omnium: nec minus paucorum ambitione conteritur (quorum auiditas imperij traxit ad eam calamitatem infœlicem populum) quàm ab hostibus torqueatur. Subiiceret nostro iugo colla populus facili suasu, ni regis nepos ex sorore vsurpator imperij, & ipsius procerum elatio animorum obstaret. Septuaginta continuis diebus est ab omnibus lateribus, à tergo & à fronte infestata. Intra ciuitatis ipsius vias, redeuntibus nostris ad vesperam in castra, quingentos, mille, interdum & eo amplius scribunt quoto congressu fuisse interemptos: quo strages erat crudelior, eo magis copiose ac oppipare cœnabant Guazuzingui & Tascaltecani, cæterique prouinciales auxiliarij, qui soliti sunt hostes in prælio cadentes intra suos ventres sepelire: nec vetare ausus fuisset Cortesius. E nostris paucos aiunt semper periisse. Ergo tum gladio, tum rerum penuria consumpta est ciuium pars maior: mortuorum aceruos plerumque in vijs nostri ciuitatem pugnando ingredientes, reperiebant, quos fame sitique dicebant exhalasse animas. Ex egregijs domibus multas diruerunt passim, quando hostes detrudebant. Fuit semel Cortesius in vno pontium ab hostibus circumuentus & captus, à familiare quodam suo, nomine Francisco Olea, qui ense vibrato in hostes ambas abscidit vno ictu gladij eius manus, qui herum Cortesium prehensum premebat, seruatus est. Sed iniquo seruatoris fato, qui occubuit equo præbito. Renunciatum

Acriter infestata ciuitas.

est iam tandem nostris, quanam in parte cum necessarijs & principibus lateret rex. Re cognita Cortesius cum bergantinis, cymbarum clasiculam ab exploratoribus patefactam, qua rex vagabatur in quibusdam abditis lacunæ angulis, adoritur capitque omnes. In Cortesij potestatem adductus rex, pugione, quo erat Cortesius accinctus, contacto ait, en ferrum quo me potes & debes iugulare, quod in me fuit peregi, exosum & molestum mihi iam erit viuere. Solatus est eum Cortesius, quod magnanimo regi conueniat, ipsum fecisse dixit. Secum tamen eum duxit in continentem, subque fida custodia seruandum suis tradidit. His actis debellata ciuitate tanta, fereque discerpto illius populo, nationes omnes illas Cæsareo subdidit iugo. Ad me venerunt duo viri ex his quos fidalgos dicit Hispania, qui fuerunt rerum omniũ non exigua pars, tum in percurrẽdis prouinciarum arcanis, tum in omnibus certaminibus, nomine Diecus Ordasius vnus, Beneuides alter. Aiunt ad suum arbitrium creasse Cortesium in Tenustitana regem, è regio sanguine ortum, iussisque ibi pedem figere, quo ciuitas populi frequentia denudata sub regis vmbra resarciatur, aliter enim deserta penitus & inculta tanta moles permansisset. Ipse vero statuit per nuncios nouas alias terras perquirere, impatiens ocij. Erant in prospectu ad austrũ alti montes, quid trans illos iaceat vestigari iubet: mare aliud ad eorum mõtium australia iacere latera renunciatũ est, vti scripsi in decadibus de mari Australi ex Dariene à Vasco Nunnes patefacto. Sex illic esse ciuitates, quarum minorẽ aiunt esse Valledoleto nostro celebri municipio multo maiorẽ. Quarum vna dicitur Teph, Mechuacam alia, Guaxaca tertia, quarta Fuesco, Tequãtepech quinta, sextæ nõ dãt nomẽ: scribitur in epistola particulari extra volumẽ rerũ Tenustitanarũ, in mari Australi intellexisse nõ distare ab illo littore insulas aromatũ & auri ac gẽmarũ altrices.

Tenustitana capta 13. Augusti 1521.

Quæ vero in lacunis & lacunarũ marginibus vrbes iacẽt, his nominibus nuncupantur. Saltucar, Tenanica, Tenustitan Scapuzalco, Tacuba, Chapultepech, Culuacan duplex, Guichilobusco, Suchimilco, Quitagua, Astapalappa, Mesechiche, Coluacan, Tezuco. E duobus iis Beneuides de recẽti rediit è sociis duarum nauium à Cortesio mißarum vnus. In illis vehunt à Cortesio missa dona quæ preciosiora elegantioraque multo esse aiunt, quam aduecta & à sua Cæsarea maiestate asportata, quo anno ex Hispania profecta est ad Belgas, à tua Beatitudine conspecta: circiter ducentum millium ducatorum precio æstimant opes illas, sed nõdum ad nos venerunt illæ naues. In insulis Caßiteridibus, dictis à Portugalensibus earum dominis de los Azores, fixere pedem, ne ad Gallorum pyratarum manus deueniant, vt anno superiore altera ex Hispaniola & Cuba veniens cum auri pondere duorum & septuaginta millium ducatorum, librarum autem octuncialium vnionum preciosorum sexcentarum, & cum duobus millibus rubis saccari: est rubus ab Hispanis dictus arroua, quinque ac viginti librarum sextuncialium. Multa præterea particulariter multi ferebant: quæ omnia in prædam pyraticam ierunt. Missa est armata claßis quæ duas illas ex Caßiteridibus tuto adducat. Quo tempore hoc scribo nondum sunt aduectæ. Trahebant illæ naues, vti Beneuides inquit, tres tygres à paruulis educatas in singulis caueis, proceribus tignis compactis, in vna nauium duas, in altera tertiam: in ea qua duæ ferebantur ex concussu nauis à tempestatibus, è cauearum vna parumper discussa est, ita vt tygridi iter fecerit ad exitum. Non minus rabida transiliuit per nauim noctu euadens tygris, ac si nunquam hominem quenquam conspexisset: furit vtrobique, septem viros labefecit, raptauit vni lacertum, crus alteri, alii humeros, duos peremit, ex nauis malo vnum fugientem insiliens prahendit. Semimortuus à sociis adiutus non periit: cum hastis, ensibus

Hispanica arroua quanta.

& omnis generis telorum quicũque inerant accurrũt, multis vulneribus confectam in mare desilire coegerunt: sociam, ne idem accideret, in ipsa cauea trucidarunt. Alterius nauis tertiam ait Beneuides adduci. Est in illorum mõtium nemoribus tygrium & leonum ferorumque animalium aliorum multitudo. Quibus alantur cibis interrogatus, ceruis ait, capreolis, damis, leporibusque, ac cuniculis multisque aliis mitibus animalibus, quæ ibi nutriuntur. Nauium illarum permansere custodes duo viri è ducibus bellorum in illis terris, Alfonsus Auila, & Antonius Quignonus: hi partem regi donatam à populo ferunt præbendam: Cortesii vero partem curat Ioannes Ribera ipsius Cortesii secretarius & laborum omnium comes ab initio: ex nostri regii senatus Indici consilio Cæsar Cortesio nouæ Hispaniæ ab eo ita nuncupatæ gubernationem cõprobauit. Diegus vero Velasquez à magistratu Cubæ aut est abdicatus, aut circiter, quia non rite fecisse in mittendis contra Cortesium copiis, prohibente Hispaniolæ senatu, decretum est. De recenti allatum est Gallorum pyratarum visas fuisse in Oceano pererrantes naues quindecim, sub spe habendarum & istarum nauium, vti aliam apprehenderunt: Sed in Affricam fuisse tempestatibus transportatas, summersasque plærasque.

D. Velasques magistratu Cubensi abdicandus.

CAPVT NONVM.



D hanc vsque metam quæ Cortesius, quæ Cortesii commilitones, & regiorum magistratuum ministri, thesaurarius, computator & distributor, quem factorem Hispanus appellat, tum scripserunt manentes, tum viua voce redeuntes retulerũt, enarraui: multis ambagibus prætermißis, ne minuta recensendo fastidirem. Pauca nunc ab Dariene per literas Petri Ariæ putati continẽtis gubernatoris

perque filium eius primogenitum à patre regressum Diecum Ariam, mox de Hispaniolæ Cubæque Fernandinæ rebus plæraque recenter intellecta referamus: hoc primum. In putato continente quinque sunt deductæ Coloniæ. In septentrionalis terræ littoribus sancta Maria antiqua, quod oppidum Darienem nuncupamus: quòd sit, vti late in primis decadibus dixi, situm id oppidum in Darienis fluminis ripa: cur ibi locum elegerint, cur id nomen loco imposuerint, qui Zemacus à suo rege Zemaco dicebatur, tum satis. Ab Dariene secunda est coloniæ sedes, leucas. xxx. distans nomine Acla versus occidentem. Ab Acla. xl. leucas domicilium est in littore situm ad occidentem Nomen dei appellatum, à portu, à Colono primo earum regionum detectore, sic nuncupato. Ad littus Australe sunt nil mutatis nominibus patrijs, Pānamán & Natán, vltimis productis. Terra est alicubi latißima: sed præcipue in eo tractu, per quem ingens flumen labitur Maragnonus, de quo satis diffuse in decadibus primis, vbi causas inserens cur credi posset tātam vim aquarum in vnum alueum potuisse coniungi, dicebam inter alias, terram forte illic esse latißimam ab arctico ad antarcticum, vnde fieret ex magno interuallo fluminum multorum generatio, quæ in hoc vnum deciderent ad mare Oceanum septentrionale ducenda. Ita repertum est, Pater sancte, fuisse me vaticinatum eo passu inuento. Ab illis littoribus septentrionalibus, quæ Maragnoni delapsus nobilitat, (vbi Regulos appellari Chacones dixi) protenditur ad antarcticum terra, vsque ad fretum illud vltra æquinoctialem, gradus quatuor & quinquaginta: demunt aliqui duos, de quo in discursu quærendarum insularum aromatum altricium satis. In eius freti vicinia tenuit hyems inclusam classem illam quinque nauium præ frigore quinque ferè mensibus æstiuis nostris, (vti suo loco diximus) quum ab eis sol ad nos discesßisset. Inde tollitur Maragno-

S. Maria oppidum
Acla
Nomen Dei.
Panaman
Natan.

nitam prodigiosi fluminis admiratio. Quomodo ergo sit ibi latissima tellus, est alibi angustis Isthmis contenta. Sed præcipuè ab colonia quæ dicitur Nomen dei, ad Australe littus & portum Pannamæ leucæ intersunt septemdecim: per montes tamen inuios, & ob vistas rupes, ac densissima nemora, ab æterno intacta, inaccessos: pardorum, tygrium, leonum, vrsorum, & simiarum multiformium, monstrorumque aliorum domicilia sunt illa deserta loca. Mira de feris illis animalibus referuntur. Nil magis timere viatorum occursus tygres inquiunt, ac si catellus obuius efficeretur: si solum repererint quenquam, nullum est remedium, quin in mille frusta dilaceratus commedatur. A tygribus præcipue cauent, quas leone multo sæuiores esse comperiunt. Multæ sunt valles terrarum fortunatissimarum, eorum montium multa latera, ob ferarum sæuitiam deserta, quæ aliter frequentibus populis elucescerent. Sed de simiis variis est narratu iocundum, periculosum etiam. Per eos montes quos iam Petrus Arias gubernator scribit se fecisse facereque peruios indies magis ac magis in rupibus saxa frangendo & comburendo siluas condensas, simiarum duces quādo agmen nostrorum aliquod incedere sentiunt, (neque enim pauci, ne modo soli auderent) multitudine variarum specierum plebeia conuocata, procurrunt obuiam & clamoribus horrendis ex arbore in arborē transiliendo, nostros quacunque gradiantur insecutæ, mille scurrulitatibus, & gestibus mille deridēt, caudatæ præsertim: finguntque sæpius velle turmatim nostros impetere. Sed vbi ad arborum iam truncos demissæ, vident sagittas aut sclopetas, quas expertæ sunt aliquando, aptari ac in se dirigi, vēto velocius ad arborum culmina reserpunt, inde conquestibus rabidis emissis, dentibus frendent minabundæ. Tantam esse illarum dexteritatem inquiunt vt discussas

Tygrium ferocia in his terris.

in earum corpora sagittas euitare sciant & manu prehendere, ac si sponte porrectas acciperent. Sclopetarum tamen globulos non ita dissicere didicerunt, cum quibus plærasque, iuniores forte non ita sagaces, peremerunt: tum vero quãdo sociam vident aliquam de suo grege præcipitem ruere vulneratam, à nostrisque tolli è terra, tanto fremitu ac strepitu tonant & replent æthera, vt mille leonum rugitus & tygrium totidem superent rancatus. Sed vnum est auditu gratiosum. Quæque simia quando iam captant arbores ascensu suo, lapides quotquot vna manu gestare potest, ore etiam aliquot supportat, indeque lapidibus certant in transeuntes, quando aut sagittas aut sclopetas in eas iaculaturi sistunt nostri. In vetulam melampo maiorem caudatam simiam sagittarius è nostris tetendit scorpionem, expectaturam se dissimulauit simia, sed vbi iam dirigi oculo clauso sagittam vidit, iaculato in sagittariũ lapide faciem acriter contudit, & dentes illi dicitur confregisse. De nouo tamen stratagemate pœnas cercopithecus dedit: quo enim tempore lapis ad sagittarium decidebat, sagitta in simiam ascendebat, interfectam comederunt in deliciis, comedissent & buffones aut si quid deterius, tanta illos fames vrgebat. De brutis quadrupedibus animalibus iam satis. De bipedibus aliquid: est namque gens illa bipes, pene par quadrupedi. In finibus coloniæ Natanæ ad austrum Regulus potens est ac magnanimus nomine Vrracus. Hunc Petrus Arias gubernator adducere nunquam potuit ad amicitiam. Præparasse ait res bellicas ad eum debellandum. Is autem Regulus suæ autoritati ac potentiæ fidens, dicitur superbe nunciis de tractanda pace respondisse, audetque incursionibus, Christianorum, qui Natanam incolunt coloniam, fines armatus more suo infestare. Iaculorum enim habent in illis terris multa genera, quibus eminus, & latos enses ligneos adustos, quibus cominus certant. Habẽt arcus etiam cum sagittarum cuspidibus

Horribilis strepitus simiarum.

osseis aut adustis. In illis terris est coccorum fructuum, de quibus supra memoraui, copia ingens. Vbi præcipue in Australi plaga mare fluens latas planicies vicinas abluit: è quib⁹ aiunt vnam duarum leucarum spacio fluxu madefieri, & refluxu exiccari. In illis partibus nasci, coalescereque suapte natura illas arbores inquiunt: alibi minime nisi teneræ transportentur. Sunt qui putent fluxus marinos ab ignotis regionibus illarum arborum semina illuc aduehere, ex Indicis aliis regionibus, vbi natiuæ sunt: asportatas esse dicũt ad Hispaniolam & Cubam, vti de arboribus cassiã fistulam gignentibus dixi aliquando, & ex insulis ad continentem, donec ad eas Austri partes ventum est. Sed in insulis admirando naturæ consilio arbor alia quam nondum intellexi an in continenti, foliorum scriptibilium, præter eam de qua in decadibus feci mentionem, nascitur. Huic illa comparata longe distat. Eam, quando de insulis erit sermo, describemus. Nunc ad res putati continentis redeamus. Ab Australis pelagi colonia Panama cum nauibus in eo mari constructis, descenderunt ad Occidentem adeo, vt Iucatanæ tergum se fuisse assecutos arbitrẽtur. Argumẽto sibi esse aiunt Gil Gonzalus eius classis præfectus & eius comites, quod in homines inciderint eo more vestitos & pertusatis labiis, aurea vel argentea gemmata ferentes monilia, vti quos in quarta decade ad Leonem Pontificem enarraui, cum de rebus Iucatanis & allatis muneribus fieret mentio. Scribunt se reperisse à dextris tantum pelagi furorem, vt arbitrentur fretum ibi esse inter continentem & Iucatanam nondum detectum: sed ausos non fuisse tanto impetui fidere, quod naues iam lõgo temporis spacio, quo per ea littora nauigabant, essent semiputridæ vermibusque terebratæ. Redituros resarcitis nauibus pollicentur. In eo itinere Petro Ariæ dixit Gil Gonzalus, dixerunt & comites, ad leucas à colonia Panama circiter centum, inuenisse pelagi vastitatem

nigri coloris, in qua pisces adnatabant magnitudine Delphinali harmonice cantãtes, vti de Syrenibus est narratio, similique modo soporem attrahentes. Hic angusti animi homines mirabuntur, dicent rem esse impoßibilem: hos ego parumper affabor. Nonne legimus Erythreum sinum esse rubium, vnde rubri maris assecutus est nomen. Siue id sit ex aquæ natura, siue à rubris arenis saxisque littoralibus reuerberantibus rubris id eueniat, rubrũ apparet mare: quis ergo naturam hebetat tantopere, vt ei tollat quin & nigras genuerit arenas & saxa nigra quæ nigras videri faciat aquas alibi? De cantu vero fabulam & ego ipse arbitror, licet à viris referatur cordatis: attamen in illorum excusationem, nonne tritones cognitum est esse vocales? auditi fuerunt aliquãdo & reperti exanimes, proiecti ad litt⁹ in occiduo mari Hispano: nõne sub aquis & rana coaxat? Quid ergo erit mirandum si vocales & alii pisces, nũquam alias auditi, reperiantur? Credat hominum quisque ad sui libitum: ego naturam esse magnipotentem existimo. Crocodilis plena sunt putati continentis omnia flumina. In fluminibus sunt noxii, in terra minime, vti sunt Niliaci. Vnum reperêre mortuũ, duorũ & quadraginta pedum: In faucibus latitudine septem. Petri Ariæ filius à patre regressus inquit, repertas iam esse arbores, è quarũ tabulis confectæ naues tutæ sint ab illa peste vermium naues corrodentium. Ait etiam ligna in coquinas allata, vix posse incendi, ob maximam humiditatem. Nunc ad commodum feramus pedem. Aurifodinas habet ea tellus multas: sed ignoscat Petrus Arias, ignoscant & cæteri, qui miserorum incolarum sudoribus aurum assecuti sunt. Id quod tua Beatitudine aßistente sæpenumero tẽtatum est, in nostro rerum Indicarum consilio, nunc est sancitum: vt liberi sint vbique Indi, dentque operam & agrorũ culturæ ac disciplinæ Christianæ. Si qui autem, spe adipiscen-

Mare rubrum.

Crocodilorum copia.

di aliquid è nostris rebus sua sponte sese obtulerint, liceat eos habere mercenarios. De putato continenti iam satis. Pauca de de insulis. In Hispaniola nil est immutatum. Senatus idem est, à quo leges capiunt vniuersi tractus illi: coalescunt indies magis ac magis in ea quæcunque coluntur: equorum, porcorū & armentorum est in ea ingens multitudo. Idem est in cæteris. Mense decimo ab ortu suo concipit & pulla equina, vixque partum emisit quando marem optat ac sustinet. Pane patrio ex iucca & maiicio viuunt contenti, vina ex Vandalia importantur ad illos, licet habeant vineas plærisque in locis: eas crescere mirum in modum aiunt: sed luxuriare adeo vt in pampinos & frondes vigorem suum expendant, in racemos parum, interireque post paucos annos à satione. De tritico idem dicunt, quod crescat ad cannarum altitudinem & & spicarum immensam proceritatem, euanescere tamen grana priusquam maturescant maiori ex parte: cæterarum rerum vberior est in illis copia, quàm alibi. Saccarea torcularia quoto anno augentur. De arbore præbente pergamenum in vtraque insula nunc dicamus: ea est palmæ persimilis, folia illius sunt adeo grandia, vt à pluuia tutetur quodque folium in caput protentum hominem totum, ac si laneam sibi penulam tergo iniecerit. Hoc parum, quod vero mirandum sit dicamus: folia illa qua arbori inhærent haud secus ac sua in arbore palma, folio à radice, qua est arbori compacta, eruto (facile namque per demissam cuspidem captum folium detrahitur ab arbore) in interiore illius tergo philira complectenti albumenis oui pellicula similis reperitur candida: ea vti ex arietis iugulati corpore pellis, excoriatur: tolliturque à suo cortice integra, nihilo minor arietina vel caprina membrana: cuius opera vtuntur omnes, acsi membranas ipsas aßequerentur: neque minus tena-

Arbor pergamenifera.

cem esse inquiunt: ea philira forcipibus tantum scindunt, quãtum ad præsentem scribendi necessitatem sufficiat. Hæc arbor
Yagua arbor. Yagua nuncupatur: fructus eius est oliuæ similis, porcos pinguefacit, hominibus non ita congruit. Quo vero pacto folii alterius scriptilis vtantur commodo, ab hac pellicula dissono, suo loco satis. Est arbor alia quæ in saxorum scissuris nascitur, in
Mameia. pingui solo minime, dicitur Pythahaya, fructus acrodulci mixtus, sapidus vti de malo punico, quod granata dicitur, acrodulci videmus: malum aureum æquat eius fructus magnitudo, rubri coloris intus extráque. Mameiæ vero arboris, de qua in decadibus, est in insulis fructus paruo melone non grãdior, in continenti nihilominus magno. Animulas nutrit hic fructus tres tantum nuce grandiores, ad sui generis conseruationem.
Piper. De pipere insulari continentique nunc parum. Nemora fructibus fulta piper gignentibus habent: dico piper quum non sit piper, quia piperis habeat vim & aroma, nec pipere vilius granum illud, vocant ipsi axí. Vltima acuta, papaueris superat altitudinem. Colliguntur ex illis grana vti ex iunipero aut sapina, non ita grãdia penitus: duæ sunt illius grani species, quinque aiunt alii: sesquidigito humano longum est vnum, pipere mordentius & acutius, rotundum aliud, non maius pipere. Sed hoc pellicula, carniculis, & animulis constat, quæ tria calidam habent acrimoniam. Est tertium non acre, aromaticum tamen, quo si vteremur, caucaseo pipere non indigeremus: dulce appellant boniatum, acre nuncupant caribe, quod asperum & forte, inde Caribes appellant Canibales, quia fortes illos & acres esse fateantur. Est alia in his insulis nomine Guchon, cuius rore tacto inficitur homo, vti ex sũpto veneno. Eam arborem si quis fixo intuitu inspexerit, lumẽ oculorum amittit, & efficitur turgidus vti hydropicus. Aliæ sunt duæ, quarum ligna vel folia incensa solo suffimigio perimunt, si lignum vnius parumper accensum in hospitio vage-

tur. Alterius est venenum, si quis per nares sorbeat folii suffumigium. Crudele facinus mihi narrauit sacerdos vn⁹ qui sexcies ex continenti, Cuba, & Hispaniola vastum illud iter Oceani adnauigauit, eũdo ter ac redeundo toties, nomine Benedictus Martinez satis compositus vir. Is est qui primus Barchinonam de Iucatana ac cæteris finitimis illis terris nunciatum venit. Madronum ait virum quendam Albazeti oppidi in Spartaria regione ciuem habuiße more veteri sub ferula effodiendi aurum, regulum vnum cum subiectis obtemperantibus, in sancti Iacobi loco, breui tempore ea auri fodina forte inuenta, hero tẽporaneo collegit regulus cum suis fossoribus millia castellanorum auri nouem. Est in regio senatu nostro ab initio sancitum, vt cuique illorum iam à labore discedenti, donatiuum aliquod tribuatur è nostris rebus, pileus quippe vel thorax, aut texta interior, vel sagulum aut speculum & huiusmodi. Putauit regulus donatiuum se habiturum ab hero pinguius aliquanto, quod breui tempore tantam auri summam reperisset. Strictius egit Mandronus rem quam debuisset: tanta fuit Regulo concepta bilis, vt vocatis intra domicilium fossoribus illis, ad numerum quinque ac nonaginta, ita disseruit. Viri socii, quid vltra viuere optamus sub tam atroci seruitute? eundum est iam tandem ad maiorũ nostrorum perpetuas sedes: ibi nãque ab his ærumnis, quas intollerabiles in ingratorum potestate perpetimur, quiescemus. præite, subsequar vos illico. His dictis paratos tenebat eorum foliorum, quæ odorata vitam scindunt, manipulos: è succensis cuique tribuit portionem absorbendam: dicto paruerunt. Regulus & affinis eius primarius vir sagax, vltimum sibi sumendi fumi locum seruarunt. Cadaueribus iam erat tabernaculi pauimentum coopertum: certamen inter viuentes duos exortum est, vternã prius sibi necem consciceret. Vt socius prius,

institit regulus. Subsecuturum se inquit socius, præiturum minime. Iam tandem regulus antecessit. Socius dulcis vitæ amore regulum & fatuos alios deridens, subsequi recusauit, exiens inde, nostris quod acciderit renunciauit. Iisdem fere diebus ait aliud horridius in prouincia Principis dicta accidisse. Puellam Cubensem habebat reguli filiam è prætoribus vrbanis vnus nomine Olandus, suspicatus est prætor, licet ab eo grauida esset, coiisse foris non vt eam necaret, sed vt tātum terreret, verubus duobus ligneis colligatam ad ignem applicauit, iussit à satellitibus cōuolui: rei atrocitate nouoque genere tormenti perculsa puella spiritum emisit. Regulus genitor intellecta re triginta secum viros è suis coegit. Absentis prætoris domum adiuit, vxorem eius, quam post id facinus duxerat, fœminasque vxoris comites, ac famulos trucidauit ad vnum: clauso mox ostio domus, igne supposito seipsum ac socios omnes auxiliarios cum prætoris familia mortuâ & facultatibus combussit. De puellâ refert aliá, rem stupore dignam. Hæc à Mulione Hispano violata domum adiit, quod acciderit enarrat: velle ob id se perimere parentibus dixit, solari nil profuit. Iuccæ succū, qui pro veneno si crudus, si vero coctus pro lacte habetur, sumpsit: non fuit eius veneni vis tanta, vt eam necaret: finire tamen vitam statuit quoquo modo. Postero die lotum se ad fluuium propinquum ituram dixit. Est enim moris apud illos quoto die bis lauare se: crudelem vindictæ viam inuenit sibi: arborem paruam in ripa fluminis astantem deflexit ac perfregit ad sui verticis vsque altitudinem: & quo melius potuit modo, arboris cuspidem acuit. Mox in vicinam arborē grandiorem subleuata, cuspidē arboris infixit sibi, qua fuerat violata, permansitque inserta veluti assandus edus in coquinali foco. Puella post paucos dies alia finire statuit & ipsa vitæ incommoda, sociam duxit secum huius sacerdotis aucillam coetaneam, illique facile persuasit vt exemplo sui ad maiores

Res stupore digna de quadā puella.

vna secum proficisceretur, vbi tranquillã acturæ sint vitam: cingulis, quibus erant accinctæ, ad arboris vnius ramos alligatis & in collum nodatis se deiecerunt ab arbore: & ita suspẽdio sunt factæ votorum compotes. Ex rebus huiusmodi referunt multa. Vno giganteo sermone, qui harum significationũ, veluti formidabilis subſtes Athlas, terga tueatur, extremum statuo marginem hunc fulcire. Diecus Ordacius, de quo supra feci mentionem, multos earum terrarum secessus perlustrauit, & pacatos reddidit regulos: illum præcipue cuius monetaliũ arborum est prouincia, vbi quonam pacta arbor monetalis illa seratur ac nutriatur edidicit, sicuti suo loco disserui. Gigantis reperit in templi vnius fornice fœmorale osseum frustum abrasum & longa vetustate semicorrosum: ad vrbem Victoriam paulo post tuæ Beatitudinis ab ea discessum Romam versus, licenciatus Aiglionus è senatoribus Hispaniolæ vnus iurisperitus, id fœmur attulit. Id ego habui domi dies aliquot: à nodo coxendicis ad genualem quinque spithamis est lõgum, in procer itate proportio est. Post hoc missi à Cortesio ad Australia montana; regionem se inuenisse renunciauerunt hisce hominibus habitatam, & ex vita functorum costis, in rei argumẽtum, tulisse dicuntur plerasque. De cæteris quæ apud nos accidunt, per Cæsareos a manibus crebro fit certior tua Beatitudo: à me nihil eorum est exigendum, quæ calamitosos versant Christianorum principum animos, in Mahometeorum commodum & nostræ religionis iacturam simultatibus implicitos. Ergo iam valeat fœliciter tua Beatitudo, ante cuius pedes prostratus humillimam dico seruitutem. Fæmorale gigãtis

CAPVT DECIMVM.



ELVT Hydræ Capita concissa septiplicantur, ita mihi reponenti narrationem vnam plures aliæ reserpunt. De rebus Tenustitanis me iam tandem portam clausisse putabam: quando ecce nouo nuncio superueniẽte, patefacere illam denuo sum coactus. In vna è duabus nauibus dona ferentibus ex Caßiteribus aduectus est Cortesii familiaris a manibus Ioannes Ribera nuncupatus: altera naui præ timore pyratarum Gallorum, subsidiarias naues expectante cum thesauro, cuius præter quintam regio fisco debitã, Cortesius dat partem libens è suo labore partis opibus: aliam cæteri comilitones eius primarii. Affert Ioannes hic Ribera in mandatis, vt à Cortesio designata porrigat Cæsari, heri sui nomine dona, pro reliquis duo illi, quos supra dixi cum nauibus in Cassiteridibus perstitisse, sua offerent. Callet hic Ribera Tenustitanam linguam, & nihil actum est vniuerso bellorum tempore, cui non interfuerit, hero perpetuus collateralis: dimissus ab hero hic fuit, post multos dies à sociorum discessu. Inde possumus ab eo rerum omnium rationem habere dilucidiorem. Interrogatus primo de Tenustitanæ ciuitatis origine ac nominis eius diffinitione, mox de ruina, & statu præsenti, quibusque viribus rem sustineat Cortesius: de multis præterea similibus: Ciuitatem ait in eius lacunæ salsæ medio, in reperto ibi scopulo, (vti de Illustrißima ciuitate Venetiarum legitur, ad tumulum in ea sinus Adriatici parte visum, fuisse constructam: quo se tutos redderent ab hostium incursionibus: nomen vero ex tribus concisis vocabulis compositum. Rem quæ diuina videtur, dicunt ten, fructum nucil, titan rem appellant in aqua sitam:

1522.

Ioannes Ribera familiaris Cortesii.

sitã: inde Tenustitan, id est fructus diuinus in aqua positus: in eo namque scopulo natiuam arborẽ suauibus aptissimisque ad escam fructibus, pomis nostratibus grandioribus, onustam inuenerunt, quæ cibum primis inuentoribus optatum præbuit: vnde in gratitudinis argumentum arborem eam, quæ arbori moro similis est, licet foliis multo viridioribus, in vexillis contextam ferunt. Tascaltecani etiam duas in vexillis habent iunctas manus, libum pinsentes, quod se iactent agros habere vberiores rei frumentariæ, quàm cæteri finitimi: & inde ciuitati nomen datum est: tescal nanque panis libum eorum lingua dicitur, teca vero domina: ergo panis domina. Idem de monticolis Vulcani à nostris dicti, montis illius dico, qui fumum euomit. In signis bellicis montem fumantem gestant, vocantque Popocatepech montem ipsum, quia popoca dicitur fumus, tepech vero mons. Huic est ab Oriente vicinus paruo diuortio mons alius, toto anno tectus niue, sunt & alij niuibus onusti ob altitudinem. Cachutepech etiam dicitur mons alius cuniculis refertus, quia cachu dicitur cuniculus, inde cuniculorum mons. Religionis domum teucale, à teu quod est deus & cale domus. Ita diffiniunt quasque res suas ab effectu: accuratius hæc aliquando vestigabimus. Ad ruinam dixit ciuitatem maiori ex parte fuisse tum ferro tum igne deletam, & è principibus paucos superfuisse. Integram alicubi, si pagus aliquis aut vicus à furentibus pugnis aberat latens, resarciri miris modis ait, atria præcipue regia, quorum primarium Mutecʒumæ domicilium ingens adeo esse referunt omnes, vt nemo sine duce ibi nato & alto postquam intrauerit exeundi viam sit reperturus, vti legitur de inflexibus Minoij labirinthi fabulosi: positurum in illis ædibus suam sedem dicit Cortesium: propterea, vt illæ prius reparentur, intendere. Domos vero voluptarias, vbi quadrupedum, ferarum & variarum volucrum genera inclusa fuisse supra memorauis

Tascalteca vnde dicta.

intra vrbem & in aqua ipsa structas esse cum amœnis viridariis hic ait, non in continenti, vt alii dixerant. De leonum tygriumque ac vrsorum & luporum hiatu querulo, quando cum domibus ipsis comburebãtur, deque omnium illarum rerum miseranda direptione narrat multa. Sero domus illæ reficientur: erant à fundamentis totæ lapideæ, pinnis circumambientibus, arcis modo comptæ. Populares vero domus cingulo virili tenus lapideæ sunt & ipsæ, ob lacunæ incrementum per fluxum aut fluuiorum in ea labentium alluuies. Super fundamentis illis magnis, lateribus tum coctis, tum æstiuo sole siccatis, immixtis trabibus reliquã molẽ construũt: vno sunt communes domus contentæ tabulato. In solo parum hospitantur propter humiditatem, tecta non tegulis sed bitumine quodam terreo vestiunt: ad solem captandum commodior est ille modus, breuiore tempore consumi debere credendum est. Quo autem pacto ingentes trahant trabes & contignationes, quibus in ædificandis domibus indigent, referamus. Sunt montium illorum latera arboribus citreis, è quibus Romani voluptarii, postquam ad luxum à continentia transilierunt, mensas & lectorum spondas conficiebant, quòd æternùm seruet arbor citrea quicquid in ea contabuletur à tineis & carie, sintque illius arboris tabulæ variis à natura pictæ coloribus. Pineta sunt citreis consocia in ipsis nemoribus. Cum oricalcheis suis securibus & dolabris argute temperatis, arbores sternunt, & dolant, dempiis assulis, quo lenius trahi queant. Non desunt illis herbæ, quibus sparti vel canabi loco funes ac resties & rudentes componant: trabe in altera frontium terebrata restem inserunt, mox veluti iuga boum mancipia subijciunt, suppositis demum rotarum loco rotundis truncis, siue per accliue siue decliue sit iter trahenda moles, fabris lignariis opus

regentibus, mancipiorum ceruicibus res agitur. Materias omnes ad ædificandum aptas, & cætera vsui hominum accommodata, eodem modo assequuntur, cum non habeant boues aut asinos vel animal vllum quadrupes onerarium. De trabibus non credenda referuntur, neque auderem ego ea recensere, nisi autoritate pollentes viri se plærasque fuisse dimensos attestati apud nos coactos in senatu, & multi quidem, fuissent: centum viginti pedum longitudinem magno boue quadratura ortogonia crassiorem vidisse vnam in Tazcuco ciuitate, quæ atrium fere totum sustinebat, se inspectasse affirmant: contradicit nemo: hinc potest colligi quanta sit horum industria. De moneta vero dicta cacao, deque Cortesii viribus ad sustinendum tantæ vastitatis imperium, neque mutatam esse monetam, neque vt mutetur expedire inquit. Vires autem Cortesii consistere in vasis tormentariis quadraginta, equitibus ducentum, peditibus vero mille tercentum refert, è quibus bis centum quinquaginta presto esse vult in regendis bergantinis terdecim, cum suo prætore designato per lacunam die noctuque pererrantibus. Aliorum vtitur opera in percurrendis nouis terris. Montes medios ab Tenustitana planicie ad Austrum perlustrarunt plærique: ab Oriente ad Occidentem reperiunt productissimos esse. Quingentas leucas peragrasse aiunt se qui eos tentarunt: Bene fortunatos commeatibus, & amœnos esse dicunt, ciuitatibus egregiis nobiles. Ab illis montibus & à labentibus per Tenustitanos agros fluminibus diuersis, Ioannes hic Ribera signa portat auri multimoda, lentē ac pisū legumē æquātia, vniones vero ab Australi plaga varios: sed apud Mutec zumam & eius deliciosos proceres, aut hostes alios in bellorum exuuias repertos affert. Quum haberem domi Riberam

In quibus consistāt vires Cortesii.

hunc Reuerendus Protonotarius Caracciolus tuæ Beatitudinis legatus, cum oratore Veneto Gaspare Contarino, & Thoma Maino iuuene, magni Iasonis Maini nepote, pro duce Mediolani, ad me venerunt, audiendi videndique res nouas cupidi. Admirati sunt non auri copiam, neque quod ita purum esset ab origine sua (purum est nanque ita vt possint aurei ducati nil mutãdo ab eo cudi) Mirati sunt primo numerum & formam vasculorum auro refertorum, quæ ab diuersis nationibus diuersa portabat, missa in tributum: & in argumentum quod apud se id aurum colligeretur, in quoque vasculo aut cannula sua erant cuiusque regionis stigmata: octo vel nouẽ aut decem dragmarũ auri pondere cõstabat ipsorũ quodque. Id nobis monstratum, indicium est, quale conuenit esse propriũ vnius viri, ex his qui participes rerum fuerunt: est enim Ribera ipse rerum illarum omnium quas monstrauit, dominus: quod autem in faciente moram naui affertur, aceruus est ingens Cæsari præbendus: duorum & triginta millium ducatorum est summa conflati & redacti in vectes auri: sed quod ex anulis, monilibus, scutis, galeisque ac rebus aliis, quæ afferuntur, haberi poterit, si conflaretur, summam ait esse centum ac quinquaginta ducatorum millia: sed pyratas Gallos olfecisse iam naues illas sub nescio quo murmure recutitur aer, deus bene vertat. Ad perticularia istius Riberæ veniam⁹ quæ sunt afferendorum tenuia simulacra. Vniones ostendit nobis nihilo deteriores illis, quos humana lasciuia vocat orientales, auelanam ingentem superant multi, sed maiori ex parte non bene candidi, quoniam ex conchilibus assis, vniones gignentibus, illos eruunt: nitidos tamen aliquos vidimus. Hoc parum est. Pulchrum fuit videre monilium & annulorum varietatem: nullum est animal quadrupes, nulla volucris, piscis nullus, ab eorum artificibus semel visus, cuius imaginem non diducant ad viuum. Viuos cernere videbamur

Ingeniosi artifices apud Indos.

vultus, vascula, perpendiculos auriculares, torques, armillas, ex auro cuncta mirabamur, in quibus labor erat materiam longe superans, conos, cristas, scutaque & galeas arte ac punctis adeo minutis tractim laboratas, vt sua tenuitate fallerent oculos: duorum speculorum præcipue pulchritudine fuimus delectati, vnum erat aureo semiglobo circundatum, eius erat spitamalis circunferentia, ligno insertum viridi: alterum non æque magnum. Ait hic Ribera, lapidicinam esse in illis terris eiusmodi, vt detergendo egregia queãt formari specula: nullum è nostris naturales magis ostendere vultus humanos fassi sumus omnes. Laruam vidimus perpulchre formatam, ea in interiori parte sui est contexta tabella, desuper minutissimis confecta lapillis, tali iunctura compactis, vt fallere vngues poßint, & vnus ac idem esse lapillus videatur oculis lucidis, ex ea, qua diximus specula fieri, materiâ: auribusque aureis faciem illius duæ ab vtroque tempore transuersant Zonæ virides smaragdinæ, croceæ totidem semihiantibus ore dẽtibus osseis, è quibus duo ab vtraque maxilla in mentum demißi genuini extra labia exerebantur: laruas illas locant suis diis in faciem quando princeps ægrotat, neque tollitur quoad vel euadat incolumis vel moriatur. Varias post hæc eduxit ex ingenti capsa vestes: tres habent solas ad indumenta omnia materias, ex gosampio primam, ex plumis auium post id, ex cuniculorum villis tertiam compactant: plumas illas & concinnant inter cuniculorum villos, interque gosampij stamina ordiuntur, & intexunt operose adeo, vt quo pacto id faciant non bene intellexerimus. De gosompiis nil mirum: quo lineas modo, aut laneas, sericeas etiam ordimur & teximus telas, suas ipsi gosampias. De vestium vero forma ridiculum est visu: vestem appellant, eo quod se illis cooperiunt, sed nullam sibi habet cum vlliusmodi veste similitudinem: Larua egregie formata.

est quadratum velamen tantum, illi persimile quod in humeris iniiciebat sibi tua Beatitudo, me præsente aliquando, caput pexura, ad vestium custodiam, ne à capite capillus aut aliqua sordes alia caderet in vestem. Id velamen sibi proiiciunt in collum, dehinc nodatis ipsius velaminis ad guttur duobus è quatuor angulis, demittunt velamen, quod vix tenus crurum corpus tegit. Vestibus his visis desii admirari, quod vestium numerus ad Cortesium tantus mitteretur, vti supra memoraui: parui namque sunt momenti parumque occupant ex illis multæ. Habent & subligaria à quibus ad elegantiã plumeæ quædam variorum colorum pendent ineptiæ: tenus genu stant pedibus. Calligis plærique vtũtur maiori ex parte plumeis, inserunt gosampiis staminibus plumas, cuniculorumque villos argutißime in cunctis rebus, & ex illis hyemales construunt suas vestes & lodices nocturnas. De cætero nudi, & nisi frigus vigeat, vnum semper è lacertis exertum tenent. Sunt propterea suffusci omnes: terra vero, licet aliquando frigus sentiãt, necessario parum vrgebitur frigore, cum dicant planiciem eam à gradu nono decimo tantum ad vigesimum vsque secundum ab arctico distare polo: sed vnũ aduerti depictum in mappis quas attulit hic plures. A Borea sunt montes alicubi distantes inuicem, vallibus vberrimis illos dirimentibus, per quarum fauces vis ventorum septentrionalium est in ea planicie valida, propterea latus illud ciuitatis Tenustitanæ, quod tendit ad Boream, est fixarum trabium & saxorum ingentium latis aggeribus munitum, quò ab impetu turbinis ciuitas tuta sit. Id idem vidi ego Venetiis ad furorẽ Adriatici maris sustinendum, ne domos quasset, inuẽtum: littus dicunt eam struem Veneti, vulgo El lio. Ab meridie contra sunt contigui montes, alti adeo vt non detur Austris posse planiciem illam perflare ad calorem præben-

Parui momenti vestes.

dum: veniunt ab æthere præterea Boreales venti & ab alto magis feriunt, quàm Austri, qui ab imo ascendunt ad summum, habetque planicies ipsa non procul perpetuo niuales montes, habet & ignitos. E mappis vero terrarum earum vnam inspeximus longitudine pedum triginta, latitudine paulo pauciorum, ex gosampio candido intextam, in qua late scripta erat vniuersa planicies cum prouinciis, tam amicis MutecZumæ quàm hostilibus. Sunt vnà montes vasti ab omni parte planiciem circumsepientes. Sũt quoque meridionales oræ littorales figuratæ, à quorum incolis audisse inquiunt propinquas esse littoribus illis insulas, in quibus supradiximus aromata & auri ac gemmarum copiã oriri. Hic est parumper egrediendum Pater sancte. Cum hic punctus lectus inter nos fuisset, plærique torserunt nares & fabulosum esse putarunt, quia de futuro ancipiti literæ loquerentur, sicuti accidit in multis, quæ de Barbarorum relatu habentur, donec in apertum illa prodirent: nec immerito quidẽ ambigebant, trium rerum exemplo, quæ in putato continenti nostro acciderunt, à primis præpositionibus non consona, de quibus ego in decadibus primis feci mentionem, inambiguo semper tamen ea relinquens. A Comogri reguli filio, principe è septem, incusatos fuisse Hispanos dixi, quod aurum tanti facerent, cuius ipse copiam satiabilem ostensurum se obtulerit, modo armatorum arcesserent manum, qua duce monstratos montes à regulis bellatoribus, sui iuris magnanimis defensoribus possessos, traiicere auderent: quoniam ea illorum montium latera, quæ Austrum spectant, aliud assequebantur mare ad antarticũ, & illorũ laterum habitatores essent ditißimi: montes traiecerunt, australe pelagus pertractatum: multo minores esse res illorum regum quam fama ferebat cognouerunt: de flumine Dabaiba idem, de qno etiam satis late illic. Quæ duo renunciata Catholico regi stimulos Egressio.

Petrus Arias.

illis inuexerunt ad mittendum Petrum Ariam cum mille ducentis militibus ad carnificinam. Mortui namque sunt fere omnes cum exigua vtilitate, vti satis late aliâs. Tertium est illos trahens, vt minus credant quæ ferantur, neque alienum à ratione. Longa iam experientia compertum est, Incolas omnes earum terrarum, quo à suis finibus nostros abigant, scrutari quidnam cupiant: quando aurum vel escas optare intelligebant, distantiora signabant loca & admirabundi, multo maiorem apud quosdam regulos, & illos nominant, quàm apud se rerum quæsitarum abundantiam reperturos, prædicāt. Quando vero ad regulos designatos commearunt, deceptos se fuisse intellexerunt. Ergo non iniuria idem iudicant posse accidere de his quæ à longe referuntur. Ego autem casum amplectens hunc, in tanti viri fauorem rationes mihi videor reperisse probabiles & persuasiuas. Magno Cancellario Mercurino à Gattinera, commendatore maiore Fernando à Vega, doctore, domino de la Rochia Belga viro, Cæsari grato, Magni Cancellarii Philippei filio, & magno thesaurario Licenciato Vargas in senatu rerum Indicarum post tuæ Beatitudinis discessum admisso, præsentibus, hæc disserui. Inter naturæ miracula aut inter difficilia rem hanc connumerare ego erubescerem.

Malucæ insulæ vbi sitæ.

Malucæ insulæ aromatū altrices, sub æquinoctio partim sunt: vti supra memoraui. Spacium hæ terræ, si vniuersum pensitauerimus, occupant exiguum. Quū vero circulus æquinoctialis vniuersum ambiat orbem, quis tollet, quin alibi, sicut & ibi, cum eadem cœli clementia reperiri queant aliæ terræ, quas aromatico illa vigore solaris virtus ingrauidet, ignotasque diuina prouidentia vsque ad nostram tempestatem esse voluerit: Vti & Oceani & regionum terrestrium tantā uastitatem latuisse hactenus videmus. Littora quippe illa Tenustitanæ australia, vix ab æquinoctio distant gradus duodecim.

Quid mirum ergo erit, si vti cætera demersa prius, nunc esse patefacta videmus, & hoc nunc eueniat ad nostri Cæsaris, tuæ Beatitudinis discipuli fœlicitatem augendam. Idem dictum velim his qui statuunt ea solum velle credere, quæ sui ingenij viribus assequantur, tuæ Beatitudinis nomine, quæ non tantum omnium genitricis arcanorum naturæ, sed & diuinorum sagacissima semper fuit indagatrix. Alio præterea moueor argumento. Cortesius qui tanta peregit, non esset meo iudicio rationis expers adeò, vt sua impensa clausis oculis in australi pelago talem sumpserit prouinciam, qualem amplexum fuisse scimus, construendarum quatuor nauium ad eas terras perquirendas, nisi quid certi aut verisimilis saltem intellexisset. Iam satis. Ad Riberam eius familiarem regrediamur. In illis montibus ait ex incolarum relatu syluestres esse homines, hispidos vti villosos vrsos, montanis antris & natiuis terræ fœtibus aut venatu contentos. Post grandiorem mappam paulo minorem vidimus aliam: sed non minus allicietem animos nostros, cum suis templis ac pontibus ciuitatem ipsam Tenustitanam ea incolarum manu cum lacunis depictam complectebatur. Puerum post hæc indigenam, quem ipse aduexit famulum, è meo cubiculo instructum bellico more, nobis in aperto solario sedentibus, ad duci feci. Dextera ensem gestauit ligneum simplicem, sine lapillis assuetis apud eos: (ensis namque bellici aciem vtramque effodiunt, lapillisque acutis vacuum illud implent, tenacissimo bitumine, ita vt in pugna ferè nostros in scindendo æquent enses.) Sunt lapilli ex eo lapide quo nouaculas, de quibus aliâs dixi, confingunt. Scutum extulit suo more compactum. Id est ex viminibus contextum tenacibus auro superposito, à cuius mediis inferioribus circumferentiis fimbriæ pendent volatiles plumeæ, ad ornatum insertæ spitama longiores: scuti pars interior, pelle tigridis erat contecta: exterius aureo constabat

Puer Ind° more bellico ornatus.

vmbilico, plumeo variorum colorum campo, parum à nostro serico villoso differente. Prodit armatus ense puer, & glauca partim, rubra partim contectus veste stricta plumea, cum subligari gossampino, inter fœmora mapula pendet, contextis cum ea veste calligis ac si thoracem quis exuat, ligulis nõ solutis à calligis, perpulchre indutus soleis, belligerandi simulachrum exercuit puer, in hostes nunc ruens, ab hostibus mox fugiens, demum cœpisse confingit pugnando puerum alium, ad id instructum & ipsius conseruum, illum vti raptare solent bello captos hostes, capillis arreptum trahit ad immolandum, stratum videbatur primò per costulas cultro, quà cor iacet, aperire: mox eruto corde, sangninem cordi proximum manibus ambabus emungere fingebat: eoque ensem & scutum irrorando madefaciebat. Id esse moris aiunt in captos hostes. Cor autem ipsum, accenso cum duobus confricatis lignis, ad id ministerium aptis, igne (virgineum recenter excussum oportet esse ignem,) comburit: cuius fumum gratum esse arbitrãtur suis bellorum fautoribus diis: corpus reliquum secant membratim, vti pueri actus demonstrabant, ventre cum popa integrò relicto, ne sordes labantur. Caput vero hostis immolati carne nudatum auro insertum pro trophæo quisque interemptor habet, totque sibi aurea confici curat capita hyantia parua, quot hostes interfecisse ac immolasse probabitur: eaque pendula collo gestat, opinio est vt membris pascãtur. Ait Ribera hic scisse se principes omnes Muteczumanos carnibus & ipsos humanis vesci solitos, vnde suspicatur quod & Mutec zuma, licet ab eis cauerit semper in eo casu, postquam edixerint quã fœdũ sit quãque deo male gratũ occidere hominẽ, quãto magis hominẽ comedere. Post exacta sacrorũ à puero ficta solẽnia, dũ interea de terrarũ illarum moribus & amplitudine Riberã percunctãdo lassaremus, puerũ in cubiculum introductũ festiuo induerunt more: aliter indutus ad nos

Belligerãdi simulachrũ exercet.

prodiit, cum iocali aureo mille modis ornato in læuã sumpto, in dextrã vero tintinabulorũ attulit sertũ excutiendo & iocali leniter in gyrũ eleuato, mox demisso, cũ cãtu patrio tripudiis tabulatum, in quo sedebamus spectantes, implebat: pulchrum fuit videre ad honoratiorẽ accidentẽ, quo modo reges afferẽdo munera salutãt, voce tremula, vultu demisso, eleuato in regis faciẽ nunquã, alloquitur accedẽs, & corpore prostrato in hũc sensum verba promit: Regẽ regũ appellat, cœlorum ac terrarũ dominũ, suæ ciuitatis aut oppidi nomine offert obsequiũ, è duobus vtrũ malit, eligat: an vt domũ aliquã ei construant, saxa, trabes, & cõtignationes trahẽdo: an colẽdis agris intẽdat: Mãcipia se esse regia dicunt, ab hostibus finitimis iacturas ingẽtes se fuisse perpessos eius causa disserũt, omnia tamen libẽti animo incõmoda suscepisse, propter obseruantiã & fidelitatẽ erga illũ: & hinc inscitias multas. Tertiò, nobis in Riberæ colloquiis implicitis, è cubiculo prodiit puer ebriũ agẽs: nullũ vidimus spectaculũ ebriosi similius: quando à diis impetraturos se putãt aliquid optatũ, duo ac tria millia cõuenire ac ex herbæ cuiusdam inebriantis replere succo ait, ita nudos per vicos vrbis & plateas discurrere, parietes quærendo pro sustentaculis, & obuios interrogando, quanam sit iter ad proprium contubernium, modò spuendo, vomendo modò, & cadendo sæpius: de puero satis. Nescio quid ait audiuisse Ribera de regione à solis mulieribus habitata, in montibus illis ad Boream tendentibus, sed certi nihil. Hoc argumento aiunt posse credi, quod regio dicatur Yguatlam, quia Yguat illorum lingua dicitur mulier: & lan dominus: inde putãs fœminarũ esse regionẽ. Interea dũ puer pararetur ad spectacula diuersa, inter cætera de potẽtia Mutec Zumæ argumenta, diuersarum prouinciarũ apud se habuisse interpretes & legatos innumeros, curiam ipsius fixo pede dominorum nomine nobi-

Quis modus salutãdi Reges.

Spectaculum ebriosum.

litantes, vti apud nos sunt Comites, Marchiones, Duces, Cæsaris obseruatores. Non est alienum à re licet ludricum, quibus ludis vtantur dicere: scacorum fritillos habere notum est, per scacos in lodicibus contextos: sed pilæ ludus & apud eos, & in insulis nostris pro primario habetur. Sunt eorum pilæ ex cuiusdam serpentis per arbores herbæ succo, vti per sepes lupuli serpunt: succum coquunt, is durescit feruendo, & in massam vertitur, ex qua confricata pilam ad suum quisque libitum format, ex earum herbarum radicibus dicunt alij cõfictis ponderosæ sunt: sed nescio quomodo in solido ventosæ, vt paulo ictu concussæ in terram exiliant in æthera, saltu non credibili. Sunt in eo ludo dexterrimi: humeris, cubitis, & capitibus, manibus raro, pilam feriunt, cum natibus aliquãdo (tergo dato dum pila concutitur ab aduersario) quia nudi exercent ludum vti palestritæ. Cãdelarum & facum loco pineas vrunt medullas, neque seuum aut abdomen aliud aut oleum habent: neque ad id ministerium cera vtebantur (licet ceram assequantur & mella) vsque ad nostrorum accessum ad eos. In regis & procerum atriis, tres ignes accensos nocte tota seruant, ex illis assulis pineis instructos, ministris ad id opus vicißim designatis, qui perpetuo lignorum iactu ad focum, super alto candelabro, ex oricalco fabrefacto, fouent lumen. In atrij vestibulo candelabrum est vnum: in aula primaria in qua familiares mandata expectantes deambulant, alterum: intra principis cubiculum tertium. Si quo particulariter sit eundum, suam quisque tedam gestat manu, vti nostri candelam. In insulis vero testudinis adipe ad lucernæ fomentum vtuntur, vt nostri sepo. Populares dicit vnà esse vxore contentos: cuique vero principi licet ad libitum suum alere pellices: inquit etiam solos principes lectis procumbere, cæteros in stratis super pauimento storeis, aut tapetibus gosampijs, lodicibus tantum gosampijs quibusdam contentos:

De ludis Indorum.

quarum partem dimidiam subtendunt, altera se cooperiunt. Harum lodicum multas Ribera nobis ostendit. Viuunt præterea numero & mensura contenti, pondus est illis ignotum. Dixi aliâs habere libros, è quibus multos attulerunt: hic autem Ribera inquit, non ad vsum legendi esse compactos, sed tantum characteres illos imaginibus variis munitos, esse rerum exempla, à quibus opifices exemplaria ad monilia vel lodices vestesque formandas & figuris illis ornandas excerpant, vti video passim in Hispania sutrices, & eas quæ linteis sericeos insuunt aculeus subtilibus laqueos, rosas, floresque ac multa formarum genera, quæ oblectant suo aspectu, habere apud se laborum omnium illorum in linteis particularibus formas, quibus ducibus tirones puellas instituunt. Quid credam in hac varietate non intelligo. Libros esse puto, characteresque illos ac imagines aliud aliquid significare, cũ Romæ viderim in obeliscis eiusmodi res quæ pro literis habebãtur, legamusque Chaldeorum fuisse quondam eum scribendi modum. Memini me supra scripsisse quod MutecZuma ab sua regia leucâs sexaginta, mari vicinum Cortesio petenti construxerit per architectos atrium, vbi monetalium arborum duo millia plantari, & maiicij grani heminas seri multas, anseresque ac anates, & pauones natiuos iusserit iniici, cum tribus aliis domibus ad atrij obsequium: interfecisse nostros ibi relictos, & omnia rapuisse Barbaros finitimos ait, quo tempore ciuitate fuerunt expulsi. De commodo cibali lacunarum salsæ ac potabilis refert: salsæ minores esse minusque sapidos pisces, & quando fluentis salsæ in potabilem aqua labitur, nutritos in salsa pisces à dulcis aquæ gustu retrofugere ad refluentis aquæ meatum. E conuerso vbi salsam gustare incipiunt potabilis habitatores, eodem retrocedunt modo. Quid fiat in rituum forma veteri, quoue modo capiant tam repentinam sacrorum mutationem interrogatus dicit, quæque simulachra bello victorum esse di-

De libris eorum.

ruta: vetitumque ne humano sanguine vlterius litet. Amicos autem relictos persuasos ne homines perimant, si cœlorum satori gratos fore se cupiant: non esse tamen tempus ratus est, vt ita repente cogat mutare imbutos à maioribus mores, in hoc vno satisfecisse putatur, quòd neque Tascaltecani aut Guazuzingi vel alij quique amici publice audeant vlterius eam carnificinam exercere, secreto dubitare se ait an penitus abstineant. Paulatim aboliturum veteres illorum ceremonias sperandum. Sacerdotes postulat, petit & campanas cum ornamentis: mittetur omnia, & tuæ Beatitudinis throno multa centena millia populorum noua subiicientur.

ARCHIEPISCOPO CONSENTINO PRAEBENDA PONTIFICI, PETRI Martyris Anglerij Mediolanensis, Sexta decas.

CAPVT PRIMVM.



1523. RIVSQVAM tua legatione functus Hispanica duobus Pontificibus vtili & honorifica, carente regibus Hispania, ob regis Cæsaris discessum ad oblatam Imperialem coronam capessendam, regredereris ad vrbem, scisse te arbitror, inter nobiles Hispanos, nostri putati continentis in orbe nouo latus australe pernauigantes, non fuisse vulgares Aegidium Gonsalum vulgo Gil Gonzalez, & Licentiatum Spinosam iurisconsultum. De Spinosa te præsente multa in tertia mearum decadum ad Leonem Pontificem Maximum, ipso petente, scripta. Nunc ab Aegidio Gõsalo literas habemus post biennium sub data ex Hispaniola, illorum tractuum regia, pridie nonas Martij. M.D.XXIIII.

Literæ ab Aegidio Gonsalo.

Ad quam se inquit appulsum fuisse cum centum ac duodecim auri millibus pensis. Rediisse autem Pānaman alterius anni. M.D.XXIII. Iulij die. xxv. Ingens est cartarum volumen, quod minuta quæcunque longo temporis ac terrarum interuallo sibi acciderunt, enarret. Sunt & diffusa eius à Cæsare postulatá, pro laboribus & periculis, ærumnosa etiam egestate in eo discursu perpeßis. Neque de Petro Aria generali gubernatore illarum terrarum, quas sub vna denominatione Castellam auriferam appellamus, desunt conquestus & verba, stricte libertatem ab eius arbitrio afflagitantia: inter quæ nobiliori se ait esse ortum sanguine, ac si ab ignauo caupone aut ab Hectoreo viro natos esse interesset, qui ad huiuscemodi laboriosa & grandia negocia deliguntur à regibus, in Hispania præcipue, vbi maiori ex parte nobilium specialem eße prærogatiuam arbitrantur, vt ociosi ac sine vlla exercitatione, præterquam bellica, & ea imperatoria, non ministratoria, viuant. Habui abs te literas manu tui Ioannis Pauli Oliuerij mihi redditas, datas in vrbe nonis Maij: quibus inter cætera inquis Summum Pontificem Clementem his significationibus nō minus delectari, quā Leonē patruelē, aut Adrianū prædecessores, per suas breues mēbranas imperātes mihi vt ea conscriberem. Collegi ad te pauca è multis, nō ad suam Beatitudinē dirigenda, quæ, si vti Leo patruelis, si vti successor eius Adrianus fecêre, suis me imperijs impulerit ad scribendum, parebo libens, aliter ab eo labore abstinebo, ne in temeritatis notam à labiis iniquis iudicer incidisse. More igitur nostro seruato, posthabitis scribentium minutis affectibus, quæ necessaria cognitu fore arbitramur, perstringemus. Nec puncto me ab hoc instituto caput illud epistolæ tuæ mouebit, quo ais in Germania de verbo ad verbū ab Hispano idiomate in latinum fuisse traductum, Ioannis Granatensis electi episcopi Vienensis hortatu, quicquid Fernādus Cortesius Iucatana-

De natura Hispanorum.

rum & Tenustitanarum ingentium regionum prostrator, ad Cæsareum rerum Indicarum nostrum senatum, & ipsum Cæsarem scriptitauit: ex illis namque & aliorum relatu (vti nosti) excerpsi ego quæ digna notatu visa fuerunt. Ad rem iam tandem veniamus, & à coloniis erectis capiamus initium, quo facilius geographia veteri percepta, quos Aegidius iste tractus peragrauerit, capiat intellectus.

Amplitudo terræ nuper inuentæ.

De amplitudine illarum terrarum, quæ ferè ter sua longitudine, nec fine reperto, Europam superat vniuersam, in primis decadibus meis, prelis impressorum subiectis, & per Christianum orbem vagantibus, satis latè, sub putati continentis nomine, mentio facta est. Iacentia scripsimus in probatione latitudinis Maragnoni fluminis, huic terræ duo esse maria ingentia: Occidentale hoc nostrum, illi terræ septentrionale, australe aliud. His suppositis intelligat sua Beatitudo conditas esse in eius terræ lateribus colonias ad Hispanis sex: in Septentrionali tres, ad fluminis Darienis ripas in Vrabæ sinu, nomine sancta Maria antiqua, vnam: ab Dariene leucas viginti Aclam: sub Dei Nomine, in reguli Caretæ diocesi ab Acla. xxxvii. leucas tertiam. In australi vero littore totidem erexerunt, quarum vnam patrio nomine relicto, Pannamán vltima producta vocauêre: à Pannama vero ad leucas. xxxi. Natam secundam, à Natam ad leucas. lxxv. condidêre tertiam, dictam Chiriqui.

R PORTV

CAPVT SECVNDVM.



PORTV coloniæ Septentrionalis Nomen dei appellatæ, montes densis nemoribus ab æterno intactis, & rupibus arduis inuios, cœlo æquatos ad Pannamam australem, cum Petro Aria gubernatore sternere iter statuerunt habitatores. Est namque inter vtrumque mare septẽdecim tãtum leucarum, quæ milliaria claudunt circiter quinquaginta, intercapedo illa terrarum, licet alibi sit latißima tellus, & adeo lata quod à faucibus Maragnoni fluminis in Oceanum à septentrione cadentis ad antarcticum, vltra æquatorem gradus quatuor & quinquaginta sese protendat, vti vidisse te arbitror in ea decade ad Adrianum, qui nuper obijt, directà, quam successori eius præbendam ad te misi, licet alieno nomine nuncupatam, quandoquidem ille fato interceptus est decade non recepta: in qua dè insulis aromatum altricibus, ea via repertis, fit lata mentio. Per Isthmũ ergo hunc, tum regia, tum incolarum summâ impensa iter illud rupibus confractis & variarum ferarum stratis nemoralibus cubiculis, faciunt binis curribus peruium, quo facili traiectu queant vtriusque maris immensi secreta vestigare, non perfecêre tamẽ adhuc. Ex insula igitur, quam Ditem in decadibus primis appellatam dixi, nunc vnionum insulam, quod vnionum sit illic ingens copia, in coloniæ Pannamæ prospectu sita, Aegidius Gonsalus die primo ac vigesimo Ianuarij anni à salute nostra secundi & vigesimi à quingentesimo & Millesimo, cum quatuor nauium ferè inermi claßicula, se ait ad Occidentem vela fecisse, quo iussu Cæsaris, nostri regij senatus consilio pareret, à quibus habuit in mandatis vt occidentales nondum tractatas oras per-

lustrãs diligenti studio perquireret, an inter ultimos ipsius putati continentis terminos iampridem notos; & Iucatanarum terrarum initia, fretum aliquod eas dirimens vestitates inueniatur: Ut paucis absoluam fictum minime repererunt, quæ vero perfecerit, multis circuitionibus à tergo relictis & plerisque notatis habeto. Sexcentas & quadraginta se leucas, quæ sunt milliaria circiter bis mille, mensium spacio ferè decem & septem, nouorum tractuum oras & regulorum imperia penetrasse ad Occidentem scribit. Quo tempore dum confractæ naues & colubrulis maritimis, ab Hispanis broma dictis, terebratæ reficerentur, deficientibus & victui necessariis, terra percurrere coactus fuit. Quatuor & quadraginta post ducentas leucas in internis peragrauit cum hominibus circiter centum, à plærisque regulis panem sibi & comilitionibus mendicans, à quibus dicit se habuisse dono pensorum aureorum centum duodecim millia: (Est pensum dragma quadrantem superans, vti te didicisse, quatuordecim annorum apud Hispanos egregio commercio, est opus:) atque baptismatis lauacro inuncta, nec inuita, per initiatos quos secum habebat, incolarum duo ac triginta hominum amplius vtriusque sexus millia: adnauigasseque tantum se inquit, vt à tergo Iucatanæ prouinciæ mores eosdem & idiomata repererit, quibus Iucatani pollent habitatores. Ex centum duodecim millibus allatis per thesaurariũ Cerezedam ab eo missum pensis, pro regia portione ait mittere se Cæsari, parte vna pensorum millia septemdecim, auri semipuri quod gradus attingat duodecimum & tredecimum, parte altera pensorum millia quindecim & trecentum sexaginta pensa: in secures quibus loco ferrearum & calibe inaptarum ad lignariam artem exercendam vtuntur, deducta securium persa paulo plus dimidio aureo ducato valorem singula contingere, probantium auri gradus magistrorum, ad id designatorum, testimonio scribit. Quod nos magni facimꝰ est, repertas esse terras

Quid pẽsum.

in quibus fabrilia, rustica etiam instrumenta omnia ex auro, licet non puro conficiãtur. In tintinabula quoque ex auro conflata, quibus maxime delectãtur, misisse inquit sex & octoginta supra sexties mille pensa, quæ ferè nullum, ex magistrorum calculo, gradum assequuntur: vt lenius atque acutius tintinabula resonent agitata, credunt nostri tam sine lege fabrefieri: auri namque tinnitus, vti scire te oportet, quanto purioris auri, eo est hebetior. Particularius autem plæraque recesendo ait, ex fluuiorum transitu & pluuiarum frequẽtia, quod hyemis, essent nostræ menses, licet æquinoctio proximi frigoribus non ita vrgerentur, sibi & consociis tamen varios lãguores exortos fuisse, qui ne magna efficerent itinera eos deturbabant: ad nouam insulam cum prouincialibus vniligneis lintribus traiiciens, cuius, & consociis testibus, decẽ est leucarũ longitudo, latitudo vero sex, ab insulæ regulo benigne susceptus fuit. eius atrium ait in edito parumper colle sublicibus trabibus constructũ, & culmis herbisque tuentibus à pluuia contectum, in castrensis papilionis formam erectum. In hac insula & regiæ viciniã bipartitus labitur ingens fluuius: hunc ait, eo tẽpore quo ipse aquarũ alluuiebus interceptus apud eũ Regulũ permãsit, ferè totã insulã adeo inũdasse, & regiã ipsã domũ virili cingulo tenus ita perluisse, vt eius incremẽti furore postiũ regiã substinẽtiũ fũdamẽtis emolitis, dom⁹ ipsa corruerit. Sed ait trabiũ cuspides inuicẽ cõnexas molẽ sustinuisse cõiunctã, ne penitus laberetur in eos: securibus impactis portã sibi, qua exire possẽt, effecère. Ad arborũ altarũ ramos habuere refugiũ, vbi ait se atque vna socios & hospites biduũ egisse, donec ad alueos, pluuiis cessãtibus, aquæ redierũt. Particulares casus hic refert varios. Sed tibi satis, si præcipuè harũ fortunæ nugarum Beatißimum Clementem facturus es participem, quem ingens ea pontificia moles tenere semper magnis negociis implicitum debet. Ablatis ab alluuie commeanibus omnibus, egestate coactus, itinere adhuc

Rustica instrumẽta ex auro facta.

terrestri victum quæsiturus, progreditur ad occidentem, littoreo tamen prospectu nunquam relicto, ad portum vsque iam notum, & à nostris sancti Vincentij portum appellatum peruenit. Socios appulsos esse reperit, cùm quibus discedens ab eis dum naues & aquatilia vasa reficerent, ita conuenerat.

CAPVT TERTIVM.



IS pro temporis exigentia salutatis, & mature quid cuique faciendum esset deliberato: quatuor equis, quos aduexerant, è nauibus eductis, classiariis imperat, vt rectà ipsi ad Occidentem paulatim adnauigent. Vt ob scopulos, vt ob vadosas arenas à noctium velificatu caueant, quod per incognitos iam pelagi tractus sit lebendum edicit, ipse vero quatuor illis equis & peditibus circiter cẽtum terrestre iter capiens, in regulum incidit nomine Nicoianum: benigne suscepto Nicoianus millia pẽsorum auri quatuordecim dono dedit: persuasus à nostris esse supra solem alium quàm ipsi arbitrẽtur, cœli ac terrarum satorem, qui solem ipsum ac lunam cæteraque visibilia sydera ex nihilo formauit, & sua sapientia gubernet, qui & cuique hominum pro meritis præmia impartiatur, voluit cum vniuersa familia baptizari, & ex eius regno abluti sunt lauacro baptismatis reguli exemplo millia hominum vtriusque sexus. Circiter septendecim dierum spacio apud Nicoianum versatus, ita instructum reliquit vt discedenti hæc idiomate suo per interpretes conuicinos intellecto protulerit. Quandoquidem hæc auita deorum simulachra nunquam vltra sum allocuturus, nec ab eis quicquam petiturus, ea tecum auferto: hæc dicẽs Aegidio Gõsalo spitamalis altitudinis præbuit sex aurea simulachra, maiorũ suorũ vetera monumẽta. A Nicoiani regia intellexit habere regnũ

Nicoian⁹ Regulus.

ad leucas quinquaginta Regulum nomine Nicoraguam: à Nicoraguæ sede regia vnius itinere diei sistes, nuncios misit qui Regulo idem renunciarent, quod cæteris nostri solent regulis, priusquam eis instent, vt scilicet Christiani efficiantur, vtque magni regis Hispaniarum iugum ac leges admittant: si detrectauerit, bellum & vim in illum excitaturos. Postero die Nicoraguani nobiles obuiam prodeunt quatuor, pacem & baptismum se velle Reguli nomine inquiunt. Nicoraguam adeunt nostri, cum familia vniuersa, & paulo plus nouem millibus aliis sacro addicunt baptismati. Pensorum auri Nicoragua dedit Aegidio Gonsalo millia quindecim variis cōfecta monilibus. Pensauit Aegidius munera muneribus, sericeam Nicoraguæ vestem & interiorem lineam textā, purpureumque pileum præbuit: duabus crucibus ibi erectis, in eorum templo vna, & extra pagi domos altera, discessit: petijt regionem alteram ad leucas sex, ad Occidentem semper tendens. Vbi ait vicos reperisse sex, duorum millium domorum circiter singulos. Audita nostrorum fama, visendi studio dum inter eos sex pagos morarentur, occidentalior alter venit ad nostros regulus nomine Diriangen, quingentis hominibus & viginti fœminis comitatus, vexillis decem & tubicinibus quinque præeuntibus more suo. Accedens Regulus ad Gonsalum, in solio apparatu regio compto expectantem, clangere tubas, mox desinere, vexillaque præcedentia demitti præcepit: virorū quilibet vnā hic, duas alius similes pauonib⁹ volucres afferebat, nec magnitudine aut gustu inferiores. Sunt illæ volucres eorum altilia domestica, vti apud nos gallinæ. Digredior parumper cum tua venia. Particularia huiuscemodi repeto multa, & Aesculapio tibi pharmacum instruo ineptus ego agricola: sunt nanque tibi multa ex his notißima, & in meis decadibus late notata. Sed existimans hæc ad manus hominum studiosorum posse peruenire, quibus

Regulus Diriāgen.

ea sint ignota, nec tuam assequentur interpretationem, ea repeto, vt causa tua voti fiant compotes: ne me igitur accuses tu qui natus es ad multorum vtilitatem. Attulit hic Regulus Diriangenus per ministros aureas ducentum amplius secures, quæ singulæ ponderis erant pensorum octodecim, aut paulo amplius. Interrogatus per interpretes, quos Aegidius habebat conuicinos, qui nostros intelligebant, quid causæ illum ad veniendum impulisset: respondisse dicitur, vt nouam gentem, quam eas regiones peragrare audierat, cōspicere daretur, & quid a se optarent, se dictis eorum pariturum offerens. Vt Christiani efficiantur, iisdem rationibus adductis quibus cæteros monuerunt, vtque Hispani magni regis obseruantiā caperent. Vtrumque placere inquit, seque ad nostros in diem tertium, vt mandata suscipiat, rediturum pollicitus est. Abiit ille.

CAPVT QVARTVM.



INTEREA loci dum apud Nicoraguam nostri morarentur, non indigna relatu intercesserunt multa. Ea mihi, præter ab Aegidii litteris excerpta, regius apud eum quæstor, vulgo thesaurarius, laborum omnium non exigua pars, nomine Andreas Cerezeda, narrauit, scriptaque discedens reliquit. In sermones varios animi causa incidentes ociosi, Aegidius nostrorum dux militum & Nicoragua regulus, per interpretem, quem educauerat Aegidius non longe natum ab Nicoraguæ regno, nec inepte vtriusque idioma promentem, percunctatus est Aegidiū Nicoragua, quid apud potentem eum Regem, cuius ipse seruum se fatetur, de præterito cataclismo, quem vniuersam cum hominibus & brutis omnibus obruisse terram, ipse a maioribus audierat, sentiatur. Idem credi ait Aegidius: an

Sermo de cataclismo inter Nicoraguam & nostrates ortus.

aliâs venturum arbitretur percunctanti respondit minime: sed vti semel per aquarum alluuies propter hominum scelerata facinora, non licitum coitum præcipue, animalia cuncta paucis exceptis interierunt, ita post annorum ab hominibus non intellecta curricula, fore vt igne flammāti è cœlo deiecto in cinerem cuncta reuertantur: obstupuere omnes hac admirati narratione. Versus ad interpretem Nicoragua, vultu semiturbido interrogauit: An è cœlo gens hæc adeo sagax deueniat, è cœlo demissam ait interpres. An recta descenderit, an per gyros, aut arcuatim, simplici quadam innocentia delibutus percunctatus est, ad hoc nescire se inquit interpres, cui sit eadem terra natalis, quæ & ipsi Nicoraguæ, vel proxima. Dein, vt ab hero Aegidio peteret, esset ne aliquando resupino motu tellus ipsa vertenda edixit. In sola cœli ac terrarum hominum, quæ satoris mente, id arcanum esse professus est Aegidius. De humani generis vniuersali consumptione, deque animarum è corporeo carcere discedentium locis designatis, de statuto illius ignis demittendi tempore, quando sol ac luna cæteraque sydera præstare lucem desinent, de astrorum motu, quantitate, distantia & effectibus, poscenti, de multis præterea, Aegidius, licet ingenio pollēs, librosque versare vulgares è latino sermone versos delectetur, non eam tamen assecutus est eruditionē, vt respondere ad hoc aliter quiuerit, quā in diuinæ prouidētiæ pectore rerum illarum seruatam esse cognitionem. De ventorum autem flatibus & calorum ac frigorū causis, deque dierum ac noctium varietate, licet apud eos exigua sit, quod ab æquinoctio parum distent, multis etiā huiusmodi percunctanti Nicoraguæ, pro sui iudicii viribus plærisque satisfaciens, diuinæ cætera intelligentiæ commendans, respondit Aegidius. Ad terrena post hæc descendens Nicoragua & aulici familiares eius, an comedere, bibere, coire, ludere, cantare, ac ductare choreas, armorum

exercitiis indulgere, sine crimine liceat sciscitantibus, in hunc modum effatus est. Cibis potubusque vacare opus esse ait, sed vitandam in his crapulam: quicquid namque præter naturæ necessitatem sumitur, contra & animi præstantiam & corporum valetudinem recipitur, excitaríque inde vitiorum & rixarum ac simultatum semina inquit: coire quoque fas esse, sed cũ vna tantũ fœmina & ea iugali vinculo astricta. Ab alio quouis genere libidinis, si deo illi qui cuncta creauit, placere studuerint, abstinendũ: cantibus etiã ac ludis honestis, & choreis intendere suis temporibus non esse vetitum. De cerimoniis & humanarum victimarum carnificina, quum nihil interrogassent, mouit ipse collocutionem, aitque sacrificiorum eas oblationes deo esse ingratissimas, legeque apud magnum regem herum suum cautum esse, vt gladio pereat, quicunque hominem gladio ferierit ad necem. Et simulachra illa, quibus ipsi humano sanguine litant, præstigiatorum dæmonum imagines esse, qui ob superbiam è sedibus æthereis disiecti, ad antra sunt tartarea detrusi. Vnde noctu exeuntes, innocentibus plærumque sese hominibus ostentant, suisque fallacibus persuadent artibus, ea esse facienda, quæ vitari debeant in omnium genere rerum, quo animas nostras ab illius amore deturbent qui eas creauit, & per charitatem cæterosque honestos vitæ actus, ad se illas reducere optat, ne à paratis post obitum corporis æternis delitiis, ad perpetuas torturas & miseras ærumnas à lemuribus illis raptatæ, comites eorum efficiantur.

CAPVT QVINTVM.

POSTQVAM in hunc vel similem sensum, tanquam pulpitarius concionator, Aegidius disseruit per interpretē, quo melius potuit modo Nicoraguæ significauit. Assensit Aegidij dictis Nicoragua, & vna quid sibi faciendum foret, quo grati deo illi quem ipse prædicat, rerum autori esse poßint, interrogauit. In hunc sensum Nicoraguæ, respondisse Aegidium CereZeda regius apud eum quæstor testatur: non hominibus mactatis, aut vllo sanguine sparso is delectatur qui nos cunctaque creauit, solo animi nostri erga se amore feruido gaudet, nostri cordis arcana illi patent, cordis ipsius meditata solum exoptat, non carne aut sanguine depascitur, nil est quo magis excandescat quam hominum, à quibus ipse laudari & glorificari cupit, interitu. Vestris suisque hostibus ad profunda tartari proiectis, quorum hic vos imagines obseruatis, grata sunt hæc abominanda sacrificia, grata & scelera cuncta, quo animas vestras hinc abeuntes secum trahant in æternam ruinam. Vana hæc immo perniciosa simulachra, de vestris laribus & templis eliminate: crucem hanc amplexamini, cuius imaginem suo sanguine Christus deus ad generis humani deperditi salutem irrorauit: & fœlices vobis annos ac beatam vestris animabus æternitatem polliceri poteritis. Bella quoque sunt rerū creatori odiosa, pax inter vicinos amica, quos vt amemus ac nosmet ipsos imperat, si tamen vos tranquillam agentes vitam quis laceßierit, propulsare iniuriam ac se resque suas tueri cuique hominum fas est. Prouocare vero ambitionis vel auaritiæ studio quenquam, vetitum: contraque bonos mores & ipsius Dei voluntatem fieri hæc. His ita disertis, Nicoragua suique aulici qui aderant, ore aperto ab Aegidii vultu pendentes assenserunt cæteris omnibus præpositionibus, huic vni de re bellica

labra torserunt: quo tela, quo galeas aureas, quone arcus & sagittas, ornatusque suos bellicos & militaria inclita vexilla proiecturi essent, percunctati sunt, fœminisne ista tractanda præbebimus? nos illarum fusos & colos exercebimus, terramque nos rustico more colemus? Non ausus est ad hæc Aegidius quicquam repetere, quòd semiturbatos illa retulisse cognouerit. De crucis autem adorandæ mysterio & vtilitate interrogantibus inquit, si corde puro ac sincero quicquam illam inspectantes & Christi in ea passi pie memores postulaueritis, id assequemini, modo iusta petatis: si pacem, si contra superbos hostes victoriam, si fructuum vbertatem, si temperiem aeris & incolumitatem, si huiuscemodi reliqua optata præposueritis, voti compotes efficiemini. Cruces Aegidium erexisse illis duas memorauit, sub tegmine vnam, sub dio in celso manufacto latericio tumulo alteram: quo tempore sistenda super tumulo portabatur, præiisse ponpam sacerdotes ait CereZeda, subsecutum cum suis Aegidium, regulo comitante, cæterisque eius subditis. Quo tempore crux sistebatur, canere tubis & timpanis cœptum est. Cruce firmata, per gradus depositos basim prior conscendit Aegidius, detecto capite genuque flexo, suas ibi tacitus fudit preces, crucis demum vestigia complectens osculatus est. Regulus, & eius exemplo cæteri omnes idem effecêre. Ita nostris ritibus imbutos constituit. De dierum vero distributione inquit, perpetuis diebus sex culturis ac reliquis laboribus artibusque inuigilandum, septimo quieti & sacris intendere oportere, diemque illis septimum aßignauit dominicum, nec, si vlterius dierum festorum longa serie grauarentur, vtile fore ratus est. Vnum addam ab Aegidio ipso in suæ narrationis discursu prætermissum, à CereZeda recitatum. Sunt imberbes illarum nationum barbari omnes, barbatos horrent ac formidãt: iccirco Aegidius quinque ac viginti iuuenes ob ætatem imberbes cum ipsorum tonsura

Imberbes Indi.

batos compositis crinibus effecit, quo maior barbatorum numerus appareret, ad eorum terrorem si bellum ingrueret, vti postea euenit. Aegidium addidit Cereceda scripsisse ad se, cum coactis in Hispaniola peditibus. ccl. equitibus septuaginta, vela fecisse circiter Idus Martii huius anni. M. D. XXIIII. ad desideratam quaerendi fretum prouinciam. 1542.
Sed res haec ad nostrum nondum est senatum delata, quando habebitur, habebitis. Haec iam tandem missa faciamus, & ad Lestrigonicam illarum nationum horridam consuetudinem, ac domorum templorumque situs & structuras parumper deueniamus. Regulorum atriorum longitudo centum, latitudo quindecim passibus constat, à fronte aperta, à tergo clausa sunt omnia. Sunt ab humo semistatura humana regiarum pauimenta erecta, caeterae nil surgunt à tellure. domus trabibus omnes confectae ac paleis coopertae, vnoque tegmine sine tabulato contentae sunt. De templis idem: ampla sunt & sacellis penetralibus obscuris humilibus fulta, in quibus penates quisque nobilium suos humat, habentque pro armamentariis: ibi nanque cum vexillis lemuribus inscriptis instrumenta bellica, arcus, pharetras, thoraces aureos, aureasque galeas & latos enses ligneos, quibus certant cominus, missilia etiam quibus eminus, & bellicos ornatus varios pace durante seruant, ac propriis à maioribus relictis deorum imaginibus pro facultatibus humanas mactant particulares victimas, votorum affectatis orationibus, eorum more à sacerdotibus compositis adorant.

Qualia sunt aedificia.

CAPVT SEXTVM.



EGVLORVM atriorum frontes pro sui pagi dispositione ac magnitudine grandes plateæ custodiunt. Si multis constet pagus domibus, & paruas habent, in quibus ab aula distãtes vicini commerciarii queant conuenire. Plateam regalem circundat vndique nobiliorum domus: in eius medio situ vna erecta est, quam opifices habitant aurarii. Aurum ibi in diuersa formandum monilia conflatur, mox in paruas reductum laminas aut vectes cuditur pro dominorum arbitrio, demum in optatas deducitur formas, nec inepte quidem. In templorum vero conspectu variæ sunt erectæ in cãpo ex crudis lateribus & bitumine quodã terreo ad varios effectus bases pulpitorũ more, octo constant gradibus, alicubi duodecim et quindecim alibi, summi verticis spaciũ varium est pro designati mysterii qualitate, virorũ decem capax est vnũ, in cuius medio spacio lapis eminet marmoreus, humanæ staturæ iacentis longitudinẽ ac latitudinem æquans: miserarum est ara victimarum infaustus lapis: statuto ad immolãdũ die, populi corona spectãte, regulus pulpitum conscendit aliud in prospectu, carnificinam inspecturus. Sacrificulus, audientibus cunctis, ex lapide illo eminenti stans pedibus præconis officio fungitur, & cultro lapideo acuto, quem manu gestat, vibrato (lapidicinas quippe in terris omnibus illis habent, aptas ad secures gladiosque ac nouaculas conficiendas, ex quibus nos quotquot volumus assequimur, neque huius rei expers fuit Ascanius Cardinalis) mactandas esse victimas & an hostiles an domi nutritas edicit. Duo nãque apud illos genera sũt humanarũ hostiarũ: ex hostibus bello captis vnũ, ex domi altis alterũ: quisque nãque

Duo hostiarum genera.

Regulus aut nobilis ab infantia domi nutrit mactandas victimas pro suis opibus, & his non ignaris ad quid seruentur & lautius quã cæteri pascãtur, neque ob id mœstis, quod à teneris persuasi viuant, fore vt in cœlites eo vitæ exitu cõuertantur. Hinc per pagos liberi deambulantes, ab obuiis quibusque pro iã heroibus reuerẽter suscipiuntur, & postulatis omnibus, siue ad esum, siue ad ornatum quid petant, onusti dimittuntur: neque sibi parum fauste die illo successisse apud superos donans arbitratur, quo fuerit aliquid impartitus. Varia igitur hæc hostiarũ genera, variis in immolando tractant modis: vtranque super eo lapide resupinã distendunt hostiam, parique modo per costulas euulso corde aperiunt, & vtriusque sanguine, regula eadem seruata, labra barbasque liniunt, sed hostilem victimam præco sacrificulus gladium manu tenens & cantibus quibusdam tristibus circundans, super lapide stratam, ter lustrat, mox aperit, dehinc in frusta secat, sectam hoc pacto edendum diuidit: Regulo manus pedesque condonantur, corda sacerdotibus, eorum vxoribus ac natis, quos habere fas est, præbentur, fœmora nobilibus, cætera populo per frustula diuiduntur: caput vero trophæi loco in quarũdam arborum paruarum à carnificina parum distantium, ad id nutritarum, ramis appenduntur. Quisque Regulus designatas nutrit in agro vicino arbores, cuiusque regionis hostilis nomina seruantes, in quibus captorum bello capita immolata suspendant, vti nostri duces insanæ suæ seuitiæ testes, quam victoriam appellant, galeas et vexilla huiusmodique insignia infigunt templorum parietibus. Male gratum se illo anno futurum arbitraretur, qui expers victimæ hostilis portiunculæ relinqueretur. Domesticam vero victimam, licet eodem lacerent ordine, mortuam aliter tractant: quasque illius partes venerantur, & ante fores tẽplorum partim, vt pedes manusque ac viscera in cucurbitam cõtecta tumulãt, cæteras vna et corda in illarũ arborũ hostilium

Quibus cerimoniis mactent diis suis humanas victimas.

prospectu, structo grandi rogo, inter priorum victimarum cineres, nunquam inde amatos in eo campo iacentes, cum sacerdotum applausibus & hymnis canoris comburunt.

CAPVT SEPTIMVM.



VANDO vero populus cum assueto sacerdotum murmure Deorum labia fricari cernit, vota precesque aperit suas, poscitque agrorum cæterarũque frugum vbertatem, aëris salubritatem, pacem, aut si certandum sit, victoriam, vtque brucos & locustas, alluuies & siccitatem ac ferarum vim & aduersa quæque deturbent, pro cruciatu animi quisque sui efflagitat. Non his contenti sacris, Regulus ac sacerdotes nobilesque suo & ipsi sanguine, sed vni tantum litant simulachro. Id superne infixum hastæ tricubitali, cum summa pompa ad cœli aspectum seniores autorati exportant è templo, vbi toto anno religiose custoditur: infernis & id est numinibus simile, quo pacto ad homines deterrendos in parietibus depinguntur. Præeunt sacerdotes infulati, populi agmen incedens vexilla gestat quisque mille coloribus inscripta, ex gosampio intexta, cũ suis lemurum imaginibus. Ab sacerdotum humeris, velatis variis linteis, baltei digito craßiores pendent ad suras vsque, in quorũ fimbriatis vltimis capitibus sunt annexæ crumenæ singulæ, in quibus lapideas acutas nouaculas, confectorumque puluerum ex desiccatis herbis quibusdam saculos gestant. Sacerdotes ordine suo regulus & nobiliores pone sequuntur, confusa dein multitudo populi ad vnum: nemini, qui stare pedibus queat, abesse licet ab hac superstitione. Ad designatum applicati locum, suppositis prius odoratis herbis, aut pictis lodi-

cibus, ne terram hasta contingat, sistunt, sacerdotibus eam sustinentibus, suis assuetis cantibus & hymnis dæmoniolum salutant: circunsiliunt iuuenes tripudiis & choreis ac mille generibus ludorum, telorum, & scutorum agitatione agilitatem ostentantes. Dato à sacerdotibus signo nouaculas quisque sumit & sulcatim ipsi sibi linguas, versis ad simulachrum oculis, vulnerant, perfodiunt alii, scindunt plærique ad non exiguum sanguinis profluuium: omnes sanguine, vti in prioribus sacris diximus, eius fatui fricant simulachri labra barbamque: puluere mox illo herbido superiniecto replent vulnera. Eam esse illius pulueris vim aiunt, vt paucas intra horas vlcera curentur, ita vt scissa fuisse nusquàm videantur. His peractis hastam sacerdotes parumper dimittunt, ad aures primo Regulus, mox nobiles, populares demum simulacrum alloquuntur, turbidas quisque suas animi procellas aperit, vt optatis fauste fœliciterque faueat, cum reuerenti tremore ac murmure capite obstipo supplicant. Ita decepti à sacerdotibus domum rogrediuntur. Dum his & ociosis rebus aliis indagandis intenderent, ecce vnum, post alterum, deinde plures, exploratores, qui Diriangenem venire armatum nunciarent: animo quippe non solum resumendi quod ipse fuerat impartitus, veniebat, verumetiam interimendi nostros, confisus paucitate virorum, quos explorauerat, & spe possidendi, quæ nostri secum habebant: (amant & ipsi aurum, licet non vt monetam, sed ad monilia diducenda, ornatus causâ:) venit ergo magna comitante armatorum suo more caterua, adoritur nostros, quos si reperisset imparatos, ad vnum trucidasset. Certatum est grauiter ad noctem vsque.

O insanã cæcitatẽ hominũ.

CAPVT OCTAVVM,



IC multa refert, quæ prætermitto, ne simus tibi ego, tuque Pontifici & amicis tuis molesti: collige. Vicit parua manus nostra copias ingentes. Pie deum, qui dominus est exercituum, affuisse contremiscens & ab eo discrimine sese incolumes eduxisse, recitat. Mutatam sequutus fortunam à tergo relictus Nicoianus regulus, ad quem regredi fuerat coactus, idem de ipsis, ob auri copiam quam ferebant adimendam, interficiendis cogitauit. Id suspicatus Aegidius Gonzalus, minime se Nicoiano credidit. In ordine structis & seruatis militibus, infirmisque & auro in cunei medio locatis, cum equitibus illis quatuor & arcuariis ac sclopetariis septendecim bellatorum sustinuit furorem, & multos trucidauit. Eam noctem egit insomnem, primo diluculo pacem petunt, pax annuitur. Ad sancti Vincētij portum, vnde discesserant, reuerterunt. Naues regressas esse repererunt, quæ iam ad occidentem tercētum leucas maris ignoti circiter percurrerant, interea dum ipse prætor Aegidius internis peruestigaret. Redierāt vero, vt in eo portu naues iterum post aliquot mensium errores quassatas, reficerent, vt ipse ait. Describit autem Nicoraguæ viciniā hoc pacto. Ad ipsius Nicoraguæ atrii latus internum ait reperisse aquarum dulcium lacum, adeo protentum, vt eius finem scrutari nequiuerint, dicitque fluxu & refluxu agitari aquas eius, vnde appellādū esse mare dulciū aquarū censet ob eas causas: Insulis ait esse refertum. Interrogati accolæ, quo defluat, & an in vicinum pelagus, leucas tres distans, euacuentur aquæ illæ, nullum exitum habere professi sunt: ad id australe vicinum præcipue mare, an alia parte labatur, reliquisse illos ait in ambiguo. Propterea profitetur ipse, vt ex nauclerorum opinione refert

Descriptio lacia pud Nicoraguam.

habere

habere ipsos pro certo, eam esse aquarum congeriem quæ septentrionali pelago respondeat, ibique reperiri posse fretum tantopere desideratum. Si quid in hoc ego casu sentiam scire voles, inquio dictum ad sui excusationem, quod fretum non repererit: tum ex aquarum potabilium natura, tum etiam quod accolæ an exitum habeant aquæ illæ ignorent, oportet nos eodem desiderio torqueri, an fretum aliquod vastitates illas intersecet.

CAPVT NONVM.



ISTE Parumper, post hæc scripta, tabellario fere petasato morante, venit ad me Diecus Arias Petri Ariæ gubernatoris filius, secumque duxit Licenciatum illum Spinosam, de quo aliâs. Defraudatos ab hoc Aegidio Gonzalo ait Spinosa Petrum Ariam gubernatorem, ac se, qui tractus illos ab ambobus fuisse multo ante detectos affirmat, pacatosque Regulos incolas in suis progreßibus reliquisse. Audietur vtraque pars. Quid in senatu nostro à Cæsare sanciendum iudicabitur, viri harum rerum intactarum studiosi, tua causa intelligent aliquando: nunc satis. Meo nomine dices oscula pedum, si occasio locum præbuerit, Beatißimo nostro Clementi. Hispani tanti esse Beatitudinem suam valoris & precij pensitabunt, quanti te faciet, quem longo apud eos commercio maximi esse à maximis iuremerito faciendum, censent. A principum electionibus in ministris iudicia sæpe liberantur.

Accipe tertium quod emersit, morante iterum cursore, suæ Beatitudini vt arbitror gratum cognitu futurum. In ea decade ad Adrianum directa, vbi Maluchharum aromata

producentium insularum descriptio patet, de exorta inter Castellanos repertores & Portugalēses controuersia super his inuentis, est sermo. Adeo certam esse rem illam intra nostros limites ab Alexandro Pontifice aßignatos arbitramur, vt ad nouam profectionem præparandam, cum impensa non vulgari, recentes in Cantabrico Bilbani portu naues sex, necessariis commeatibus comparatis, construxerimus. Statueramusque, vt circiter vernum æquinoctium vela facerent ex portu Clunio Galleco tibi noto, ad aromatum ea commercia tractanda destinato, quod sit ab omnibus oris septentrionalibus mercatoribus venientibus multo propior, & commodior itinereque tutiori, quam si ad Hispalensem rebus Indicis designatam contractationis domum appellatam, aut in Portugalia per varios ac longos littorum inflexus tendere cogerentur. Portugalenses suis rebus præsentaneam ferè ruinam si res procederet spectantes, toto conatu efflagitarunt, ne tanta iactura, suo prius iure non intellecto, afficerentur, quod sibi persuadeant eas Maluchas insulas à suis nautis fuisse hactenus repertas & tractatas, iacereque intra suos, non Cæsareos aßignatos tercentum septuaginta leucarum terminos, extra insulas Caput viride dictas spectantes, quod à Ptolomeo Risardinum dicitur promontorium, à nobis Gorgones putatas. Cæsar vt is qui iusti est & recti magis amator, quàm fortunarum, cum propinquo rege præcipue qui consobrinus est, & forte si vulgatus valet rumor, sororius propediem futurus, eorum annuit postulatis, vt quid iuris insit deliberetur. Naues subsistunt, apparatus nil lucrantur, viri & ministri ad id negocij electi mußitant. Statutum fuit vt astronomiæ, cosmographiæ, ac maritimæ artis, iuris etiam periti ab vtrisque ad rei discußionem, in ciuitate Pace Augusta, quam Hispanus vulgo appellat Badaiozum, conueniant, quod is

Conuentus in Badaiozo.

locus Portugaliæ meta sit cum Castella. Ierunt nostri. Venerunt illi. A Kalendis Aprilis vel circiter, de proprietate ventilari, discutique cœptum est. Portugalenses, vt quibus assentiri vel puncto nusquam expedit, rationes admittunt à nostris adductas in medium nullas. Tercentum septuaginta leucarum designationem incipi debere ab insula Gorgonum ad occidentem vltima, quæ sancti Antonii dicitur, volunt Castellani: eamque à noto meridiano fortunatarum longitudinis gradus nouem & dimidium aiunt distare: econtra Portugalenses à prima insularum, quæ salis insula nuncupatur pertinaciter instant, quæ distantia gradus lōgitudinis occupat quinque, calculari debere. Hoc pacto Castellani suam rem probant. Si quis arbitrarius inter certantes de finibus vicinos ad lites dirimendas electus ita censuerit, ab Ioannis prædio noto, ac diu possesso, Franciscus eius vicinus habeat centum passus, ab vltimo Ioannis prædii limite incipiendam esse mensuram, nullus est qui ambigat. Si enim ab initio prædii captanda est mensura, vt prædij possessum soluat Ioannes necesse est, quoniam ea ratione suum includit in pacto prædium. Aiunt ergo Castellani, vel Gorgonum vestrarum hactenus insularum imperium soluite, vel ab vltimo illarum littore quæstionem hanc esse dimetiendam, assentiamini oportet. Institerunt diu: Conclusum nihil: quoniam si Portugalenses Castellanorū iudicum sententiis assentirentur, non Maluchas modo insulas Sinensibus & magno sinui ac promontorio Satyrorum & Gillolæ (de qua in decade ad Adrianum, à Ptolomæo, vti arbitrantur plærique ex his Catigara, à fortunatis gradus centum septuaginta quinque, à linea terminos vtriusque regis dirimente. C L.) finitimas: sed Malacham ipsam longo iam tēpore ab eis, vt Castellani dicunt, vsurpatam fuisse, fateantur, necesse est. A Ptolomæi namque ac reliquorum autorum, de longitudine graduum differentiīs, autoritatibus cōuictos fuisse

Nihil conclusum.

Portugalenses, Castellani prædicant. Caput excutiunt ad hæc audita Portugalenses: afferunt etiam nautæ nostri, ab ea tam vasta nauigatione regressi, ab illarum insularum prima rio regulo, apud quem gariophilis nauim Victoriam appellatam onerarunt, literas & egregia dona, in oblatæ obseruantiæ clarum argumentum. Portugalenses vero fœdus ictum cum quoque illarum insularum regulo, nullum ostendunt. Aiunt tamen, Portugalensium nomen ad eas insulas deuenisse, Portugalensesque viros in eis fuisse visos. Ad id, nostri Portugalensem vnum se reperisse fatentur, sed fugitiuum, ob commissa scelera iudicium timentem, neminem præterea, nec alteriusmodi commercii vllum signum. Quid à Cæsare in senatu nostro consultum prius statuetur, adhuc est in pera. Portugalensibus erit assuetas sibi actiones intercidi durissimum, nobis tanti occasionem inuenti amittere, non erit placidum: Deus intersit. Tu iam vale. Burgis decimo quarto Iulij. M. D. X X I I I I.

CAPVT DECIMVM.



B varios Pyratas & ob hostilitatem cum rege Gallorum, itinera nobis, tam terrestria, quam maritima conclusit iniuria temporum. Duplicato propterea mitto ad te postulantem, quæ de orbe nouo, paucis adiiis noua emerserunt. Quatuor & viginti ad prædictæ controuersiæ cum Portugalensibus deliberationem missi fuerant probati viri, ex quaque facultate sex, astronomica puta: & legali, cosmographáque artibus & nautica. Horum tibi noti sunt pauci: Beatitudini vero Pontificis nulli. Redierunt omnes: Senatui nostro, mox Cæsari, aliorum nomine latam

præbuerunt de actis in eo conuentu rationem. Don Fernandus Colonus, Christophori Coloni horum tractuum primi vestigatoris filius secundo natus, vir eruditus, & iurisperiti tres, cæteris audientibus, Licenciatus à Cunna, & Licenciatus Emanuelus, Regij senatus ille, Valledoletanæ Cancellariæ hic, auditores, & vna Licenciatus Perisa in Granatēsi Cancellaria primas causarum, vti fama est, aduocatas retulerunt. Quæ supra memoraui ea sunt acta, neque vltra quicquam. Statuto à Cæsare die, qui fuit Maii vltimus, in vnius fluminis ponte, Castellæ terminum dirimente cum Portugalia, nomine Caia, suam protulere Castellani iudices arbitrarii ad id destinati sententiam, (neque vt diem aut horam differrent à proferenda, potuerunt assequi Portugalenses, quibus quæque dilatio erat commoda): Vt Maluchæ insulæ, ex veterum & iuniorum iudicio gradus viginti amplius intra Castellanos limites sitæ intelligantur, sancitum est. Neque Malacham excludunt aut Taprobanam, si ea est, quam Portugalenses Zamatram appellant. Redierunt ergo Portugalenses, quæcunque acta sunt taxando facie demissa, pristinas actiones minime deserturi. Audiuimusque missam iam esse ab illo rege iam iuuene classem ingentem: submurmurant nostram, si accesserit, se obruturos. Nos vero pridie Kalendas Iulii censuimus in senatu nostro rerum Indicarum, à Cæsare decernendum esse, vt priusquā proximus veniens Augustus mensis euadat è manibus, nostra sex nauium classis vela faciat, neque imperabitur vt confligant, si potentior Portugalensis audebit lacessere: erit in manu Cæsaris vindicta terrestris, si mari tentauerit inobseruātiā. Est nāque Portugalia, vti optimè calles, Castellæ angulus, & quota portio Lusitaniæ, cū in Lusitania egregiæ sint vrbes, Metimna Campi, emporium insigne, Salmantica, Ciuitates Lusitanæ

vna cum Abula, Segouia, Zamora, Tauro, & fortunato Toletano regno, & multa præterea, quæ Ana & Doria fluminibus includuntur, vti sæpe in priscis meis decadibus enarraui: quondam fuit Castellæ ea regio comitatus, à benigno rege sub regio nomine in nepotem libere transmissus.

Stephan⁹ Gomez.

Decretum quoque est, vt Stephanus quidam Gomez, artis & ipse maritimæ peritus, alia via tendat, qua se inquit reperturum inter Baccalaos & Floridas, iam diu nostras terras, iter ad Cataium: instruitur ei vna tantum nauis carauela, neque enim aliud habebit in mandatis, quàm vt inquirat, an exitus ad magnum vulgo Canem, ex Oceani huius nostri variis inflexibus, & vastis ambagibus reperiatur.



FRANCISCO MARIÆ SFORTIÆ VICECOMITI, DVCI MEdiolanensi, Eiusdem Petri Martyris Septima Decas.

MEARVM DECADVM DE ORbe Nouo Primam frontem Excellētiæ tuæ patruus Ascanius Vicecancellarius, inter cardineos quondam Princeps clarißimus, & nemini secundus, assecutus est, quoniā efflagitatione repetita imperabat mihi, vt quæ in his occidentalibus oris euenirent excellentiæ suæ significarem. Huius rei testem offero insignem istum, omni virtute ac rerum experientia præditum, Marinum Caraciolum protonotarium Apostolicum, Catinensem electum, Caroli Cæsaris in præsentiarum apud te legatum, qui tunc patruo ipsi aderat à secretis, quando clausas ab orbis initio, ad nostra vsque tempora suas nobis portas oceanus aperiebat. Meas ea tēpestate suscepisse inquit heri nomine, ac responsa hero dictante composuisse. Ascanio vita functo, ac me in desidiam, nemine stimulante, prolapso, Rex Federicus, priusquam ex blanda matre in sæuam nouercam fortuna eius mutaretur, per Cardinalem Aragonium patruelem secundas æditiones habuit, mox Leo. X. deinde successor ipsius Adrianus. VI. Pontifices maximi, suis me literis ac diplomatibus membraneis excitantes, decadum quæ vagantur corpus vsurparunt, vt

Laus Ascanii.

Laus Marini Caracioli.

rem tantam ab obliuionis iniuria vendicarem, suadentes. Tu princeps Illustriss. sero nate, ac sero ad auitum regnum euecte, quæ sero acciderunt habeto. Camillo Gilino excellentiæ tuæ secretario apud Cæsarem petente, à reliquis principibus has narrationes ad excellentiã tuam, mei natalis dominam, diuerto. Inter tot rerum procellas, quibus excellentia tua concutitur, fore gratißimum leuamen curarum semel atque iterum iureiurando professus est. Ab Oceani prima largaque beneficentia, per Christophorum Colonum excitata, præeuntia cuncta vsque ad has narrationes vno fasce Iacobus Pierius, hero suo protonotario, electo Catinense, ad vos nomine Cæsaris ab hac legatione discedente, asportauit, Adriano Pontifici offerenda: quæ partim opera calchographorum erãt in vulgus emissa, partim sua manu à meis archetypis scripta. Apud excellentiam tuam sub eodem hero is est. De præteritis ab eo exigatur ratio, eam nisi reddiderit, in malis erit. Quæ noua prægnans Oceanus pepererit, breui de præteritis epilogo præeunte, nunc percurramus. Est nanque Albana sue, quæ triginta vno partu dicitur fœtus ædidisse, noster hic Oceanus fœcundior, & munifico principe munificentior. Nouas quippe nobis terras & nouas nationes & ingentes opes quoto anno patefacit. De Hispaniola immensæ vastitatis illius regina, vbi senatus astat iura cæteris præbens, deque Iamaica & Cuba, nouo nomine Fernandina, reliquis etiam insulis Elisiis, intra cancri tropicum latera porrigentibus ad æquinoctium, iam satis: vbi nemo popularium noctis & diei toto anno discrimen intelligit, vbi non dura æstas, nec hyems viget rigida, vbi toto anno frondescunt suntque onustæ floribus & vna fructibus arbores, neque desunt anno toto legumina, cucurbitæ, melones, cucumeres, & hortensia cætera, vbi armẽta gregesque hinc aduecta (nullũ est nãque in insulis natiuũ quadrupes) fœcũdiore partu, & procerioribus coalescunt,

Albana sue fœcundior Oceanus.

corporibus: deque putato continenti, qui Europam sua longitudine ab Oriente in Occidentem ter superat vniuersam, nec minus alicubi protento à Septentrione in Meridiem, licet Istmis alibi perstringatur angustis. Est ea putati cōtinētis tellus à quinquagesimo quinto gradu arctici poli disteta, vtrūque tropicum & æquatorem findens, ad antarctici poli gradus quatuor & quinquaginta. Vbi, quo tempore Orcades æstate fruūtur, illi concreto gelu tremunt, & econtrà. Hæc per significationem ad Adrianum Pontificem à me compactam, & cum cæteris allatam ad Vrbem, perque breuem mappam membraneam à me traditam oratori tuo Thomæ Maino hinc discedenti colligere poterit excellentia tua. In ea situm illorum tractuum omnium cum suis adiacentibus insulis inuenies. Nūc ad recentiora curramus. Hispaniolæ Cubæque, aliàs Fernandinæ à Fernando rege, lateribus septentrionalibus nobilium & ignobilium iacet insularum copia tanta, vt ego ipse, ad cuius manus quæcunque emergunt afferuntur, de illarum numero vix ausim credere quæ prædicantur. Ex illis sex & quadringentas ab annis viginti amplius, quibus Hispaniolæ Cubæque habitatores Hispani eas pertractarunt, percurrisse inquiunt, & quadraginta vtriusque sexus millia in seruitutem ad inexhaustam auri famem explendam, vti infra latius dicemus, abduxerunt: has vna denominatione Iucaias appellant, & incolas Iucaios. Ex his insulis pleræque suapte natura natis arboribus miris modis vtilibus constant. His folia nunquam decidunt, aut si vetustate pleraque collabantur, nudatur tamen arbor nunquam, recentia nanque prius repullulant, quam languescant vetera. Duas præ cæteris natura illis præstitit arbores celeberrimas & memoratu dignißimas, Iarumam vocant vnam, alteri non dedere nomen. Est Iaruma ficui similis, eo modo frondosa, & populi altitudinem superat, nec solida quidem more aliarum arborum, nec inanis tamen vti arundo: vti ferula potius aut

Breuis mappa membranea.

Iucaiæ insulæ.

sambucus. Fructum creat sesquispitamalem, mollicie ficus, sapidum & salubrẽ sanandis vulneribus, folia miro vigent effectu. Vno id probant exemplo viri auctorati quidam. Rixantes Hispani duo inter se inuicem digladiebantur, humerũ vna & lacertum vno ictu gladii fere disiecit hosti alter, subalari pellicula vix membrum sustinente, qua ilibus connexa. Accurrit vetula Iucaia, delapsum suo loco membrum sistit, eius arboris, nec alio medicamenti genere adhibito, folia contusa superimponit, paucos post dies se vidisse virum incolumem attestantur. Qui nodos in scirpo quærunt, irruminent ad libitum: nos hæc & maiora posse in natura fieri credere constituimus. Huius arboris corticem aiunt esse lubricum & leuigatum, quæ cũ non sit solida sed medullosa, facili scalptu euacuatur. Vnde casum audiat excellentia tua narratu dignißimum, sed artifici suo infaustum. Iucai à suis sedibus abrepti desperatis viuunt animis: dimisere spiritus inertes multi, à cibis abhorrendo, per valles inuias & deserta nemora, rupesque abstrusas latitantes: alij vitam exosam finierũt. Sed qui fortiore pectore constabant, sub spe recuperandæ libertatis viuere mallebant. Ex his plærique non ineptiores forte, si fugæ locus dabatur, partes Hispaniolæ petebant septentrionales, vnde ab eorum patria venti flabant, & prospectare arcton licebat: ibi protetis lacertis & ore aperto, halitus patrios anhelando absorbere velle videbantur, & plærique spiritu deficiente languidi præ inedia corruebant exanimes. Ex his vnus vitæ amantior, domorum construendarum in patria lignariam artem exercuerat (licet ferro careant & calibe, secures tamen, sed lapideas & ad ministerium cætera instrumenta assequuntur,) difficilem creditu prouinciam amplexus est. Iarumæ arboris trabem abscidit, medulla eius scalpta vacuauit, Maizio grano & cucurbitis aqua repletis farciuit, retinuit foris pusillum pro viatico, vtranque arboris frontẽ

Mirum inuentum cuiusdã insularis.

stipauit, trabem in mare proiectam conscendit, virum alium & fœminam affines nandi peritos admittit, remis patriam versus trabem impellunt. Egregium id inuentum infœlicibus auspiciis miser inchoauit, ad milliaria circiter ducentum, in redeuntem à Chichora nauim, de qua suo loco dicemus, inciderunt: prædam in nauim Hispani trahunt lugentē, trabem ad Hispaniolam, rei tantæ testem adduxerunt, misero penu congesto vsi sunt: vidisse trabem & eius fabricæ architectum allocutos fuisse aiunt se viri auctorati plures: de arbore iaruma & eius circunstantiis iam satis. Est arbor alia malo punico persimilis, neque maior, sed frondosior, de fructu rationē præbent nullam, de cortice qui ab arbore tollitur sua, vti ad crepidas formandas quotannis excoriatur suber, nec propterea interit, aut gignere glandes desinit, vti etiam de cynamomi arbore dicitur, pene non credenda feruntur: credo ego, qui corticē momordi ab Hispaniola latum, vbi & arbor hæc paßim nascitur, de qua fructum Ascanio Sfortiæ patruo misi, quando Colonus primus repertor horum tractuum, à prima sua nauigatione regressus multarum rerum nouarum fecit me participem. In secundi capitis primæ decadis meæ calce reperiet factā esse de his mentionem: cortex ille cynamomi saporē, gingiberis amaritudinem & gariophili suauem odorem præ se fert. Ex ignauia nostra quærimus aromata peregrina, quibus non indigeremus, si quæ apud nostras insulas vulgo nascuntur, in vsu forent: erunt aliquando proculdubio. Auri dira fames ad sui solius amorem animos Hispanorum raptauit: cætera postergata, iure merito preciosa & vtilia, pro vilibus relinquuntur. En quid de pipere nostro, à me vna misso ad Ascanium vbique ad fastidium vsque, maluarum & vrticarū apud nos more nascente, quo contuso insulares omnes & aqua conuoluto infuso pane vescuntur, eius aiunt esse species quinque: Malabario & Caucaseo hic est pipere calidior, & vbi

De alia arbore.

Ignorantia humana.

grana Malabarii & Caucasei viginti non sufficerẽt, quinque sat sunt, & suauiora reddunt iura carnium ex his quinque quã ex illis viginti. Est humani generis insania tanta, vt quæ difficilius assequitur pertinaciter ea censeat esse suauiora, vtilioraque. Cortice tantum illustris hæc arbor est, ad stadia plura sapidos emittit odores & spiritus recreantes, patulos intendit ramos, in Iucais insulis est vulgatissima. Columbarum inter eius ramos tanta nidificat multitudo, vt ex proximis Bimini magna insula, & Florida tellure habitatores, ad columbarum capturam traiicientes onustas naues earum pullis abducant: labruscis per arbores serpentibus sunt eorum nemora, vti de Hispaniolis aliquando diximus, referta. Iucaias fœminas aiunt adeo formosas fuisse, quod illarum pulchritudine allecti vicinarum terrarum incolæ multi, propriis laribus derelictis, illarum amore eam sibi patriam elegerint. Quare multas ex Iucais insulis politioribus viuere moribus inquiunt, quàm in eis, quæ longius ab Florida & Bimini cultioribus terris, distent. Lepidum est auditu, quonam pacto se gerant in vestiendo fœminæ: (viri nanque nudi agunt, nisi cum bella gerunt, aut festis diebus tripudiis & choreis intenti vestes plumeas variorũ sibi colorũ & cristas imponunt, ad elegantiã.) Fœminæ dum puellares trahunt annos, ante menstrui pollutionẽ nil gestant penitus. Pudenda post id cum reticulis bonbicinis, herbarum quibusdam foliis immissis, contegunt. Aduentante menstruo parentes ac si ad virũ esset nuptũ ducẽda, vicinos ad cõuiuiũ vocant, & cuncta laticiæ signa exercent, nec aliud quicquã cooperiunt, dum nubiles sunt. Viciatæ vero fœmoralibus vtuntur tenus genu, ex variis herbis tenacibus, aut ex gossampio confectis, quod sua sponte natura ibi nascitur, ex quibus stamina diducunt, & nent, ac suunt, & intexunt: licet nudi sint, ad cubilium tamen ornatum, & lectorum pensilium necessitatẽ lodices, quas amacas ipsi vocant, conficiunt.

Iucaiæ foeminæ formosæ.

Regulos habent, his parent adeo reuerenter, vt si cuiquã rex præcipicium ex alta rupe aut vertice quouis imperauerit, nulla ratione adducta in medium alia, præterquam, impero vt deiicias te, sine mora reguli dictum exequitur: sed quo fine includatur regia potestas, sanctum est auditu. Nulla est regi alia cura præterquam de sementibus & venatu ac piscatione. Quicquid seritur, quicquid plantatur, aut piscatur, & venatui indulgetur, quicquid per alias artes efficitur, ad regis imperium fit. Viritim exercitia diuidit ad libitum. Collectæ fruges in regiis gregantur horreis: Inde ad vsum populi toto anno pro cuiusque familia diuiduntur. Est ergo Regulus, vti rex apum, sui gregis œconomus & distributor. Aurea erat illis ætas, meum ac tuum, semina discordiarum, aberant: pilæ ludis & choreis ac venatui & piscationi, reliquo à sementibus & meßibus anni tempore, indulgebant: de foris iudicialibus, de litibus, de iurgiis aut rixis inter vicinos nulla mentio. Regis arbitrium pro lege habebatur. Idem in cæteris seruabatur insulis, in omnibus erant paruo contenti: gemmeũ quoddam genus ab ipsis magnifactum sub aquis reperiũt, per conchilia rubra, quod auribus appensum afferunt. Sed aliud preciosius ex cocleis limacibus ingentibus, quarum carnes sunt edulia lauta, in cuiusque cocleæ cerebro lapillos reperiunt diaphonos rubros, & flammantes: qui ex illis viderunt aliquos, nihilo esse pyropo rubenti, quem vulgus rubinum dicit, viliores affirmant: cocleam ipsam cohobum vocant, lapillum ex cohobo appellant cohibici. Terrestres etiam lapillos legunt lucidos, flaui nigrique coloris, ex his torques moniliaque afferunt ad lacertorum & gutturum ac etiam tibiarum ornatum, licet nudi ambulent quando Iucai fuerunt. De situ mox, de ruina ipsorum paulisper.

Diuinum Regulorũ regimen.

CAPVT SECVNDVM.

IVCAIAS à coniecturis iunctas fuisse quondam reliquis magnis insulis nostri arbitrantur, & ita fuisse à suis maioribus creditum, incolæ fatentur. Sed vi tempestatum paulatim absorpta tellure alterne secessisse, pelago interiecto, vti de Messanensi freto est autorum opinio, Siciliam ab Italia dirimente, quod vna esset quondam contigua. Videmus & passim multis in locis creuisse tellurem, crescereque quotidie ac impellere mare, vti ex vrbibus Rauena & Patauio, quæ vicinum habebant mare, nunc valde reductu: ita nunc esse mare multis in locis vbi terra solebat. A simili ergo præsenti licebit facere de absentibus coniecturas. Varius fuisse quondam prouentibus fortunatissimas harum insularum plerasque ferunt, dico fuisse, quòd in præsentiarum sint desertæ, vt suo loco commemorabitur. Ambitu aiunt esse milliarium singulas Iucaias à duodecimo ad quadragesimum, neque maiorem vllam, vti legitur de nostri maris Strophadibus & Symplegadibus, exulibus Romanis aßignatis, Giara, Seripho & multis præterea exiguis insulis. Sed has fatentur habitatoribus quondam fuisse refertas, nunc vero desertas, quòd ab earum densa congerie perductos fuisse miseros insulares, ad Hispaniolæ Ferdinandinæque aurifodinarum triste ministerium, inquiunt, deficientibus ipsarum incolis, tum variis morbis & inedia, tum præ nimio labore, ad duodecies centena millia consumptis. Piget hæc referre, sed oportet esse veridicum: sui tamen exitii vindictam aliquando sumpsere Iucai, raptoribus interfectis, vti late in primis decadibus memoraui. Cupiditate igitur habendi Iucaios, more venato-

rum qui per nemora montana perque palustria loca feras insectatur, ita quidam Hispani duobus nauigijs septem virorũ impensa constructis, ex oppido Portus platæ dicto, in Hispaniolæ sito latere, qua septentrionem spectat, ad Iucaias, homo cupii causa, anno ab hinc tertio transfretarunt, licet ea nunc ego scribam, per Camillum Gillinum efflagitatus, vt è scriniis archetyporum aliqua nondum emissa, de his inuentis ad excellentiam tuam dirigenda perquirerem. Ierunt ergo illi, vestigarunt vniuersas has insulas, præda non reperta, quòd eorum conuicini iandiu ex amussim exploratas depopulati fuerant. Ne consociis irrisui forent si vacui ad Hispaniolam reuerterentur, direxere proras ad Arctoon boetem. Aiunt plærique mentitos, qui sua sponte dixerint elegisse illud iter, sed inquiunt ab exorta & biduo perseuerata repentina tempestate fuisse raptatos, ad eius terræ, quam describemus, prospectum, viso à longe celso promontorio. Quum se ad littus nostri applicarent, miraculo stupidi mõstrum aliquod ad sè venire putarunt incolæ, quòd vsu nauium ipsi careãt: visendi studio primum ad littus certatim concurrunt, mox à descendentibus cum scaphis aura velocius aufugerunt omnes, littusque reliquere desertum: sequuntur abeuntes nostri. Præeunt agmen agiliores quidam iuuenes, citatiore cursu properant, duos ignauius currentes virum & fœminã prehendunt, ad naues perductos vestibus ornant, soluunt. Moti ea liberalitate littora complent iterum incolæ. Rex eorum intellecta nostrorum beneficentia, visisque nouis & preciosis vestibus nunquã aliâs inspectis, quòd leoninis ipsi aut ferarum aliarum tantum sese pellibus maiori ex parte cooperiant, è familiaribus quinquaginta misit ad nostros commeatibus patriis onustos. In terram vero egressos amicè ac reuerenter suscepit, deditque illis vicina videndi

cupidis comites & duces. Quacunque proficiscebantur, admirabundi regnicolæ cum muneribus ad illos tanquam ad adoranda numina prodibant, cum barbatos præcipue ac laneis & sericeis vestibus indutos cernerent. Sed quid? Hospitii fidem violarunt Hispani tandem. Astu nanque artibusque variis, post cuncta diligenter vestigata, operam dederunt vt vna dierum ad naues visendi causa multi concurrerent, implentur naues inspectantibus: vbi refertas viris ac fœminis habuere, anchoris euulsis, velis protētis, lugentes abduxerunt in seruitutem. Ita regiones eas vniuersas ex amicis reliquerunt inimicas, & ex pacatis perturbatas, filiis à parentibus ablatis, ab vxoribus maritis. Sed é duabus nauibus vna tātum euasit, altera nusquam vlterius visa est: submersam fuisse cum sontibus & insontibus, quòd esset vetusta, coniectantur. Id spolium fuit Hispaniolæ senatui molestissimum: impunitos tamen reliquerūnt. Cum de præda remittenda consultassent, nil executioni mandatum est, rei difficultate animaduersa, deperdita præcipue vnâ. Particularia quædam ex his à sapiente viro iurisperito sacerdote, qui dicitur Baccalarius Aluarus à Castro, ea didici. Is ob litteras & morum honestatem decanus est effectus antistiteæ conceptionis in Hispaniola, & idem Vicarius ac vna hereseos inquisitor, cui præstāda est super his fides liberior. Vti Plinius in descriptione Taprobanæ Claudii principatu ait, audita Romanorum fama oratori ab eo rege misso nomine Rhachia cum tribus comitibus fidem esse adhibendam, ita & ego in his, quæ me versant in ambiguo, auctoratis viris præsto fidem. Ait hic idem post varios conquestus de illis raptoribus, fœminas inde aduectas leonum, homines vero quarumcunque ferarum pellibus vestites. Genus id hominum candidum esse, communiumque hominum superare ait magnitudinem. Solutos dicit fuisse repertos per sterquilinia, catellorum, asinorum cadauera

uera putrida inter fossas antemurales perquirentes ad esum, interiisse tandem maiori ex parte animi angore confectos: qui superfuerunt inter Hispaniolæ ciues distributi sunt, vt illis ad habitum, siue domi, vel in aurifodinis, aut agricultura vtantur. Ad eorum patriam, vnde sumus digreßi, reuertamur: vel Bacchalaos anno abhinc vigesimo sexto ex Anglia per Cabotum repertos, aut Bacchalais, de quibus late aliâs, contiguas, arbitror esse terras illas. De illarum cælesti situ ritibusque ac prouentibus & moribus nunc dicendum est. Sub altitudine graduum eorundem & sub iisdem iacere parallelis affirmant, sub quibus Hispana iacet Vandalia, vulgo Andaluzia. Regiones perlustrarunt paucorum dierum intercapedine, plærasque simul longe protento in terram adhærentes, vbi anchoras iecere, Chicoram & Duhâre primarias. Chicoranos aiunt semifuscos esse, vti nostri sunt agricolæ sole adusti æstiuo. Capillos nigros cingulo tenus viri nutriunt, fœminæ longiores in giros: vterque sexus nectit comam. Sunt imberbes: sit ne id à natura, vel ab arte, medicamenti aliquo genere adhibitò, vel pilos euellant more Tenustitanæ gentis, est in ambiguo: vtcunque sit ostendere se leuigatos delectantur. Testem alium cito non minoris inter laicos autoritatis, quàm decanus ille sit inter initiatos: Is Lucas Vazquez Aiglionus licēciatus dicitur, ciuis Toletanus, & ex Hispaniolæ senatoribus vnus, eius impensæ duorum nauigiorum particeps: ad nostrum rerum Indicarum senatum ab Hispaniola missus procurator, venit & diu efflagitauit dari sibi veniam repetēdi terras illas, condendæ in eis coloniæ causa. Ex Chicoranis aduectis vnum adduxit secum, qui ei famuletur, baptizatum appellat Franciscum, ab suo natali Chicora cognomen induit. Dum negociis intendens moraretur, habui aliquando conuiuas & Aiglionum herum & Franciscum Chicoranum famulantem. Non est hebes ingenio is Chicoranus, nec inepte

Baccalai per Cabotum reperti.

Chicotani quales sint.

Franciscus Chicoranus.

ſapit, idiomaque ſat commode didicit Hiſpanum. Quæ igitur Aiglionus ipſe licenciatus ex ſociorum relatu literis mandata mihi oſtendit, & quæ Chicoranus viua voce faſſus eſt miranda quidem, ea recenſebo. Demat addatque fidei rerum, quas recitabo, ex ingenio quiſque ſuo. Eſt natiua generi humano peſtis inuidia, quæ ſcalpere nunquam deſinit, & vepres in alienis agris, licet purgatiſsimi ſint, quæritare impellit. In his præcipue viget ea peſtis, qui ſunt hebetes ingenio, aut qui pollentes, vitam ſine literarum cultu ignauam tanquam inutilia pondera terræ tranſegerunt. Chicora ergo relicta, latus aliud ſinus eius adierũt & regionẽ captarunt dictã Duharhe: hos incolas eſſe candidos ait Aiglionus, affirmãte Frãciſco Chicorano ſuffuſco, ſed flauis demiſsiſque ad talum vſque crinibus. Regem habent hi giganteæ proceritatis, huic nomen eſt Datha, neque illo multo breuiorem eſſe vxorem Reginam dicunt. Quinque geniti ab vtroque nati: equorum loco proceris iuuenibus rex vtitur, qui curſim ad optata illum diuerticula ferant humeris, ac reportent. Hic hæſitare me recitatores varii coegerunt, Decanus præcipue & Aiglionus: cum namque alter dixiſſet de iuuenibus, equos eſſe contendit alter: neminem ſe allocutum qui equos viderit ait Decanus, à plæriſque id audiuiſſe ait Aiglionus, neque præſens Franciſcus Chicoranus ab ea nos controuerſia liberauit. Si, quid ego arbitrer, percunctatus fuero, gentem eam adeo Barbaram & incultam equos habere minime crediderim. Regio eſt alia huic propinqua nomine Xapida. Hanc aiunt nutrire vniones, genuſque aliud gemmeum, quod ipſi magnifaciũt terreſtre, vnioni ſimile. In omnibus, quas percurrerunt, terris ceruorũ ſunt armenta, vti apud nos boũ: domi pariũt, domique nutriũt, ſoluti per nemora paſtũ quærẽdo luce durãte vagantur, ad veſperã pullos domi retẽtos reuiſunt, & intra cortes claudi ſe, ac natis depaſtis mulceri patiũtur. Nullum aliud lac

Inuidiæ natura.

Datha regulus giganteus.

Ceruos habent loco boum.

aut ex alio lacte caseum assequuntur. Altilia multimoda nutriunt, gallinas, anates, anseres, & huiuscemodi. Panis eorum est maiicius vti apud insulares: iuccam radicē, ex qua fit cazabi, qui est cibus nobilium, non habent. Maiicium granum nostro est panico Insubriæ persimile, sed pisum legumen æquat magnitudine: frumenti & genus aliud serūt, nomine Xathi, milium arbitrantur esse: neque pro certo recitant, quia præcipue pauci è Castellanis, quid sit milium intelligunt, cū nusquā in Castella seratur. Batatarum assequuntur aliqua genera, sed exigua. Sunt Batatæ radices comestibiles, vti apud nos rafani, cariotæ, pastinacæ, napi & rapæ: de his & iucca, & cæteris edulis plus satis in decadibus primis. Regiones alias plures nominant, quas sub eodem rege gubernari putant. Hitha, Xamunambe, Tihe. In hac sacerdotale ferunt indumentum à populo discretum, & pro sacerdotibus habentur, & venerātur ab aliis vicinis regionibus. Huius incolæ comā scindunt, duos tantum à temporibus pendentes cirros relinquunt, quos sub mento alligant. Quando, vti est pestiferi moris inter humanos, ad bellū in vicinos proficiscuntur, hos vtraque pars ad castra accersit, non vt certent ipsi, sed aßint pugnæ. Quando iam ad manus est proxime deueniendum, sedentes omnes aut solo stratos circumeunt, & quarundam herbarum dentibus contusarū succo irrorant: (vt ad rē diuinā tendentes nostri sacerdotes madido ramo aspergunt) qua cerimonia peracta, repentino saltu irruunt in hostes. Illi vero ad castrorum custodiā relinquūtur. Pugna dissoluta, vulneratos tam hostes, quàm amicos sine discrimine curant, & humare peremptorum cadauera studēt. Nō vescūtur humanis carnib⁹ hi: captos in prælio pars victrix pro mācipiis habet. Prouīciæ illi⁹ magnæ regiūculas percurrerūt Hispani multas, è quibus has nominauerūt: Arābe, Guacaia, Quohathe, Tāzacca, Pahor, sunt hi suffusci habitatores. Nulla illarum literas assequitur, sed hæreditariam à

Ex lacte ceruorum caseus.

Granum maiicium quale.

Incolæ Tihæ pro sacerdotibus habiti.

maioribus relictam antiquitatum memoriam, quam rithmis celebrant & cantibus. Choreas & tripudia exercent, ludo pilæ delectantur, sunt in eo dexterrimi. Nent suuntque fœminæ: licet maiori ex parte ferinis pellibus induantur, gosampiũ tamen, quod noster Insuber Bonbasum appellat, assequuntur, & ex quarundam herbarum tenacium philiris stamina diducunt, vt apud nos est linum aut canabe. Est alia regio dicta Inzignanin. Ad hanc aiũt incolæ quondam appulsas ex maiorum relatu pelago aduectas gentes caudatas, ad spitamæ lõgitudinem, & lacerti proceritatem, cauda non mobili, vt in quadrupedibus, sed solida in turbinem, vt in piscibus & Crocodilis videmus, & in osseam duriciem protenta. Vnde quando sedere cupiebant, sedilibus perforatis vtebantur, aut illis deficientibus, effossa tellure ad spitamalem & paulo amplius scrobem, cauda immissa opus erat quiescere, digitos habuisse gentem illam latos non minus ac longos, pellem asperam pene squameam fabulantur. Solo crudorum piscium esu vesci solitam, quibus deficientibus aiunt ad vnum interiisse, neque de se prolem reliquisse vllam. Hæc & huiuscemodi multa inania relicta sibi fuisse ab auis & parentibus prædicant. Ad eorum cerimonias & ritus veniamus.

Gentes caudatæ.

CAPVT TERTIVM.

TEMPLIS Carent, Regum domos pro templis venerantur: huius rei exemplum afferunt vnum: diximus in prouincia Duhare giganteũ esse regẽ, nomine Datha. In huius atrio lapideo quum cæteræ domus sint ex sublicibus erectæ trabibus, & culmis aut herbis coopertæ, pueri triennis magnitudine, maris & fœminæ duo reperere simulachra, hæc vno vocabulo appellant Inamahari. In re-

gia est imaginibus receptus. Bis quoto anno conspiciuntur, sementis tempore semel, vt bene fausteque sata inchoentur, & succedant, oratur. (De meßis frugibus aliâs) in gratiarum actione si rite ceßit, si aliter, vt in melius vertantur, & ira deposita, placabilius anno altero se habeant dij. Cum solenni pompa & frequenti concursu populi exportantur simulachra: sed quo pacto non erit ineptum audire. Nocte diem festum adorationis praeeunte, Rex ipse, strato in imaginum cubiculo lecto, coram imaginibus dormit. Elucescente die, accurrit populus. Rex ipse in suis vlnis adhæsas pectori affert imagines: Ex alto populo illas ostentat. Eas vna & regem cum reuerẽti tremore genu flexus aut prostratus vocibus elatis populus salutat. Mox descendens rex, ad pectus duorũ senescentiũ probatæ autoritatis virorum, cum linteis more suo pulchre laboratis ex gosampio, alligat. Vestitu plumeo diuersorum colorum ornatas efferunt, easque cum hymnis & canticis, puellarum ve choreis, & tripudiis iuuenum, ad campum apertum comitantur. Nec fas cuiquam eo tempore manere domi, aut alibi esse. Hæreseos labe taxaretur non modo qui abesset, verumetiam qui tepide aut incompositè ritum exerceret. Diẽ totum viri comitantur, noctem vniuersam fœminæ apud imagines, cuncta lætitiæ signa & adorationis argumenta præstãtes, insomnem agunt. Postero die demum eodem ordine, quo fuerunt educta, ad regiam deportantur. Hoc de simulachris, à quibus agrorum fœcunditatem, incolumitatem corporum, & pacem, vel in pugna victoriam se putant assecuturos, si reuerenter illis ac rite sacrificauerint. Litant hi, vti ex farre vetustas libis compactis: de agrorum prouentibus putant exaudiri preces si præcipuè lachrymis admisceantur. Dies est alius singulis annis festus, quo ligneam semirudem statuam in campo, super celsa trabe terræ fixam, & eodem comitatu quo superiores locant, circumeunt tignis minoribus infixis

Quibus festiuitatibus & ceremonijs simulachra sua efferant.

priorem trabem. Ad tigna suspendit populus,pro suis quisque facultatibus multiplicia numini dona,quæ ad noctem inter se primarii diuidunt,vti sacerdotes nostri oblatas à fœminis placentas,vel alia quæque munera. Qui præstantioribus numen ornat oblationibus, is honoratior habetur. Astant recipiendis testes,loco tabellionum,qui sacris peractis recitent quæ quisque donauerit.Ea impulsi ambitione, superare vicinum certatim student vicini. Ab ortu solis ad vesperā, multisono plausu statuam circunsiliunt, primo noctis crepusculo demissam è trabe,si maris accolæ sint,in mare præcipitem trudunt,si fluuiorum,in flumina demergunt,nec vltra conspicitur:quoto anno reficiunt nouam. Tertius est illis dies festus, quo detumulatis cuiusdam veteris cadaueris oßibus,papilionem ligneum, castrensi more,in agro erigunt.Sed aperto vertice quo cœlum inspici queat,superstrato in papilionis medio spacio tabulato,sistunt exhumata ossa.Solæ fœminæ lugentes circumstant,& pro suis quæque opibus quadrantia dona offerunt.Die altero ad sepulchrum deportantur & pro sacro habentur:oßibus reconditis, vel ad recondendum paratis,è suggestu sacerdos Antistes oratorio munere functus, in media populi corona concionatur, de mortui laudibus pleraque, de immortalitate mox animæ plura, demum quò tendant. Ad gelidas arctos & concretas niuibus regiones primum aiunt illas proficisci, expiarique apud regem terrarum dominum, nomine Mateczunguæ: dein ad australes plagas diuertere,ad alterius magni principis potestatem,nomine Quexuga,qui mitis ac munificus,claudus tamen, mille illis blandimenta porrigit:populo persuadent animas illic æternis frui delitiis inter puellarum choreas, & cantus, & inter filiorum ac amatæ quondam cuiusque rei amplexus,reiuuenescereque senescentes ibi blatterant, ita vt æqua sit omnibus ætas plena gaudiis & letitia. Hæc à maioribus ad iuniores pro sacratißima

Quo animas proficisci opinēturpost hanc vitā.

veraque historia, viua voce transmittuntur: abiiceretur ab hominum commercio, qui aliter sentire videretur. Putant etiam viuere homines super rota cœlorum, & de antipodibus nil dubitãt. Credunt in mare esse numina, & vti Græcia mẽdax de Nereidibus & diis marinis, Glauco, Phorco, cæterisque, audacter puerascunt. His ita per concionem absolutis, populum discedentem, applicato ad nares quarundam herbarum fumo, halitu & afflatu immurmurans expiare videtur, & ab erroribus absoluere. Hinc lætus domum it populus, non ad animæ leuamen solum, verum & ad corporalem salutem attinere præstigiatoris illius commenta credens. Fallunt & alia deceptione vulgus ignauum: principe illorum primario moriente, amotis ab exhalante animam arbitris omnibus, astãt ipsi, & suis artibus latenter confingunt, ab euomente spiritũ scintillas fauillasque prodire, veluti ab igne ardenti excussis titionibus, vel a sulfureis cartis iactatis in altum ioci causa. Hæ saltantes capreas, quas populus cadentes esse stellas arbitratur, per aerem discurrentes parumper æmulantur, & mox resoluuntur: quo namque momento efflat ille animam, ad triũ lacertorum altitudinem scintillosa illa flamma cum horrendo sclopo erigitur, & ibidem resoluitur: eam flammam pro demortui anima salutant, & extremum illi dicunt vale, plãctibusque ac lachrymis & vlulatibus illam comitantur, ita persuasi, ad cœlos elapsam putant. Lugentes demũ & flentes ad sepulchra deportant cadauer. Viduis nõ licet vltra viro misceri, si naturali morte perierit maritus, si vero sub iudicum sententia effuderit animam, datur nubendi venia. Castitatem amat in fœminis gens hæc, impudicas oderunt, & à castarũ cõmercio propellũt. Principib⁹ duas habere vxores permissum, populari vnam solam. Mechanicis inuigilant artibus viri, lignariæ præcipue ac ferinarum pellium condimentis: fœminis colos, fusos, & acus exercere datum est

Antipodes esse credunt.

Prestigiæ sacerdotum.

Annum in duodecim diuidunt lunas: exequendæ iustitiæ prætores habent in his terris. Seuero iudico scelestos & facinorosos puniunt, latrones præcipue. Sunt eorum reges gigantei, de quo mentio facta est: vectigales sunt illæ regiones omnes. Tributa pendent è suis quisque prouentibus, quod mortifera minime implicentur pecunia, permutatione rerum comertiantur. Ludis & hi oblectantur pilarum præsertim, trocis etiam super mensis agitatis, & cum sagittis ad scopũ. Nocturna sunt eorum lumina tedæ, ac oleum ex variis fructibus, licet oleas ferant. Conuiuiis alternis delectantur. Diu viuunt. Robusta est in eis senectus. Febres facili cura cum herbarum succis pellunt, vulneribusque facile medentur, modo sint curabiles. Salubria herbarum habent & noscunt multa genera: si acri bile grauatum se quisquã senserit, epoto cuiusdam vulgaris herbæ succo, guahi dictæ, vel ipsamet herba manducata, bilem euomit & breui conualet. Nec vllo medicamenti alio genere vtuntur aut medicos volunt alios præter vetulas exercitatas, aut sacerdotes arcanarum virtutum herbarum peritos. Carent & nostris lasciuiis. Arabicorum odorum aut suffumigiorum & aromatum peregrinorum expertes, natiuis patriæ contenti prouentibus alacrius & incolumius ac viridiore senecta viuunt. Per edulia varia vel diuersas dapes gulæ parum indulgent, pauca satisfaciunt. Sua illi numina, qualiacumque elegerint, feruentius adorãt, Quo gestu suos principes populus salutet, quo ve princeps salutatus excipiat, proceres præsertim, ridiculum est auditũ. Salutator in obseruantiæ signum manus eleuat ambas ad nares vsque, vocali mox quodam strepenti mugitu fere taurino, ad frontem & sinciput manus protendit. Princeps vero nullo signo popularem excipit, primarij salutationi, ad læuum humerũ demisso capite respondet tacitus. Sed vix credibile quoddam inuentum audiat excellentia tua. Giganteæ magnitudi-

Durabilis sunt vitæ. Remedia presentia neanorũt contra morbos.

Luxui nõ sunt ob noxij.

nis primarium illarum regionum tyrannum esse memoraui: cur solus ille ac vna vxor eius corporum eam proceritatem assequantur, non è populo quisquam, interrogati licenciatus Aiglionus, de quo supra, vir grauis & auctoratus, ex auditu à comparticipibus impensæ naualis, & Franciscus eius familiaris ex vicinorum relatu inquit, non esse illis à natura vel ab ortu id munus hæreditarium, vt præcellant cæteris ea prærogatiua: sed ab arte datum violenta, hoc pacto. Dum cunabulis & nutricum mammis infantes subsunt, accersuntur eius artis magistri, medicamētis herbarum quarundam emollientium ossa tenella, per aliquot hi dies infantuli membra inungunt, mox ossula in tepidæ ceræ molliciem versa, semel atque iterum distendunt adeo, vt exanimē ferè misellum relinquant, dein nutricem eduliis quibusdam potentē vim habentibus depascunt. Nutrix demum mammas illi, sub calidis tegminibus cooperto porrigit, & lacte cibis substantialibus coacto infantem recreat: post interpolatos dies aliquot ad triste torquendorum ossium redeunt ministerium. Hoc Aiglionus & familiaris eius Frācīscus Chicoranus. Decanus vero conceptionis, de quo mentio facta est, aliter ab raptatis cum naui euasa se audiuisse, quam Aigliono socii dixerint, de medicamentis, & arte corpus augente mihi retulit: ait namque non per ossium torturam id fieri, sed per esum farcimenti cuiusdam maxime nutriētis, ex variis herbis ad id aptis cōtusi, cum adolescere incipiunt præsertim, quo tempore natura tendit ad incrementū, & in carnem & ossa cibi conuertuntur. Mirandum quippe, his ponderatis tamen, quæ de virtutibus herbarum narrantur, si rite latens earum vis intelligeretur, putarem ego posse cōtingere. Quod autem solis regibus liceat, est in promptu ratio. Læsæ Maiestatis reus haberetur, qui dapes illas auderet degustare, vel ab artificibus regulam condimenti poscere, quia videretur is velle se regibus æquare, quā-

Cur Soli rex & regina cæteros altitudine præcellāt

doquidem apud eos est indecens & inauctoratum, quod rex nil præ se ferat à communi statura, quem oporteat ex alto adeuntes despicere supereminendo. Hæc dederunt, hæc damus. Excellentiæ tuæ liberum sit arbitrium credendo. De ritibus & moribus iam satis. Ad naturæ agrestis dona veniamus: de pane carnibusque dictum est, de arboribus pauca.

CAPVT QVARTVM.

De arboribus Chicoræ.



ILLICEAS, pineas, cupreßinasque siluas & auellanas, agmydalas & serpentes per arborum ramos labruscas nigras albasque sine vsu vini ab eis extorti (ex variis fructibus potum conficiunt,) suapte natura creari repererunt. Fert quoque ficus & variarum specierum oleas terra illa. Mansuescunt insertæ, vti apud nos, quia naturæ tantum ruditatem saperent sine cultu: Hortos colunt & oleribus multimodis abundant, cultisque viridariis delectantur. Arbores & ipsi nutriunt in hortis. Peculiaris est arbor dicta corito, fructum gignit sapidum paruo meloni par magnitudine: est & alia dicta guacomine, fructum fert malo cotono grandiorem, grati aiunt esse odoris & egregii, ac salubrem. Multas præterea plantãt & curant alias, multaque rerum alia genera: de quibus, ne cuncta vno halitu referendo saturitatem pariamus, aliâs dicemus. Licenciatũ ipsum Aiglionum senatorem sui voti compotem effecimus. Æ nobis & à Cæsarea Maiestate, nostro suasu, iam dimissus est. In Hispaniola nouã est constructurus classem, qua traiiciat in eas oras, coloniam deducturus. Nec sectatores deerunt: est quippe natio hæc omnis Hispana rerum nouarum adeo cupida vt quacũque ad emergẽs aliquid solo nutu aut sibilo vocetur, propere se apparet ad volatum, & certa deserit sub spe gradus

Corito arbor.

De natura Hispanorum.

altioris, vt incerta sequatur: id ex præteritis colligere fas est. Quo stomacho ab incolis tantopere labefactatis ex natorum & propinquorum rapina recipientur, tempus erit iudex. Similis extra ordinem occurrit casus non omittendus, de Iucais insularibus, ab Hispanis Cubæ ac Hispaniolæ colonis perquisitis, ad aurifodinarum triste ipsis ministerium aduectis. Cum Hispani simplices eorum opiniones de animabus, post expiatas labes in gelidis montibus arctois ad meridiē transituris, intellexissent, quo sua sponte natali relicto solo, ad Hispaniolam & Cubam illis insulis meridionales se perduci paterentur, suadere miseris nitebantur, & persuadebant, se ab locis venisse illis, in quibus vita functos parentes ac natos, propinquorum genus omne, amicos etiam visuri essent: & vna inter amatarum rerum amplexus blandimentorum omni genere fruituri essent. His technis imbuti prius à suis præstigiatoribus, vti supra memoraui, dein ab Hispanis, psallentes, relicta patria, spem inanem sequebantur. Quando vero se deceptos fuisse conspexerunt, nec parentibus aut optatorum cuiquā occurrerent, sed grauia imperia & insuetos ac sæuos labores subire cogerentur, in desperationem versi, aut seipsos necabāt, aut electa inedia languidos emittebāt spiritus, nulla ratione aut vi persuasi, vt cibum sumere vellent, vti aliàs dixi. Ita miseris Iucais est finis impositus: quorum est iam exiguus apud Hispanos, vt ipsorummet incolarū, numerus. Sed arbitror ad miserorū innocentum querelas & gemitus, numen aliquod excitatum vindictam tantæ stragis, & perturbatæ quietis tot nationum, astruxisse, quod sub prætextu augendæ religionis moueri se fateantur, nulláque habita ratione, ad ambitiosam auaritiam & vim se conuertant. Mortui quippe sunt vel ab ipsismet oppreßis trucidati, aut percußi venenatis arundinibus, vel pelago mersi, aut in varios delapsi morbos afflicti, quicunque primi fuerunt

Seducti a nostris miseri Insulares mortem malunt quā vitā

aggressores, alia via tendentes quam sibi fuerit à regibus imperatum: legum namque illis præbitarum sanctiones, (me teste, qui eas quotidie cum reliquis collegis versaui) sunt ad iustum & æquum adeo formatæ, vt nil sanctius esse queat. Constitutum est quippe ab annis pluribus, vt benignè, vt piè, vt pacatò cum nouis illis nationibus sub ætatis splendore natis agatur, vtque reguli cum suis ditionariis e regia beneficentia cuique aßignati, more vectigaliorum subditorum, & ditionariorum, non seruili modo tractentur, vt carnium & panis debita portione præbita ad laborem sustinendum bene depascantur, vt necessaria cuncta & diurnæ foßionis præmium indumentorum aut destinatorum ornatuum veluti mercenariis præbeantur, ne ad nocturnam quietem cubicula desint, ne ante solis exortum excitentur, & ante vesperam reducantur, vt quibusdam anni temporibus, ab aurifodinis liberi, ad Iuccæ radicis & maiicii frumenti sationes intendant, vt festis diebus ab omni opere cessent, templis aßistant, peractis mox sacris, assuetis eos incumbere ludis & choreis permittant, & hinc cætera prudenti humanaque rationibus per iureconsultos, perque religiosos viros compacta. Sed quid? ad orbes tam peregrinos, tam exteros, tamque longinquos, per decadentem Oceanum, qui cœlorum rotatos cursus imitatur, delapsi, à prætoribus distantes, auri cæca raptati cupiditate, qui mitiores agnis hinc abeunt, applicati rapaces in lupos commutantur, regiorum omnium mandatorum immemores. Et redarguuntur & mulctantur & plectuntur multi: quanto diligentius hydræ capita scinduntur, eò plura pullulare videmus. Prouerbio illi, quicquid multis peccatur inultum restat, inhæreo. Nouas nunc iterum constitutiones ordimur & nouos mittere rectores cogitamus: experiemur quid sors velit in relictis. An vt liberi esse debeant, nec ab inuitis labor vllus, aut sine precio exigatur, hæsitamus. Inter varias namque virorum gra-

Legum erga nouos insulares vsurpandarũ piæ sanctiones.

Variæ opiniones de modo tractandi insulares.

nium opiniones trahimur in ambiguum. Religiosorum præcipue professionis Dominicæ sententiis, qui suis nos chirographis monent in aduersum: Multo satius fore, illisque securius, ac ad vtranque corporis & animarum salutem vtilius, si ad perpetuum hæreditarium obsequium designentur arguentes, quam si temporaneis addicantur ministeriis, quoniam hi quibus hactenus fuere commendati ad regis arbitrium & alterius absentis nomine vti mercenarii rem tractabant. Quin, ne à se tollantur post aliquot annos, vti fieri solet, vereantur, nullam, contra sanctarum legum capita de miserorum cōmodis curam gerentes, in aurifodinis ad necem vsque sexum vtrumque, nec ætatis respectu habito, dum auri sitim suam heriique explerent, macerabant. His neque ad victum necessaria præbebant, neque illorum saluti, si præ insueto ac nimio labore cadere contingeret, consulebant. E conuerso aiunt eum qui suo hæredi designatos Indos transmittendos intelligit, tanquā in re propria, nō modo vt incolumes seruentur operam dabit, sed vt augeatur eorum numerus per vxorum & natorum recepta blandimenta, studebit. De libertate vero illis eroganda pluribus exemplis in medium adductis, inficiantur. Quod nusquam potuisse Christianis barbaros illos interniciem machinari, quin sua fuerint executi cogitata, & quum sæpe tentatum sit, an libertas esset profutura, perniciem illis peperisse compertum fuit. Vagantur enim desides & ignaui, ad veteresque suos ritus & fœda facinora reuertuntur. Tertia particularis horrida causa est, qua probatur, in putato continenti præcipue, non esse dignos libertate. In quadam parte magnæ putati continentis prouinciæ regione dicta Chiribichi, Dominicæ professionis fratres templum ab hinc anno forte duodecimo erexerant. Per mille laborum & esuriei ærumnas regulorum & primariorum filios nutriebant, ipsosque grandiores ætate ad religionem hortando, monendo, docendo, blanditiis admixtis per-

Quare nō donentur libertate.

ducere nitebātur. E pueris plærosque ita erudierant, vt initiatis sacra tractantibus ministrarent altaribus, non inculte aut inepte, Hispanumque idioma perbelle callerent: sed audi facinus horrendum. Puerilibus annis exactis & vix primæ lanuginis ætate captata, duo primarii ex eruditis quos à ferina maiorum suorum natura ad Christi dogmata & ad humanos iam traxisse ritus arbitrabantur, electo profugio, more luporum vetere pelle resumpta, priscos natiuosque sibi labes rebiberunt, & vicinorum grandi manu armatorum comparata, ipsis ducum opera vtentibus, facto impetu cœnobium in quo paterna fuerant educati charitate, petierunt. Cœnobio expugnato ac funditus euerso, educatores & famulantes ad vnum trucidarunt. Ambagibus posthabitis, vt post acres meas accusationes excusatione aliqua dignos esse Hispanos cognoscas, si libertatem illis abnegent esse præstandam, ex chirographis in nostro Indico senatu porrectis à quibusdam fratribus euasis, (quòd eo tempore abessent victum cæteris quæritando) vnum perlegat excellentia tua. Cum essemus coacti apud nostri senatus principem Garsiam Loaizam in Italia eruditum, Osomensem antistitem, & Cæsaris, vt vulgò loquar, confessorem, ordinis prædicatorum, ob sua merita Romæ magistrum generalem electum, cui excellentia tua neque est ignota nec male grata, oblatum nobis fuerat: idiomate suomet Hispano id habeto, (Latino quippe vel Italo cuique ob linguarum propinquitatem facile intellectu est): ne de sensu rei & mittentis intentu in traductu quicquam mutatum esse quis me arguat, id efficere fuit consilium. Fratrem ipsum, qui frater Thomas Ortizius appellatur, coram senatu viua voce loquentem & aliorum nomine scribentem audiamus.

Facinus nefandum ab Indis commissum

Estas son las propiedades de los Indios por donde no merescen libertades.

Comen carne humana en la tierra firme: son sodometicos mas que generacion alguna: ninguna iusticia ay entre ellos: andan desnudos, no tienen amor ni virguença: son estolidos, alocados: no guardan verdad si no es a su prouecho: son inconstantes: no saben que cosa sea conseio: son ingratissimos, y amigos de nouedades. Se precian de embeudarse que tienen vinos de diuersas yerbas, y fructos, y granos come zerueza y sidras, y con tomar fumos tambien de otras yerbas que emborrachen, y con comerlas. Son bestiales, y precian se de ser abominables en vicios: ninguna obediencia ni cortesia tienen moços à vieios, ni hiios à padres. No son capazes de doctrina ni castigo: son traydores, crueles y vẽgatiuos, que nũca perdonan, inimicissimos de religion. Son haraganes, ladrones, son de iuyzios muy terrestres y baxos: no gardan fee ni orden. No se guardan lealtad maridos à mugeres, ni mugeres à maridos. Son echizeros y augureros y couardes como liebres. Son suzios: comen piojos y arannas y gusanos crudos, doquiera que los hallan: no tienen arte ni manna de hombres. Quando an aprendida las cosas de la fee, dizen, que essas cosas son para Castilla, que para ellos no valen nada, y que no quieren mudar costumbres: son sin barbas, y si algunos les nascen pelan las y arrincanlas. Con los enfermos no tienen piedad ninguna: esta graue el enfermo, a vn que sea su pariente ô vezino le desamparan, o lleuan alos montes a morir, y dexan cabe el vn poco de pan y agua, y vanse: quanto mas crescen se hazen peores: hasta diez o doze annos paresce que an de salir cõ alguna criãça y virtud, passando adelãte se tornan como bestias brutas. En fin digo que nunca crio Dios tan cozida gẽte en vicios y bestialidades sin mistura alguna de bõdad ô policia.

Agora iuzguen las gẽtes para que pueda ser cepa de tan malas mãnas y artes: los que los auemos tractado esto auemos experimentado dellos. Mayormente el padre fray Pedro de Cordoua, de cuya mano yo tengo escripto todo esto, y lo plaucamos en vno con otras cosas que me callo, hallamos à oios vistas: son insensatos como asnos, y no tienen en nada matarse.

HAEC & alia singulis diebus sese offerunt in controuersiam, quæ licet varie differantur, in opprimentium tamen capita pene cruente, vti supra diximus, deciderũt. Neque paucos inter ipsosmet Hispanos exortæ simultates imperandi causa sustulerunt, de quibus in prioribus meis decadibus multis, vbi de Pinzonibus, duorum oppidorum Palos & Moguer in Oceano littore habitatoribus, in Andaluzia, per putati continẽtis vasta littora & miraculosi fluminis Maragnoni ripas discurrentibus, & ab incolis Canibalibus venenatis sagittis transuerberatis & peremptis, mox in varia fercula conditis: sunt enim antropophagi Canibales, alio nomine Caribes. de Solisio, cui à tergo putati continentis idem cõtigit, à cuius horrido casu nomen est marino sinui datum, in quo Maglianus diu cum sua classe ex itinere moratus est. Posthæc de Alphonso Fogieda & Ioanne Cossa, Cumanæ, Cuqui, Bachohæ, ac Cauchieti ac Vrabæ regiones, cũ valida manu militum perquirẽtibus & vita male functis. De Dieco Nicuesa octingentorum circiter virorum præfecto, post hos deperditos, dum Beraguæ ab Vrabæ sinu occidentali oras vagans quæritaret. De Ioanne Pontio in Florida regione primum ab eo reperta strato à barbaris nudis, ad mortemque vulnerato, dein ex vulnere languido in Cuba insula mortuo, de multis præterea ducibus & copiis aliis Canibalium fortitudine trucidatis, qnibus lauta struxêre suis corporibus conuiuia, cum classe Canoarum reperti sunt Caribes, homocupii causa plura è suis finibus

finibus millia passuum compositis ordinibus, adnauigasse: canoæ sunt eorum vniligneæ scaphæ (græcè monoxylon) octoginta aliquando remigum capaces. De Dieco Velazquez demum, Cubæ, quæ Fernandina dicitur, progubernatore, ex immensis opibus ad pauperiem deuecto, nunc tandem vita functo, ac Fernando Cortesio capitali odio inter se dißidentibus, late disserui. Ex his omnibus solus Cortesius adhuc viget, qui congestos in lacunari magna illa vrbe Tenustitana deuicta vastataque, creditur habere thesauros ad tricies centena millia pensorum auri congesta: (est pensum hoc Hispanum quadrante superans ducatum,) Imperat namque multis vrbibus & principibus, apud quos est & fluuialis & montani auri copia, nec desunt argentifodinarum dites cauernæ, sed forte in eius causa generale prouerbium illud vulgare valebit, de nummis, fide, ac sensu multo minus in secessu reperitur, quam fama ferat: tempus loquetur. Ioannes Ribera, Thomæ Maino oratori & Guillino notus, Cortesii apud Cæsarem procurator educatus ab adolescentia & gestorum omnium particeps parata dicit habere Cortesium herum suum ter centena millia pensorum Cæsari mittenda. Sed edoctus tot nauium onustarũ captura per Gallos pyratas, minime audet ea dimittere. Sunt & in putato continenti, & Hispaniola, Cubaque ac Iamaica paratæ opes ingentes auri, vnionum, saccari, & casiæ fistulæ in insulis nutritæ, corini siue cocci etiam ligni, fucandis lanis accõmodati, quod verzinum Italus, brasillum Hispanus appellat, parati prouentus. Arborum earum sunt in Hispaniola densa nemora, vti apud nos pineta vel querceta. Super harum nauium tutela, dum in nostro senatu rerum Indicarum, quid consilii capiendum esset ad remedium consultaretur, statutum est, & per Cæsarem nostro suasu prouisum, imperatũque, vt quilibet eorum cum rebus congestis, ad Hispaniolam, eorum tractuum caput conueniant. Vnde ab omnibus terris

F. Cortesius solus ex multis restat.

Pensum quid.

Prouerbium generale.

illis, coactis nauibus, valida claßis iungatur, qua tuti à pyratarum iniuria, si occurrerint, queant se defendere. Quid sors latura sit est in diuinæ prouidentiæ armamentario reseruatum.

Duo tormentaria vasa auro conflata.

Non desunt qui Cortesium inquiant aurea vasa duo tormentaria globorum capacia ferreorum lusoriam minorem farcitam pilam æquantium conflasse. Ad ostentationẽ forte, quod auri mollicies meo iudicio non tanto furori sustinendo apta sit, vel ob inuidiam confictum. Inclita enim eius gesta liuidis ictibus quothoris contorquentur.

CAPVT QVINTVM.



CVM in his Versarer scriptis, appulsas ad nostra Hispana littora naues quatuor ab Indis allatum est, quid opum afferant, nondũ intelligimus. Ab Hispaniolæ senatu allatæ sunt litteræ ad Cæsarem, de crudeli ac facinoroso casu nuper emerso, timeturque deterius aliquid ex cõiecturis futurum. De Francisco Garaio Iamaicæ gubernatore, multa in libellis ad Adrianum Pontificem, per Iacobum Pierium ad Vrbem allatis. Franciscus Garaius deducturus coloniam in flumine Panuco, à quo & regio & Regulus nomina trahunt, & eius vicinia, quæ Tenustitanæ iurisditioni est contigua, bis rem tentauerat, ac toties fuerat ab incolis ferè nudis profligatus: anno superiore prouinciam is eandem reiteratò cum nauibus vndecim & hominibus septingentis amplius & equitibus plærisque, regiarum litterarum autoritate fretus, complexus est, quibus construendi, optatam in eius fluminis ripa coloniam, facultas præbebatur. Est is fluuius alueo grandiorum nauium capace nobilis, gerit & portus vicem, quod prouincia illa Tenustitanæ ditioni subiecta, impor-

De Francisco Garaio.

tuosa & male fida statio sit. En appulsos Garaium & socios incolumes. Valida illos tempestas perturbauit in mari, & fortuna belli prostituit in terra, duas è nauibus naufragio applicans amisit, occupatas à Cortesii militibus ripas fluminis, erecta ibi colonia & formatis magistratibus, qui populum regant, cum Panuci Reguli assensu reperit, (quod sui iuris Tenustitani terras dicat esse illas, & Panucum fluuium includi sub nouæ Hispaniæ nomine, dato illis terris à se, confirmatoque à Cæsare,) comprouinciales suos, loci habitatores Hispanos, Garaius adit, compellat. Regias ostendit patentes litteras, quibus eas Panuci ripas sibi designat habitandas, se ad id venisse. Regio pareant imperio, cedantque hortatur & monet, vel suo, non Cortesii nomine, prætoria sceptra retineant, cæterasque leges & constitutiones ad bonum & tranquillum regimen necessarias accipiant à se, ac obseruent: frustra omnia. His pro concione auditis, non vltra præmeditato sermone, sed omni hæsitatione posthabita respondent: A Cortesio destinatam & erectam in Tenustitanæ quondam obseruantiæ solo eam Coloniam, quæ intra Hispaniæ nouæ terminos à Cæsare designatos iaceat: propterea iuremerito fore, vt proditionis nota taxentur si desciscerent, Garaique postulatis auscultarent. Regias iterum citat & ostendit literas Garaius. Surrepticias esse, ac non rite persuaso Cæsare, impetratas: cum episcopi Burgensis Indici senatus præsidentis fauore, aiunt, habitas contra Cortesium, cui est episcopus offensus ob Iacobum Velazquez Cubæ progubernatorem amicum & sui fratris Fonsecæ quondam familiarem, Cortesio infensissimum hostem: (De horum simultatibus satis late in rebus ad vtrumque attinentibus, quæ per se volumen occupant non exiguum.) Renitentibus Garaius læsæ Maiestatis crimen edicit, si non pareant regiis mandatis. Simultas interepiscopum Burgēsē & Cortesium.

Litteras in caput, Hispano more, se locaturos aiunt, & in quantum debent, mandatum acceptaturos: quò ad executionem, se regem, aut senatum Indicum dicunt consulturos, vt parte audita vtraque censeat Rex Cæsar quid obsequio suo magis cōducat, arbitrari se aiunt aliter imperaturum Cæsarem, si quanto discrimini res tāta subiiciatur, ex hac nouitate intellexerit: nā si Barbari nuper victi, vigere dißidia senserint inter Christianos, excutere iugū nitentur. Decretum inter eos tandē est, vt ad Cortesium nuncii mittantur. Datur opera, eunt, Cortesio res significatur. Duos è centurionibus suis, qui Garaio accessum ad se studeant persuadere, destinat, in lacunari ciuitate ingenti Tenustitana, quæ potentis imperii caput est, à Panuco fluuio distante leucas sexaginta circiter. Veniunt ad Garaium nuncii, persuadent. It Garaius: Cortesio namque se inferiorem esse fatebatur: generum sibi ascicit, ex transuerso nata filias Garaii filium Cortesius. Dum hæc ita geruntur, an Cortesii secreto consilio id actum sit, an spōte sua incolæ moti Garaii copias adorti fuerint, ac prostituerint, in ambiguo relinquunt Hispaniolæ senatores, quicunque ad particulares amicos particulatim ista scripserunt, hac ne vel illac refert parum in re ipsa. Profligata est manus omnis virorum septingentorum, & ducentum quinquaginta ex his trucidata fuisse ferūtur, scribiturque Garaium ipsum periisse, an apud Cortesium obierit, an alibi, & an grauatus febri, aut adiutus Cortesii benigna & clementi prouidentia, qui ab angustiis humanarum solicitudinum liberauit hominem, vt solus ipse tyrannicæ professionis dulcedine frueretur, pro incerto significatum est. Neque enim à Cortesio, aut à magistratibus ad eas terras mißis litteras habemus, neque ab vllo de Garaii comitibus, sed ab senatu tantum Hispaniolæ Cæsari & nostro senatui scribente, appulsum fuisse ad Cubæ angulum vltimum occidentalem qua Iucatanam spectat ea insula frontem, Christophorum

Profligatæ copiæ Garaii.

quendam Olitum, Cortesii ducem, cum viris tercentum & equitibus centũ quinquaginta in classe non contemnenda, studereque aiunt centum alios recentes ab ipsa Cuba seducere, quibus comitibus se terras exploraturum eas prædicat, quæ iacent mediæ inter Iucatanam nondum scitam, an insula sit, & putatum continentem, ibique deducturum se Coloniam dixisse fertur. A Cubensi aiunt senatores tabellione factos de hac re se certiores, vna cum casu vario Garaii. Inquiunt vna senatores ipsi arbitrari se per falsos rumores proiecta in vulgus ista fuisse ab Olito seducente, quo, sublata spe transitus ad Garaium, facilius ad eum diuertant vagi, quos optat habere. Alio epistolæ capite aiunt paratum esse in Hispaniolæ portu Aegidium GonZaleZ, vt ad eundem locum proficiscatur, de cuius nauigatione per australem Oceanum, Thomas Mainus orator secum attulit narrationis exemplar, ad Archiepiscopum Cusentinum Summo Pontifici Clementi præbendum: est directa nauigatio, eam est opus inspicere, quo possit intelligi, quisnam sit horum ducum, terras illas permissu & imperio Cæsaris quærentium intentus: ab Australi oceano namque regressus Aegidius, vbi dulcium aquarum ingens pelagus, insulis fultum, inuenit, à septentrione statuit vestigare, quid de freto tantopere desiderato latura sit sors. Ad Hispaniolam cum thesauris suo loco nominatis propterea peruenit, Australi classe relicta, vt nouam construat in septentrionali. Per fluuium quippe aliquem, nauibus recipiendis aptum, Iucatanã inter & cõtinentem, eius congeriei aquarum fluxum erumpere credit, veluti ex Verbano lacu Ticinus, ex Benaco Mincius, ex Lario Abdua, ex Lemano Rhodanus prodire conspiciuntur, vt absorptas ad mare vehant aquas. His intellectis, & quòd Petrus Arias putati continentis gubernator, eandem sumpturus prouinciam, equitum & peditum non

Christophorus. Olitus Cortesij dux.

paruifaciendo numero exercitu coacto, viam eandē sumpserit. Vetuit senatus Aegidii Gonzalez profectionem, ne si Olitus & Petrus Arias Aegidiusque ipse concurrerint, alternè se conficiant: per celeres etiā nuncios & citata nauigia, Petrum Ariam, Fernandum Cortesium & Olitum monuerunt, læsæ Maiestatis pœna præposita, ne quisquam in alterum, si occurrerint, arma sumat, deiiciendos à magistratibus cum ignominia, qui contra fecerint, protestati sunt. Hoc senatus illius iudicium probauit senatus noster: quæ succedent scribemus. Est huius freti quærendi rabies tanta, vt mille se discriminibus obiiciant: nam quicunque illud repererit, si reperiri potest, summam Cæsaris gratiam cum autoritate magna consequetur, quia si ab australi oceano ad septentrionalem transitus inueniretur, facilior esset ad insulas aromatū & gemmarum altrices via. Neque valeret cum rege Portugaliæ cœpta controuersia de qua satis in prioribus meis: de freto vero exigua spes est. Ab Aegidii opinione non decidimus tamen, quin absorptor dulcium aquarum fluuius possit reperiri, ad septentrionem labens, quandoquidem illis constitit, ad australem oram nullum eas aquas defluuium habere. Id si euenerit, fore commodum satis iter ab vtroque mari monstratur, quum ab aquarum dulcium ripis, quæ ad Austrum vergunt, ad ipsius australis oceani littora trium tantum sit leucarum per latam planiciem intercapedo: qua inquit Aegidius lene iter futurum plaustris & curribus quibusuis, & ad circulum æquinoctialem breuissimum.

CAPVT SEXTVM.



RBITRAMVR Etiam, illustrißime princeps, certißimis innixi argumentis, fore vt non multos post annos nouæ reperiantur aliæ insulæ, tum æquatori subiectæ, tum citra vltraque proximæ, vti iam repertæ Maluchæ, cæteræque in superioribus meis descriptæ. Si namque à virtute solari circum æquinoctia sub disposita terrestri materia, receptura cæleste munus oblatum, gustus ille aromaticus in eas arbores infunditur, proximæque sint illis aliæ insulæ, arenali auro dites: quis naturam magnipotentem audebit tãta labe inficere, iniuriaque tali commaculare, vt in breuißimo Malucharum spacio, veluti in gingantis digitulo, (si totum ambitum pensitauerimus,) vim suam expleuisse contendat, exhausisseque vterum egregia prole grauidum in partum adeo tenuem? Ex mea officina ratio hæc in senatu Indico apud collegas, vno exemplo addito, quò res facilius intelligatur, emanauit. Ad Adrianum Pontificem me scripsisse rationem hanc suspicor, sed non bene memini, quod septuagenario proximo memoriam mihi ætas & curæ hebetauerint, neque huiusmodi repetita displicere tamen solent, licet extra sui agri limites ea visa fuerint alibi. Romam ego, cum sua vicinia, Sixti quarti & Innocentii octaui temporibus, decennio gustaui. Bellorum Granatensium fama excitatus, in Hispaniã me contuli: veniẽs ab vrbe, quod reliquũ est Italiæ, percurri: Galliæ partẽ eã quæ post Alpes nostro mari alluitur, transiui: in his septimo & trigesimo anno, quibus Catholicorũ Ferdinandi & Elisabethæ Regum beneuolis pollicitis & honorato susceptu in familiaritatem me tenuit Hispania, vniuersam perlustraui. Quorsum hæc tam longe

Spes de ditibus insulis.

Magna potentia naturæ.

repetita inquies illustrißime Princeps. Ista peragrans, in illiceta, mox pineta, montanis tamen aut campestribus locis & fluminibus aut paludibus vtrasque siluas intersecantibus, incidebam, diuersarum dein arborum suapte natura magnas terras occupantium solitudines occurrebāt iterum, & huiuscemodi pinetis aut illicetis & fluminibus aut lacubus obuiabam, planiciesque superioribus non dißimiles, subiecta terrarum materia varietates eas suscipiente, pertransibam. Ita princeps Illustrißimè, citra vltra & sub æquinoctiali circulo, cancri tropico ad capricornum (quam intercapedinem philosophorum pars maior solis perpendicularis ardore infestatam, falso desertam sunt arbitrati) iacent maris ac terrarum vastitates immensæ, quod huius circunferentiæ spaciū sit maximum, cum vniuersum orbem, qua latius patet, sua longitudine circumeat. Circulus igitur ille circulorum omniū est latißimus. Si ergo tā breui terrarū interuallo, vti dixi, tāta est potētis naturæ ars, vt quod vna in parte regionis eiusdem prodiit & in altera eūdē influxū hauriente reperiatur, in eo genere rerū quas ea tellus parturierit, quis dubitat quī & in hoc aromatico genere, sub tāta mole cœlesti, poßint plures aliæ terræ virtutis eiusdē receptrices inueniri, quæ insulis Maluchis & vicinis est condonata, sub ipso æquatore partim, ad vtrūque latus eius partim iacentibus? Refricuit humeros è collegio quidam, vt argumentum infringendo sapientior haberetur. En inquit, de hisce rebus nulla mentio facta est à maioribus, si hæc in re starent, nota vel nobis essent, vel alicui nationum essent non ignota. Ab ignorantia literarum, philosophiæ præsertim, & ab experientia tenui, obiectio eius, magno Cancellario excellentiæ tuæ obseruantißimo, & reliquis consortibus annuētibus, facile prostrata est. Dixi enim alienum esse ab omni admiratione, quod de Maluchis & vicinis lata sit noticia, de cæteris vero nulla. Quia sint Maluchæ in Indiæ vltra

Circulus equinoctialis.

Cur de Maluchis sit noticia.

Gangē penè prospectu, Sinarūque regionibus & magno sinui catigaræque notis terris, fere suburbanæ, nec à sinu Persico & Arabia, falso dicta fœlice, multū distātes, vnde paulatim ad eos mox (ex quo Romana luxuries coalescere cœpit) ad nos serpserūt, in nostrā nō exiguā iacturā. Elāguescūt enī & effœminātur hominum animi & extenuatur virtus, eiuscemodi odorū, suffumigiorū, & aromatum blādimētis. De reliquis vero ignotis insulis in prōptu ratio est, cur latuerint hactenus, quoniā proxime illis terræ cōtinentes eodem diuinæ prouidentiæ consilio, ad nostra vsque tempora iacuerūt ignotæ. His ruminatis, quæ sunt verißima, si magna sunt orbis atria illæ terræ, si adhærentes insulæ aut conuicinię sunt atriorū, aulas de ambulasse aut penetralia vestigasse quis potuit, atriis adhuc latentibus? Inuenimus ergo atria cū tractus ignotos reperimus adeo vastos, vt Europam ter amplius superēt vniuersā, si vti alias probauimus ab sancti Augustini dicta nostri putati cōtinentis cuspide, quæ nostra tempestate prodierunt ad hominum noticiam, dimentiemur ad Panucum vsque fluuium ab Tenustitana magna lacunari ciuitate distante leucas sexaginta circiter: late alias hæc. Inueniemus & atriorum reliqua membra. Nec longe sumus ab huius desiderii explendi fiducia. Speramus namque fore vt Sebastianus Cabotus Baccalorum repertor, cui circiter Kal. Septembris supplicanti, ex nostri senatus autoritate permissa est eius nauigationis perquirendæ potestas, breuiore tempore, ac fœlicioribus auibus sit rediturus, quam Victoria nauis, quæ vna è quinque sociis euasa, circuiuit vniuersum, & gariophilis regreßa est onusta. De hoc suo loco latè. Quatuor nauium claßiculam, omnibus ad rē maritimam facientibus & commodis tormentorum vasis paratam, ab Cæsareo ærario Cabotus poposcit, socios ait se reperiße Hispali, quæ Sebilla dicitur, commerciorum

Cabotus Baccalaorum repertor.

omnium Indicorum emporio, qui sub spe magni lucri, ad clasiculæ commeatum & cætera necessaria, ducatorum decem millium sua sponte summam obtulerint. Ad offerēdam participum sociorum obligationem circiter idus Septembris à nobis dimissus est Cabotus. Contribuentium pecunias pro sua quisque rata, si bene cesserit, vti speratur, lucri portionem habebit. Restat, Illustrißime Princeps, vt verisimili aliquo argumēto monstretur, cur breuiore tempore, quàm Victoria nauis, dixerim, curque fœliciore sorte putemus rem hanc successuram, ne moti ventoso halitu de futuris velle rationem reddere videamur. Est Cabotus Augusto mense proximo anni. M. D. XXV. discessurus, nec citius quidem, quia nec prius queunt ad rem tantam necessaria parari, nec per cœlorum cursus debet prius illud iter incheari: oportet quippe tunc versus æquinoctium vela dirigere, quando sol æstatem nobis & dierū longitudinem ablaturus, ad Antichthones penetrare incipiat. Est namque non solum cancri tropicum & æquatorem, verum etiam capricorni metam ad antarcticum, gradus quatuor & quinquaginta, sub quibus freti Magagliani fauces iacent, recta via profecturus, per iter aliena impensa & multorum virorum nece detritum, non per diuerticula & varias moras & circunflexus, vti Magaglianum oportuit, qui per ærumnosos labores & varias durasque calamitates trienniū in ea nauigatione vagans consumpsit, & è quinque nauium clasicula, vnà cum maiore parte sociorum, quatuor & propriam tandem vitam amisit. Hæc satis late in ambito parallelo ad Adrianum Pontificem destinato. Hinc igitur breuiore tempore, quod per ignotos hactenus sibi tractus nunc notißimos est nauigaturus. Quod vero fœlicioribus auspiciis & prosperiore fortuna fore arbitremur, hinc est colligendum. Quo tempore breuißimi sunt apud populos Arctoos dies, longißimos Cabotus assequetur. Cōmode propterea littora

percurret illa donec flexuoso Magagliano freto, canopeo syderi proximo, traiecto, in dextram à tergo nostri putati continentis, de quo fultæ sunt nostræ primæ Decades ad Ascanium patruum tuum & Leonem Pontificem ac Adrianum, proras diriget, perque capricorni Zonam ad æquatorem regredietur, in quo spacio insularum numerum reperiet innumerum, sitarum in ea pelagi vastitate. Vnde vero magnarum opum spes nobis exoriatur, audito. Magagliana classis, transmisso cum tanta virorum calamitate quæsito freto, dextra læuaque relictis obuiis & à longe visis omnibus insulis, oculos & proras semper ad Maluchas dirigebat, de Maluchis captandis omnis cura erat. Quid aliarum insularum quæque produceret obiter explorans, agitato cursu transibat: quanquam in plærisque lignandi aut aquandi gratia vel permutatione rerum ob victum necessaria, captaret terram, parum tamen morabatur, eaque breui mora, quam melius poterat, per signa & nutus de cuiusque aditæ insulæ prouentibus vestigabat, multo auro mixtas arenas alicubi esse intelligebat. Cinami præstantissimi arbusta, quæ malo punico similia sunt, de quibus ego preciosis corticibus, testibus Mayno & Guillino, frusta sum assecutus, alibi creari discebat. De vnionibus magnis ac gemmis aliis audiuit non abiicienda. In aliud commodius tempus harum insularum perquisitionem differre statuebat, ore aperto & anhelo spiritu in solas Maluchas inhians: sed magna molientem animo sors improba illum ad barbaræ gentis fere nudæ manus trucidandum impulit, vti in suo loco dictum est. Si ergo ex itinere citataque nauigatione, nulli hominum generi antehac peruia, de illarum insularum excellentia talia colligebant, quid non sperandum de captando, fixo pede, cum illis insularibus commercio?

Cur fœlicius quã Magaglianus sit nauigaturus.

Arenæ aureæ.

beneuole namque agendum est, ac sine vi, aut iniuria vlla tractandum, & blanditiis muneribusque allicientur. Decem nãque ducatorum millia illa quæ Cabotus à sociis est habiturus ad id negocii sunt expendenda, vt commeatus ad biẽnium cõparentur, & stipendia viris centum quinquaginta præbeantur, reliqua pars in mercimoniis quæ grata insularibus fore cognouerint, exhibebitur, vt quæ suapte natura apud eos paruo æstimata creantur, nostrarum rerum illis ignotarum permutatione, libentes exhibeant, pecuniarum quippe pestiferum minime norunt vsum, & cuique nationi preciosæ rei loco habetur, quicquid est peregrinum. His perlustratis & prudenti diligentia pertractatis, nostri putati continentis latus australe vniuersum abradent, applicabuntque se ad colonias Panamam & Natam, in littoribus illis erectas, aureæ Castellæ terminos: dein quicunque illo tempore, continentis eius prouinciæ aureæ Castellæ nuncupatæ, gubernator erit, de successibus nos certiores efficiet. (De mutandis namque plærisque gubernatoribus, ne longa nimis imperii assuetudine insolescant, cogitatur, qui præcipue non fuerint prouinciarum domitores, de hisce ducibus namque alia ratio ponderatur) orabimus vt fauste feliciterque secundetur, quando vela fecisse classem intelligemus.

Comentũ perbelle excogitatum.

CAPVT SEPTIMVM.

PRIVS tamen alia classis ad Maluchas itura discedet, vt possessio capta sustineatur, nec obstabit Portugalicum regem in sororium admisisse, cui Catherinam ex vtroque parente sororem posthumam, elegantissimam, septemdecennem, puellarum & pulcherrimã & sapientissimã, Cæsar dedit in vxorẽ. Vana est vulgi fama, quòd Cæsar cũ Por-

tugalico rege conuenerit de soluendo è manibus, sub dotis occasione, tam immenso ac tam pingui prædio, quamuis fore sibi perniciosum, & suo tenui regno quondam Castellæ comitatui exitiale conqueratur, si commercio eo priuabitur. Cauendum præterea Cæsar, qui est prudentissimus, existimat, ne tanta Castellæ regnis, cuia res interest, iniuria fiat, quæ sunt vniuersæ ipsius potentiæ nerui præstantiores. Satis euagatum sit de Iucais, Chicora, Duharea, tropicis & æquinoctio & similibus. Extra ordinem nunc pauca referantur, quæ Gillinus grata fore testatus est. Ab illustriore naturæ miraculo incipiamus, in quo prius quid feratur, mox quæ sit super his philosophorum sententia, quid nostro demũ iudicio hebeti occurrat, vt in quibuscunque rebus creditu duris nostri est moris, disseremus. In primis Decadibus meis, quæ per orbem typis impressorum creditæ vagantur, de fama vnius fontis mentio facta est, & huius latentem tantam esse vim aiunt, vt per potũ & balnea reuirescere senescẽtes eius aquæ vsus faciat: innixus ego Aristotelis Pliniique nostri exemplis, ausim ea recensere ac literis mandare, quæ viri autoritate summa pollentes, audent mittere ab ore. Neque enim de naturis animalium scripsit ille, quæ viderit, sed eorum, quos Alexander Macedo ad id vestigandum, cum summa impensa destinauit solo relatu, aut hic, duo & viginti millia rerum notatu dignarum annotauit, nisi aliorum dictis aut scriptis inhærens. Sunt autẽ quos ego in meis cito, præter absentium literas & viuas eorum voces, qui eunt redeuntque frequentes, decanus ille, Aiglionus senator iureconsultus memorati & vna tertius Licenciatus Figueroa missus ad Hispaniolam, vt senatui præesset, à magistratibusque omnibus rationem administrationis exigeret & arbitrio suo retorta dirigeret, directa foueret, bonis adesset, malos puniret. Tres hi conueniunt de fonte restaurãte vir-

De fõte quodã mirabili

tutem audiuisse, & referentibus partim credidisse: Vidisse autem, vel experimento probasse minime, quoniam eius terræ Floridæ habitatores, acutos habeant vngues, & sui iuris sint acerrimi defensores. Hospites velle recusant, præcipue tales, qui ad libertatem illis tollendam & patrium solum occupandum student. Ex Hispaniola classibus aduecti, & breuiore traiectu è Cuba, subiicere illos & in eorum littoribus figere pedem sæpe statuerunt Hispani: sed quoties aggressi sunt prouinciam, toties reiecti, profligati, ac trucidati fuerunt ab incolis, qui missilium multis generibus, & quamuis nudi, venenatis certant sagittis. De re hac vnum dedit exemplum decanus. Iucaium habet familiarem, Andream cognomine barbatum, quòd barbatus ipse inter suos imberbes euaserit. Patrem hic habuisse dicitur senecta graui iam pressum. Ex propinqua Floridæ regioni sibi natali insula, fontis eius fama impulsus, & longioris vitæ captus amore, præparatis viatico necessariis, vti ad Puteolana balnea ex vrbe, vel Neapoli solent nostri valetudinis recuperandæ gratia, profectus est ad eius fontis optatos haustus. Iuit, moratus est, lotus & epotus per plures dies, cum statutis per balnearios remediis, viriles tulisse domum vires, & virilia quæque exercuisse fertur, nupsisseque iterum & filios genuisse. Huius rei testes præstat filius è trãsuectis ab eius patria Iucaia, plures, qui virum decrepita fere ætate grauatum, dein florentem & viribus ac robore corporis pollentem se vidisse asserunt. Quin contra philosophorum omnium opinionem præcipue medicorum, hæc ferantur, non me latet, qui ad habitum à priuatione nullo pacto regressum posse fieri existimant: explosi vel diminuti saltem in senescente sunt radicalis humoris aquosus & aëreus vapores, fateor, terrestri vero qui dominatur, frigido sicco, datum est sibi & potus cu-

Floridæ habitatores acutos habent vngues.

Contra opinioné philosophorum omnium.

iuscunque substantiam in sui naturam tetricam & tristem conuertere, non ego quod indies magis usque ad sui corruptionem, hebetudo illa pessundata, calore naturali languescente coalescat, assentior. Propterea qui nil audet præter probabile aut usitatum credere, quomodo fieri hoc possit, quod illi dicunt, percunctabitur. Inter horum assertiones igitur & veterum sapientum argumenta valida, an fieri queat ut vis tanta diuinis exceptis miraculis, naturæ tribuatur hæsitantibus nobis: non Medeæ medicaminibus, quibus Esonem socerum ad iuuentam reuocatum Græci fabulantur. Non carminibus Circes, de mutatis in belluas reductisque sociis Vlissis, moti: sed brutorum animalium exemplis edocti, argumentari super hac tam insolita ac iudicio multorum impossibili re statuimus, ne viros tanta pollentes autoritate frustra penitus fuisse locutos iudicemus. Primo de aquila renouante se, mox de colubris, vetere, legimus, exuta pelle interque dumeta vel angustas rupium aut saxorum scissuras spolio relicto reiuuenescere. De ceruo, quòd absorpto aspide per nares inter maceries aut sepum limites brumali tempore latente, diu quæsito, in decoctæ carnis molliciem ob vim veneni tenerescat, & corio penitus mutato veteri, nouam carnem nouumque sanguinem resumat: (si vera est narratio) idem sit dictum: De cornicibus & coruis ab æstiuo potu circa solsticium, durantibus rabiosæ afflatibus caniculæ, abstinentibus: (cum illis diebus insalubres esse fontium, dein fluuiorum aquas, ab vtero terræ tunc menstruo se scatentes, naturæ instinctu edoceantur,) quid dicemus? De quibusdam aliis præterea, de quorum prouidentia non inepti autores posteritati legenda tradiderunt multa. Si hæc vera sunt, si mira opifex natura in mutis eius excellentiam non intelligentibus, ingratis perinde

animalibus, ostendere se munificam ac tanti potentem delectatur: quid mirum si & in eo quod præstantius est, simile aliquid in suo sinu tanta varietate fœcundo generet enutriatque? Ex aquarum per varios terræ meatus labentium, & inde varios colores, odores, sapores, & qualitates, varia etiam pondera extrahentium proprietate varios effectus parturiri videmus. Nec minus ex arborum radicibus, truncis, foliis, floribus, & fructibus varios curari morbos passim compertum est. Enectaque, vel vt correctius loquar, exuberante pituita, prostrata bilis resurgit: & econuerso sanguinis etiam benignitati corruptæ, per eius ipsius diminutionem, florum dein aut herbarum succus, aut earum cibis superadditis aut ad id coaptatis balneis & pharmacis, purificatio inuenitur. Vnde percutiendo depressis humoribus ægroto salus præbetur. Si ergo vti patet, in his hæc eueniunt, cur mirabimur, quin & prouida mater natura ad terrestrem illam partem, quæque radicalis humoris cōprimendam aliquid foueat, ita vt aquoso & aëreo vaporibus restitutis renouetur in sanguine calor naturalis hebetatus, quo resurgente torpens grauedo & ipsa temperetur, & his omnibus restauratis, vetusta domus talibus adminiculis adiuta resarciatur. Fontis ergo eius tantopere ventilati aquas non mirarer ego si nobis ignotam vim aliquā tetricitatis illius moderandæ, aëream & aquosam virtutes restaurando, secum afferant. Nec existimet excellentia tua tamen hoc leniter acquiri, aut sine tortoribus & intercapedine temporis, sine ieiuniis & gratarum dapium & potus abstinentia, & gustui malesapidorum liquorum sorbitionibus hæc fieri debere: suas & ipsi longæ vitæ cupidi patiuntur difficultates vt qui balnea quæritant, & qui à molesto puparum morbo, quem elephanciam esse putant aliqui, leuari exoptant. Hic nanque sub occasione sumendi vulgaris in Hispaniola ligni nomine guaiacam, triginta diebus abstinent ab omni

cibo

cibo & potu solito, vino præcipue, ad tantamque illos medici trahunt eo ieiunio hebetudinem, vt ego mille morborum genera sine decocti guaiacani potu, quo solo vniuerso illius temporis interuallo vtuntur, abscindi posse arbitrer. Tacitæ nunc obiectioni, quæ prima fronte legitima esse videtur, respondebimus. Dixerunt aliqui: ne modo virorum quenquam vidimus aut audiuimus vnquam, qui eam naturæ dotem sit adeptus, sed & ceruos & angues aquilasque ac cætera huius generis animalia, iudicio sapientum senectam reparantium, post paucos ætatis annos cernimus passim interire: nec inepto quidem argumento inhærent. His ego: sicuti paucis hominibus datum est perspicacis esse ingenij, aut sentire quid sit sapientia, ita non omnibus aquilis, ceruis & cornicibus permissum est huius arcani scientiam penetrare. Varius nanque in brutis est rerum sensus, veluti in hominibus, & si senserint arcanum, non detur illo posse frui, cum præteritorum cruciatuum & longæ vitæ incommodorum memores, exterreatur. Illius mercis emendæ causa, redire sæpius ad eam tabernam minime curant. Quadrupedibus & volucribus huiuscemodi tot hyberna frigora, tot æstiui solis ardores, crebrasque pabulorum carentias reiterato perferre, durum esse debet. Sed homini horridius ob commixtas animi molestias, quibus vacant animalia muta, & ob mille casus in rerum humanarum vicißitudinibus variis, quibus est obnoxius, & quorum causa sæpe multos pœnitet ab vtero matrum prodiisse, quanto magis longiores annos per ignis & aquæ angustias expetere. Qui sublimiores in fortunæ rota gradus exoptant, amarius has escas corrodunt: prouida igitur natura pro speciali munere terminum vitæ constituit hominibus, ne vel longo æuo nimis insolescant, aut in aduersa collabentes desperent, & maledictis ob id ipsam insectentur. Sed siqui artibus huiusmodi

Obiectioni occurrit.

ferte naturam in arcanis eius indagandis exercendisque fefellerunt, vt producere vitam scierint, paucis id accidere credendum est, neque his paucis ita præstanter, vt immortales effici queant, vel diutius tam insolita prærogatiua frui permittantur. Iam satis superque vagatum sit in his argumentis. Colligat abiiciatque ab his ad arbitrium quisque suum. Sunt nanque scripta hæc mea qualiacunque, sub tuæ tamen excellentiæ nomine ad vrbem illico profectura, vt efflagitantibus ea viris insignibus morem geram. Quædam alia quanuis non impoßibilia creditu, miranda tamen, quia nulli Europeo aut noti hactenus orbis incolæ scita, referamus. In Fernandina insula, quæ Cuba est, aquæ piceæ fons scatet, vidimus picem ad Cæsarem allatam, ea mollior est arborea pice, respergendis tamen & fucandis nauium carinis cæterísque solitis vsibus apta: super rei & ego nouitate parumper hæsitans, quando in re diuersa præ manibus paßim euētum similem habemus, desino mirari. Montano, aut puteali maritimóque sale omisso, si defluentes alicubi, vt in vniuersis Castellæ regnis accidit, per clinos aquæ in areis retentæ, solis ardentis feruore in concretū sal conuertuntur, quis mirabitur quin & eodem naturæ cōsilio, de illius fontis aquis per alluuies ad fossulas & ima receptacula extra ipsius riui defluentis alueum, vel ad planiciem reductis, idem fieri poßit, vt sole superueniente rigido in picem condensentur & durescant? Est aliud non omittendum. In eadem insula Fernandina mons extat globorum nutritor lapideorum, rotundi sunt adeo, vt ab artifice quouis rotundiores formari nequirent, metalli pondus æquant globi, apti ad principum insanam rabiem explendam in re bellica. Licenciatus ille Figueroa, quem dixi cūctis Hispaniolæ magistratibus fuisse præpositum, vt ab eis administrati iuris rationem exigeret, tulit plærosque, hos Cæsari oblatos omnes vidimus, à sclopetario globulo ad consonos canonibus & colubri-

Fons aquæ piceæ.

De mōte qui gignit globos saxeos aptos ad tormenta bellica.

nis mons ille procreat globos. Vulgaribus utor vocabulis, quãdo illis caret vetus lingua latina, & liceat quæ de nouo emergunt, nouis induere tegminibus, cum id negantium bona venia, volo intelligi. Quos ipse attulit & nos vidimus, neque auelana sunt minores, neque lusoria parua pila maiores. Minores tamen ac maiores suapte ibi natura nasci asserit: vt an metallo sit alicui sociata materia illa saxea sciretur, fabro ferrario frangendum præbuimus vnum: est tanta eius duricies, vt fere malleum vna & incudem fabro labefactauerit, priusquam in frusta secaretur, inesse venas metallarias secto adiudicarunt, sed cuius naturæ, non scrutati sunt vltra. In Cæsareo & hi globi seruantur gazophilatio. Quædam alia non iniucunda in mentem mihi exilierũt. Arbitror nec excellentiæ tuæ, aut suis aulicis legendi cupidis, ociosis præcipue, fore ingrata.

CAPVT OCTAVVM.

IN DECADIBVS primis de vasto marino antro in Hispaniola & regione Guaccaiarima, per stadia quædam intra celsos montes protento, qua spectat occidentem, est facta mentio: per antri eius vterum nauigatur. In eius vltimo sinu tenebroso, quòd radii solares vix in solis occasu tamen intra fauces eius penetrent, horrore dicunt ingreßi, scalpi sibi viscera ex formidoloso aquarum labentium ab alto in specum strepitu. Quid de antri mysterio credant incolæ, ab atauis memoria relictum, lepidum est auditu. Insulam putant spiritum habere vitalem, reflareque inde ac absorbere, & cibari ac digerere, vti viuentem fœmineæ naturæ beluam mẽstruosam. Huius antri cauernam fœmineam esse insulæ naturam, & anum qua purget

De antro Guaccaiarimo.

excrementa, sordesque suas egerat arbitrantur: est argumento, nomen regioni datū ab antro, Guacca enim regio dicitur vel propinquitas, Iarima vero podex vel purgamēti locus. Dum hæc audio quod de fabuloso Demogorgone, in mundi vtero spirante, vnde maris fluxum & refluxum causari arbitrabatur rudis antiquitas, in mentem subit. Fabulosis vera quædam misceamus. Quàm beata sit multis in rebus Hispaniola, quámque preciosarum rerum multarum sit ferax, dixi sæpe in superioribus meis ad Ascanium, & pontifices Leonem & Adrianum. Medicinales reperiunt in ea multimodas materias indies magis. De arbore, ab cuius truncis sectis & in puluerem redactis, decocta conficitur ad puparum infœlicē morbum ex oßibus & medullis eruendum, aqua potabilis, & satis ego, & iam per vniuersam Europam vagantia eius ligni frusta iudicium faciunt. Generat quoque odoratarum rerum species innumeras tam herbidas quam arboreas, & stillantis gummi multiplicis copiam, in cuius numero est quod à pharmacopolis animæ albū dicitur, grauedini capitis & vertigini sedandæ commodum. Manat etiam ex quibusdam arboribus liquor pene oleaceus. Hunc Italus eruditus quidam nomine Codrus, rerum naturas vestigandi gratia ea loca cum impetrata venia peragrans, (neque enim alienigenæ cuiquam aliter licet,) balsami vim habere persuasum Hispanis reliquit. Nunc de pisce venatore pauca repetamus. Is bilem mihi excitauit aliquando parumper. In primis decadum libellis ad Ascanium, si bene memini, inter cætera miranda, quia noua & ab vsu aliena, piscem habere incolas aliorum piscium venatorem dixi. Veluti nos cum quadrupede quadrupedem, cum volucribus volucres capimus, ita & illi cum piscibus pisces præhendere consueuerunt. Subsannarūt Romæ in hoc & plærisque aliis huiuscemodi, ad maledicta proni, Leonis Papæ tempestate, donec à sua quatuordecenne legatione Hispanica,

De pisce venatore.

pro Iulio mox Leone Pontificibus, regressus ad vrbē. Io. Ruffus Foroliuiensis Archiepiscopus Cusentinus, cui nota erant quæcunque scribebā, fauces multorū suo testimonio in meæ famæ subsidium occlusit. Creditu & mihi durum à primordio visum fuit. Hinc à prædictis viris auctoratis & multis præterea scrutatus sum quid rei sit de hoc pisce: se apud piscatores vidisse aiunt rem eam, non minus vulgarem quam nos cum cane gallica leporem, aut cum molosso aprum inter septa reductum insectamur, eumque piscem esse esui sapidum, & sub anguillæ forma, neque maiorem audere grandiores pisces, aut scuto maiores testudines, impetere, vti mustella palumbem, & maius animal, si assequi datur illud, aggreditur, & in ceruicem eius insiliens ad necem vsque reducit. Piscis vero hic à quoquo piscatore in suæ cymbæ sponda ligatus, funiculo tenetur vinctus, à carina statio piscis parum distat, ne sentiat aeris fulgorem, quem nullo modo patitur. Sed quod mirabilius est in occipite crumenā habet tenacißimā, qua post visum apud se natantem aliū piscem, dat prædæ captādæ suo motu signum, laxato funiculo, vti de catena solutus canis, prædam aggreditur, & vertens occiput crumenali pelle illa iniecta in ceruicem insilit prædæ, si magnus sit piscis, si vero ingēs testudo, qua patet à conchili, neque soluit vnquam, donec paulatim tracto funiculo, ad cymbæ spondam se applicat. Tunc à piscatoribus, si piscis grandior extet (neque enim de paruis est venatori cura) proiectis in eū vncis tenacibus perimitur, dein trahitur ad aëris vsque prospectum, tunc venator prædam soluit: si vero testudo sit, in mare saliunt piscatores, & suppositis humeris testudinem eleuant, donec à sociis manu capiatur. Præda soluta, piscis ad signatum sibi locum reuertitur, ibique fixus inhæret, donec de præda, veluti de capta coturnice accipiter, cibetur, aut reiterato venatum remittatur. De illius herili educatione

suo loco satis. Reuersum appellant Hispani piscem quòd vertẽdo se crumenali sua pelle prædam adoriatur & prehendat.

De Matinino insula.

De insula vero Matinino, quam solas incolere more Amazonum fœminas non dixi, sed audiuisse me retuli, in ambiguo relinquunt, vti tunc ego, hi testes. Alfonsus tamen Argoglius Cæsaris à secretis in rebus Castellæ, & Illustrissimæ Margaritæ Cæsaris amitæ redituum hic colligendorum quæstor, qui eas percurrit oras, historiam esse non fabulam asseuerat. Do quæ dant. Decanus idem quædam scitu non indigna, probantibus multis, mihi retulit alia. Est insula distans ab Hispaniola milliaria forte septingenta, continenti proxima, nomine Margarita, quòd ibi vnionum colligatur è conchilibus numerus ingens: distat à Margarita in continenti milliaria triginta sinus in arcum dispositus, vti luna recenter euasa, vel ferrea mularum solea. (Vocat Hispanus huiuscemodi sinum anchonem.) Ambitu est milliarium triginta circiter: duabus est prærogatiuis nobilissimus. Quicquid aut fluxu vel procellosis tempestatibus in eius littore alluitur, sale refertum est: exigui tamen in vniuersis illis tractibus, quà septentrionem spectant, fluxus & refluxus sunt: in meridionalibus oris econtra. Alia est piscium, cefalorum præcipue, ac mugilum dos tanta in eo sinu & coaceruata multitudo, vt nequeant sine difficili lapsu naues pernauigare sinum ob eorum frequentiam, in quam pro re incidentes detardantur piscatores: proiecto rete gregem adigunt ad littus impulsu facili. Ibi est ministrorum triplex ordo: qui pedibus stant in littoreis aquis tenus genu pisces manu captos, laniis intra nauim stantibus porrigunt, hi euisceratos in sociorum tertii ordinis manus proiiciunt, qui parato ad id collecto ex littore ipso sale pisces condiunt. Ita salitos per arenosam planitiem ad solem distendunt, vnius tantum diei spacio curantur, quòd ibi feruẽat radii solares non leuiter, tum quòd sint æquinoctio proximi,

Insula Margarita.

montibusque sit circunsepta planicies, in quam rotantes radij delabuntur, tum quod de natura sui percussam calefaciat sol acrius arenam, quam glebosam tellurem. Exiccatos colligunt ad nauium vsque implementum. De sale idētidem, libere cuique licet naues onerare vtroque prouentu. Vicinias omnes illis piscibus saturant: neque Hispaniola ipsa, generalis illarum terrarum mater, salitis ferè alijs piscibus fruitur, eius præsertim speciei. De vnionibus vero quomodo generentur, coalescant, & habeātur, in primis decadibus latissime. Inquiūt & iidem autorati viri, quos habeo sæpe domi ob eorum negotia, quæ in senatu tractant nostro, duo esse in Hispaniola & Conceptionis Antistea exigua flumina, citra insolitarū pluuiarū repentinas alluuies vadosa, quorum vni nomen est Baho, alteri Zate patriis veteribus appellationibus seruatis. Nunc Hispani ob eas, quas referam dotes, Conualentiam vbi iungūtur, appellant. Ex tanta maris intercapedine, quod ab freto Gaditano ad Hispaniolæ vsque initium paulo minus quinque millibus milliaribus per oceanum, solo cœli & aquarū prospectu nauigetur, ex ciborum etiam & potuum mutatione, sed aëris præcipue, quod sint Hispaniola & Iamaica trans cācri tropicum plures gradus ad æquinoctium sita, Cuba vero in ipsius tropici linea sedeat, quam putarūt philosophi, paucis exceptis, torrore solis adustam inhabitabilē fuisse, inquiunt hi, adeūtes de recenti vt plurimum in varios morbos cadere, & qui Bahi & Zatti fluuiorum adierint iam cōmixtas vno alueo aquas, cum illarum potu & lotione dierum spacio quindecim tantum expurgari, & infra dies totidem curari ab neruorum & medullarum doloribus, sanatos etiam febribus exustos, & pulmonum tumore laborantes, sed si diutius lauari aut illis vti niterentur, in disenteriæ fluxum caderent. Inde qui aurū ex illorum arenis colligere student, (nullus est enim fluuius nō aurifer, neque pars telluris vlla est auri expers,) in illorum

Situs insularum Hispaniolæ & Iamaicæ.

Nulla pars huius terræ expers auri.

fluuiorum alueos, non audent citra meridiem fossores immittere, neque vt eas potent aquas patiuntur, quãuis dulces & sapidæ sint, quod fluxum faciliter in incolumibus præcipue moueant. Aiunt iidem in angulo septentrionali Guaiaccarimæ regionis Hispaniolæ, breui tractu iacere plures exigui orbis insulas, quas iunctas fuisse quondam putant. Harum vna præstat cæteris egregia piscatione, nomine Iabbáque penultima longa: vadosum est inter eas insulas alicubi mare, sed tractim interiacent profundi putei, vastæque ac frequentes vorgines. Variis aiunt puteos toto anno esse piscibus repletos, tanquam in tutum receptum aggregatos: veluti ex area coaceruatum domino licet verrere frumentum, ita vsque ad nauium impleturam paruo negocio de piscibus fieri per adeuntes posse asserunt. Est auditu lepidum quid de maritimis quibusdam volucribus, aquilis & vulturibus grãdioribus referant, onocrotalos voraces esse ab eorum sermonibus coniector. Dicunt enim guttur habere magni capax, adeo vt dimidiam endromedem, qua tegebatur miles vnus, in volucrem rabido hiatu in eum irruentem, cunctis inspectantibus proiectam, absorpserit integram, & ex gutture interfectæ, sine iactura euulsam dicunt. Quinquilibres viuos vorasse pisces vno sorptu, & maiores fertur. Sed cum pascantur piscibus, non est ineptum dictu quo pacto prædam sub aquis in mari natantem assequantur, quando ipsæ non submergunt se, vti cæteræ maritimæ, anseres, anates, & mergi. More miluorum & petulantum in sublimem eleuatæ aërem circumrotãt, quando ad fulgorem aëris aquæ marginem piscis captet, expectant. Est enim grande circumuolantium agmen, ad prædam vnà plures interdum furibundo se delapsu demittunt, adeo vt mare ipsum per sesquilacerti spacium aperiatur. Eo fragore stupidus hæret piscis, & capi se patitur. Eundem plærumque præhẽdunt ma-

Iabbaque insula.

De onocrotalis auditu iucũda.

gnum piscem sociæ duæ: tunc visu placidum est certamen earum à nauibus, si forte intersint, aut à littore inspectare: prædam neutra deserit, donec in frusta sectam, suam quæque partem afferat. Sesquispitamali rostro & magis quam cuiquã sit volucri rapaci adunco, colloque longissimo & alis multo patentioribus quàm aquilæ aut vulturis esse dicunt auem, sed macilẽtam ita vt vix palumbis pulpam æquet. Ad vasti gutturis ergo pondus sustinendum prouida natura grandes illi præstitit alas, quandoquidem ad leue corpus ferendum non oportuit: volucres has Hispani vocant alcatrazes. Multarum præterea volucrum aliarum nobis ignotarum regiones abundant illæ: sed præcipue variorum colorum & corporum psitaci, qui gallos æquẽt & superent magnitudine corporum, & qui vix passerculum, inueniuntur: neque minus vulgo apud eos psitacorum agmina generantur, quam apud nos cornicum & graculorum: est & illis generalis esca vti apud nos turdorum & turturum, nutriuntque domi ad delitias psitacos, carduelium aut picarum loco. Est & aliud naturæ donum non tacendum. Alcatrazes aues.

CAPVT NONVM.



IN HISPANIOLA portuosa extat colonia, nomine Zanana, quod in Zanana, idest palustri herbida planicie, bobus & equis alendis commoda, sita sit, Zananam quippe similem appellat Hispanus planiciem: celebri gaudet flumine Colonia. Quibusdam anni temporibus pluuiales tot in alueũ admittit aquas, vt planiciẽ totã, licet amplissima sit, repleat, obicibus collių aut limitũ obstãtib⁹, ne libero cursu aquæ defluãt in portũ: Zanana colonia.

tanta secum trahit anguillarum copiam alluuies illa, ut ad alueum redeunte flumine, inter palustres uluas & cãnarũ ibi suapte natura nascentium densitatem, velut irretitæ prostent in sicco anguillæ. Ad eius rei famam nautæ cum vicinorum consensu, si opportune ierunt aliquando, & si placuit naues ea piscatione licuit onerare: sed si alluuie præcedẽte, uti ex varia cælorum dispositione sæpe contingit, anguillarum quæsitores accessum distulerint, aut si moræ impatientes, quod ipsi præcesserint, abire fuit consilium, ne fœtore suo exuberans colonis anguillarum copia putrefacta, corrumpat aërem, porcorum greges in planiciẽ agunt, & lauta suibus conuiuia præstãt, quorum est in insulis multitudo incredibilis, è paucis hinc aduectis. Cœli natura vel gestãt utero, aut lactant prolem toto anno quadrupedes omnes, & utrunque non raro: vitulas & equarum pullas mense decimo cõcipere ac geminos edere uno partu sæpenumero, viuereque diutius quàm alibi sub nostrorum climatum spiritu, affirmant. Exemplo id probant uno. Vaccam decanus, de quo iam sæpe, anno ab hinc sexto & vigesimo ad Hispaniolam transuexit viuam adhuc & parere quotannis vicinorum testimonio dicitur, iactauitque me coram (est nãque adhuc apud nos) per illius vaccæ solius, natorum natos & successiuam sobolem, capitum octingentorum amplius armenta fuisse consecutum. De omnibus idem ferũt volucribus, quod vix è nido abactis adultis, ad nouam tendant gignendam prolem. Est alià laude dignus apud Antisteæ conceptionis colonos, sui decanatus sedis, quòd è primis cassiæ fistulæ arborũ satoribus is fuerit, per animulas tamẽ prior alter, mox ipse per plantationem: unde in tantùm ferunt creuisse iam ubertatem earum arborum moros æquantium magnitudine, in Hispaniola, Cuba & Iamaica, (cuius abbatialem ditem Antisteam clementissimus mihi Cæsar nuper est impartitus,) ut arbitremur post paucos annos, eodem æstima-

Anguillarum copia

De animalium fecũditate.

tum iri precio libram,quo nunc à pharmacopolis vncia venditur. Sed nil in rebus humanis liquiricium emergit, quin zizaniæ aliquid secum ferat. Ad harum arborum olfactum formicarum accurrit copia tanta, vt quicquid apud illas aut in earum vicinia seratur, à formicis exedatur, grauemque iā inferunt incolis molestiam. De huius arboris siliquis, & ob lōgitudinem vaginis, auditu sapida narrant. Flantibus ventis, quando maturescunt præsertim, est tantus earum vicißim cōflictus, vt obstrepere inter eas anserum atque anatum agmina mille videantur. Ab eo concursu, pro succi acerbi vel maturi qualitate, pro ve animularum & medullæ pondere in siliqua, variarum causari vocum modulos non insuaues inquiunt. De arbore, quam potius caulem appellauerim, quod sit vti carduus, medullosa non solida, quamuis ad lauri celsitudinem surgat, multa sunt repetenda: facta est mentio breuis de hac in primis decadibus. Qui ea fruuntur platanum appellant, cum longißime distet à platano, nec vllam habet cum platano propinquitatem. Est namque platanus arbor solida, ramosa, cæteris arboribus frondosior, sterilis, alta, procera, viuax, vti audiuisse aliquando excellentiam tuam credendum est. Hæc vti dixi fere inanis, fructifera tamen, parum frondēs, hebes, fragilis, vno tantum vimine, sine ramis, paucis contenta foliis sesquilacertalibus longitudine ab summo, latitudine bispitamali constant, ab imo acutis arundineisque foliis persimilibus, cum languida per hyemis rigorem fiunt, caput demittūt, & terram spectant suo pondere tracta, vegetæ suæ vitæ adeo est prodiga, vt nono, vel quando diutius decimo, ab ortu mense deficiat, senescat, intereatque. Repente crescit, adulta racemos enutrit paucos ab vtero. Racemus quisque triginta fœtus, interdum paulo plures procreat. Hi ad hortensis cucumeris & formam præcisi ac magnitudinem in insulis, in continenti grādiores nascuntur in racemo, & crescunt: acerbi sunt virides

Arbor falso putata platanus.

maturi candescunt. Pulpa butyro est recenti mollicie ac sapore persimilis, nec primo gustanti gratus, assuetis est gratissimus. Protoplasti primi parentis nostri Adæ pomum, quo genus humanum labefactauit, vniuersum esse vulgus Aegyptium blaterat. Peregrini aromatum inutilium & suffumigiorum Arabicorũque odorum effœminantium ac futilium gẽmarum emptores, ad eas terras lucri causa proficiscentes, musas nuncupant eos fructus. Mihi vero, quo nomine arborem illam, siue caulem, latine queam appellare, non occurrit: versaui autores quosdam latinos & è iunioribus eos qui se latinissimos esse profitentur percunctatus sum, nemo dirigit. De mixa fructu quodam facit mentionem Plinius. Non ignarus literarum quidam mixã dici debere, quod à musa paruo discrimine vocis distare videatur, inquit. Non sum assensus, quod ex mixa Plinius vinum fieri dicat. Ex hoc autem vinum confici posse absurdum est. Plures ex his ego vidi, comedi non paucos, in Alexandria Aegyptia, quando pro Catholicis meis Regibus Fernando & Elisabeta Soldanica fungebar legatione. Abest à meo iudicio, vt vinum inde queat extorqueri. Nunc vnde ad Hispanos, earum terrarum colonos hæc insilierit, & cur iam ingrata sit referamus. Ab ea Aethiopiæ parte, quæ vulgò Guinea dicitur, vbi est familiaris & sua sponte nascitur, primum aduectam ferunt: sata in tantum protenditur augmentum, vt multos pœniteat in suis prædiis illam plantasse ac fouisse: vbicunque semel seratur, inutilem ad reliquos prouentus tellurem reddit (contra lupinorum liberalitatem, qui campos pinguefaciunt gramine complicato) aut montano filice fœcundius nutrit distenditque radices, ita vt neque vomere vllo aut ligone purgari vlterius ager eius receptor queat, quin perpetuo exortu, ab quacunque tenui vel capillari radicula, inter glebas latente, repullulent nati nouelli, qui matrem viuentem, quando ab eius imo trunco prodeũt,

adeo sugunt, ut vim eius omnem emungant & ad intempestiuum exitum trahant. Idem natis ipsis dein, tanquàm in maternæ impietatis vindictam accidit, ut fructu præbito statim intereāt: est fragilis adeo, ut quamuis ad humani fœmoris intumescat proceritatem, & lauri altitudinem, uti est dictum, emicet, facili tamen gladii aut baculi percussu, uti ferulæ vel cardui planta, sternatur. Est arbor in Hispaniola & in veteris reguli diocesi nomine Mocarix, a quo adhuc regio nomē retinet, morum æquans patulam, ea gosampium in ramorum cuspidibus creat, fructicco quod seritur quotannis non minus utile. Lanam fert alia, uti apud Seres, filatui & intextui aptā. Sed èa minimè fruuntur, quod arietina illis lana iam superet in immensum, neque opifices habeant lanificio deditos, ad hunc usque diem. Mechanicas paulatim artes augebunt, populis crescentibus. Neque prætereundum est quonam pacto natura illis sua sponte funes ac restes tribuat. Nulla ferè arbor est ab cuius radcibus non pullulet herba quædam verbenæ similis, bexucum appellant, more lupulorum serpit per matris truncum, hedera tenacius, ad supremos applicata vertices, voluit se ac matrem circuit cauillorum multitudine tanta, ut eam, veluti lena, vel umbecula contegat, tutāque reddat ab æstu. Ad quoscunque magnos fasces colligandos, aut pondera sustinenda, ad trabes etiam & domorum contignationes connectendas nata: compactas bexuco commissuras aiunt perstringi tutius quam quæ infiguntur clauis ferreis: quod neque putrescat unquam imbribus, aut solibus arescat, cedatque parumper infracta, si per tiphonum furorem domus concutiatur, quæ ligneæ sunt omnes. (Furacanes vocāt incolæ rabidos ventorum illos turbines, qui radicit us eruere grandes arbores & sæpe disiicere domos solebant): quæ clauis erant compactæ, clauis erutis dissoluebantur, quas vero bexuci nodosa vincula complectebant, concussæ vacillabant tantum, ad locum dein suum redibant, compagine inuecta.

Arbor lanigera

Bexucū.

His furacibus nostro more tiphonibus a primordiis occupatæ Hispaniolæ à nostris, maxime vexabantur, quibus flatibus infernos sæpe dæmones fuisse visos asserunt. Cessasse vero calamitatem illam horrendam aiunt, ex quo frequentatũ est Eucharistiæ sacramentum in insula, neque dæmones vltra visos, qui familiariter antiquis noctu solebant sese ostendere: idcirco Zemes ipsi suos, id est adoranda simulachra, ex ligno vel ex gosampio ipso farcita vsque ad lapideam duriciẽ, ad lemurum similitudinem conficiebant, quo pacto ad homines deterrendos ab erroribus, pictores lemures depingunt parietibus. E Zemibus ab Colono primo arcanorum oceani detectore asportatis, duos ad patruum tuum Ascaniũ cum cæteris rebus misi, dum eius fortuna mater erat. E bexuco quotquot cubitis ad præsentis ministerii necessitatem cuique opus est, diuellere vno veluti continuo filo licet. De bexuco satis. Alteri mirando naturæ beneficio nauemus operam. In Hispaniola cæterisque insulis oceaneis loca sunt palustria, pabulandis armentis aptissima. Sitas in marginibus eorum colonias, diuersarum specierum culices ex humenti illo calore creati, acriter infestant, nec noctu solum, vt cæteris regionibus. propterea humiles ædificãt incolæ domus, & paruas sinunt in eis ianuas, domini vix capaces, ac sine foraminibus, ne culicibus pateat aditus. Abstinent etiam ob id ab accendendis tædis, quod natiuus culicum instinctus lumen sequi sit, ingressus tamen sæpe reperiunt. Dedit pestem illam natura, dedit & remedium, vti nobis cattos ad fœtidam murium progeniem extirpandam præbuit: culicum dedit illis lepidos & multis modis commodos venatores, Cucuios appellant. Hi sunt alati vermes innoxij, vespertilionibus paulo minores, scarabei genus dixerim ego potius, quod eodem ordine sub alari dura vagina alias habeat alas, quas intra vaginam reducat quiescens à volatu. Huic animanti, veluti noctu splendescere noctilucas videmus muscas, & inter

Euchari stiæ dignitas.

Cucuij alati vermes.

ſepium denſitatem vermes quoſdam inertes prouida mater natura quatuor præſtitit lucidiſsima ſpecula: in oculorum ſede duo, in ilibus ſub vagina latentia duo, quæ tunc oſtendit quando more ſcarabei euaginatis tenuibus alis aërem captat, vnde quatuor Cucuius quiſque ſecũ affert lucernas. Sed quo pacto ſint medela tanti mali, quantum eſt à culicum aculeis infeſtari, qui ſunt alicubi apibus paulo minores, gratioſum auditu eſt. Qui vel culices domi habere hoſpites infenſos intelligit, vel qui ne ingrediantur timet, Cucuiorum inuigilat venatui, quos fallit hac induſtria, quam opifex mira neceſsitas exquiſiuit. Primo noctis crepuſculo exit domo Cucuiorum indigus, ticionem manu geſtat ignitum, tumulũ, vnde queat à Cucuiis proſpici, aſcendit vicinum, elatis vocibus Cucuium appellando circunrotat ticionem, Cucuie cucuie inclamitando aerẽ obtundit. Ad vocantis reboatum ſimplices putant nonnulli Cucuios eo delectatos ſtrepitu conuolare, veniunt nãque properanti ac præcipiti acceſſu: ego vero accurrere arbitror ad ticionis fulgorem Cucuios, quod ad lucem quamcunque agmina culicũm aduolant, quibus Cucuij veſcuntur in aere ipſo vti cipſelli & hirundines. En Cucuiorum numerum optatum, ticionem venator manu proiicit. Ticionem aliquando ſequitur Cucuius aliquis, & ſolo ſe dimittit, captu facilis tunc eſt, vti ſcarabeum ambulantem vagina clauſa, licet viatoribus, ſi quis eo indigeret, capere. Negant alii hoc pacto ſolere capi Cucuios, immo aiunt paratos habere venatores frondoſos maxime ramos, aut lata lintea quibus alto circumuolantem percutiunt Cucuium, in terramque impellant, vbi iacens torpeſcit, & capi ſe patitur, vel vt alii dicunt, ſecuti volucris lapſũ frondoſo eodem ramo vel linteo proiecto ſuper eum, prædam aſſequuntur: vtcunque ſit, venator venatore Cucuio apprehenſo, domum reuertitur, oſtiolo domus clauſo, prædam ſoluit. Totam circuit præcipiti volatu domum, quæritando Cucuius

culices. Sub lectis pensilibus & circum facies dormientium, quas impetere culices assueuerunt, custodum officio, vt quiescere queant inclusi, fungi videntur. Faceta vtilisque ab Cucuiis manat alia vtilitas. Quot oculos quisque Cucuius pandit, tot cãdelarum lumine fruitur hospes. Ad volitantis Cucuii lucernas nent, suunt, texunt incolæ, ductantque choreas. Putant incolæ cantantium concentibus oblectatum Cucuium ad tripudiantium actus, suos & ipsum in aëre motus exercere. Ipse autem pro variis culicum circuitionibus varias necessario cibi causa vias circumambit raptim volitando: legunt etiam nostri ac scribunt ad eam lucem, quæ semper viget in Cucuio, donec habeat vnde bene pascatur. Culicibus vero iã expurgatis aut explosis, eo famescente lumen deficere incipit: idcirco vbi languescere vident eius lucem, ostiolo aperto dant operam vt liberetur & escam quærat. Ioci causa, vel quo vmbras quascunque formidantibus terrorem incutiant petulantes, plærosque aiunt perempti Cucuii carnicula noctu aliquãdo faciem confricasse, obuiam ituri flammanti vultu vicinis exploratis quà erant profecturi, vti apud nos interdùm lasciui iuuenes sumpta in faciem hiante larua dentata, pueros aut paruo negocio pauentes mulierculas deterrere student: resplẽdent enim Cucuii massa facies illinita, more flammæ ignitæ, breui tamen tempore ignea virtus ea languescit, ac extinguitur, cũ sit lucidus quidam humor in tenui substãtia receptus. Est à Cucuio mira commoditas alia: noctu gradiuntur insulares à nostris destinati libentius, duobus Cucuiis ad pedum pollices alligatis. non ineptius pergit viator luminibus Cucuiorũ ducibus, quam si totidem secum afferret candelas, quot lumina Cucuiis patent: Gestat & manu alium quo Vtias noctu quæritet. Sunt Vtiæ cuniculi quoddam genus, paulo murem superantes magnitudine corporis. Quem solum quadrupedem, ad nostrorum vsque accessum, norant, & eo vescebantur.

Magnæ cõmoditates Cucuiorum.

Cucuijs ducibus cunt iter incolæ. Vtiæ quid.

Piscationi

Piscationi etiam, Cucuiis lumen præbentibus, intendunt, cui arti sunt maxime dediti, & in ea ab cunabulis exerciti, quòd tantundem sit vtriusque illorum sexui natare, quod in sicco proficisci: neque mirum, fœminarum partu considerato, quæ dum emittendi maturi fœtus tempus esse cognoscunt, ad vicinum exeunt nemus, ibique arboris alicuius ramis ambabus manibus præhensis, sine vllius obstetricis auxilio pariunt, & fœtum celeri cursu ipsa ipsa mater vlnis raptatum ad propinquum portat fluuium. Ibi seipsam, & natum iterum atque iterum lauat, fricat, mergit, domúmque sine questu, sine strepitu redit, & lactat, singulis dein diebus de more, se partumque sæpe lauat. Id idem vno ordine cuncti faciunt. Non desunt qui ferant prodire alibi parituras ad aquas ipsas, vbi aiunt cruribus apertis partum vt in aquam decidat, expectare: varij varia ferunt in hisce rebus. Dum hæc paulo ante meridiem de lepido Cucuio scriberem, insperatus venit ad me & cum Camillo Gilino, (quem habeo, tum quòd sit excellentiæ tuæ minister, tum ob eius mores mihi gratos, perpetuum contubernalem,) cubiculi Cæsaris ianitor Iacobus Canizares, qui & ipse à primis harum rerum initiis vna cum Palatinis catholicorum Fernandi & Elisabethæ regum non paucis necessariis, rerum nouarum studiosis iuuenibus, cum Colono ipso profectus fuerat, quando secunda septendecim nauium classe habita, prouinciam oceaneam amplexus est: de qua satis latè ad Ascanium. Is inter prandendum Gilino præsente multa narrauit: cum de Cucuio mentionem me fecisse cerneret, inquit, primum se vidisse in insula quadam Canibalica, per teterrimæ noctis tenebras, dum egreßi ad terram in arena iacerent, solum Cucuium, qui super eorum capita prodiens ex vicino nemore adeo reluxisset, vt cernere cognoscerèque ad vnguem se inuicem socii quiuerint: iureiurandoque ait litteras facile ad illius lumen legi potuisse. Fatetur

idem vir autoratus ciuis Hispalensis nomine P. Fernandez de las Varas, è primis habitatoribus Hispaniolæ, quique primus lapideam domum à fundamentis erexit in Hispaniola, legisse literas latissimas ad Cucuii lumen. Nec prætermittam quæ hic de colubrulis paruis tenuibus viridibus quibusdam infensissimis retulerit. Has, inquit, ad arbores itineribus vicinas properanter serpere, quando viatorem sentiunt aliquem eà transiturum, cauda ramum apprehendunt pensiles, & incautum soluentes à ramo se, viatorem adoriuntur, saliuntque in faciem eius, vt oculum illi feriant, neque aliò tendere ingenium ait, præterquam ad oculi fulgorem: sed paucos cadere in eam pestem, quòd longa experientia cautos reddiderit, vt ab arborum suspectarum vicinia transeundo caueãt: desiliisse in se vnam semistupidus prædicat hic vir egregius, læsissetque, ni monitus ab insulari comite læuam in descendẽtem extendisset. Durum aiunt esse spiculum eius. Addunt & hi vera esse quæ de insula solis fœminis arcuariis & suorum littorum acribus tutricibus referta narrantur, certisque anni temporibus ad eas traiicere Canibales generationis causa, neque virum vltra pati ab vtero grauido, & remittere mares, fœminasque retinere: de qua re in primis decadibus mentionem feci, & pro semifabula creditum reliqui. Paulò superius dixisse Alphonsum Argoglium secretarium idem quod Canizares retuli, punctum hic didici egregiũ, tunc, quoniam facta fuit de sacris insularium lata mentio, prætermissum: neque enim vno saltu metam cursor equi transiliuit, aut vno ventorum spiritu naues vniuersum traiiciunt mare.

CAPVT DECIMVM.



VM Regulorum fortuna vigebat, per nuncios & præcones suæ ditionis subditos certis diebus Regulus ad sacra celebranda imperabat asciri. Compti more suo, pictique variis herbarũ coloribus, vti Agathyrsos legimus quondam fecisse, veniebant viri omnes, iuuenes præsertim: fœminæ vero sine vlliũs generis fuco aut pictura nudæ, si incorruptæ, quæ virum admiserant fœmoralibus tantum pudenda tegebant. Sexus vterque lacertos, fœmora, suras, ac talos pro tintinnabulis quarundam coclearum conchilibus insertis suaue inter se per quemuis motum crepitantibus, complebãt. Florum & variarum herbarum sertis capita ornabant, de cætero & ipsi nudi. Ita onusti cocleis terram pedibus concutiendo, tripudiando, cantando, & ductando choreas Regulum reuerenter salutabant, qui sedens in limine portæ vno concutiẽs plectro tympanum venientes suscipiebat. Quum essent suo Zemi, simulachro dico, infernis manibus vti pinguntur simili, sacra laturi, quo purgati numini essent gratiores, batillum quem quisque semper hisce diebus manu gerit, in guttur vsque ad epiglottym mauis vuam demittens, euomebant ac pompam euacuabant ad exinanitionem. Reguli dein atrium inibant, sedebantque omnes coram Zeme regio, per gyros theatrali modo, tanquam in ambagibus Labyrinthi, reductis sub se sutoris more pedibus, Zemem obstipo capite ferè tremebundi præ pietate metuque spectabant, ne ingrata sint numini futura sacrificia orabant. Assueto mox suo murmure vota numini promunt. Zemi astant Bouiti, hi sunt sacerdotes & medici, habitu à cæteris dissono. Dum hæc ita in Reguli tympanistriæ atrio gerebantur, fœminæ alibi placentis offerendis intendebant,

Ornatus festiui.

Reuerentia simulachro exhibita.

Bouiti qui.

dato per Bouitos signo, chorizantes hymnosque suos, quos dicunt areites, cantando cum canistris perpulchre intextis placentas offerunt variis floribus sertatæ fœminæ. Ingressu circumambire sedentes incipiebant, hi ut repentino saltu eleuati, vná cum fœminis per suos areites Zemen laudibus extollebāt miris, & Reguli præclara gesta maiorum cantando recitabant. Zemi dehinc agebant pro præterita beneficentia gratias, supplicesque petebant vt fausta faceret futura, genu flexus demum vterque sexus placentas numini offerebant, susceptas Bouiti sanctificabant, in totidemque frustula scindebant, quot ibi capita hominum reperirentur. Portiunculam quisque suam intactam afferebat domum, totoque anno pro re sacra seruabat. Malefaustum multisque ignium & furacanorum turbinum periculis obnoxiam fore domum, illam ex Bouiti persuasu opinabantur, quæ simili frustulo careret. Sed audi aliud non leue ridiculum: à numine ligneo vel gosampino farcito (vti ab Apollinis oraculo simplex antiquitas) ore aperto pendentes responsa post oblationes spectabant. Si vel spiritu forte inclusa, vel à Bouitis delusi, vocem prodiisse ab Zeme sibi persuaserant, quam pro libito Bouiti interpretabantur allatis in laudē vocibus, alacres cātando psallendoque exibāt: diem totum ludos & choreas exercendo in aperto consumebant. Sin autem, demisso capite mœsti, Zemem esse iratum arbitrantes prodibant, & pro graui portento silentium id suscipiebant, morbos inde ac iacturas formidabant alias, &, si bellum ingrueret, infœlices tremebant euentus. Cum sparsis vterque sexus crinibus ac suspiriis, largo etiam lachrymarum lapsu, abiectis ornatibus, prodeuntes ieiuniis & rerum dulcium abstinentia se vsque ad extremum langorem macerabant, donec Zemi reconciliatos esse sentirent se. Hæc Iacobus Canizares & laborum socii. Si quid ego existimem, illustrissime princeps, percunctaberis, deceptos à Bouitis dico sacerdotibus &

Tristes efficiuntur tacēte Zeme.

medicis fallaci arte aliqua magica vel præstigiatoria iudica- Fallaciæ
rem. Sunt enim auguriis maxime dediti à maioribus, quibus Bouito-
noctu inferna sese numina frequenter ostentabant, dictabant- rum.
que mandata, vti latè in primis decadibus. Sunt & in putato continenti cerimoniis inanibus alicubi merito referendis implicitI. Ingens flumen Dabaiba, quod vti Nilus per ostia plura in mare dicitur Aegyptium defluere, ita & in Vrabæ aurea Castellæ sinum & Nilo maior delabitur, qui colant incolæ suo loco satis. Ritus ignotos mihi hactenus, per Darienis colonos nuper delatos, referamus. Dabaibe, vti & flumini, simulachro nomen est, huius sacellum ab Dariene distat leucas quadraginta circiter, ab distantibus maxime regionibus immolanda certis anni temporibus reguli mancipia mittunt frequentibus etiam concursibus populi adorant locum. Coram numine suo mancipia iugulant, mox comburunt, gratũ fore simulachro flammantem illum odorem arbitrantur, vti nostris cœlitibus ceræ lumen, aut thuris fumum. Ab irato illo numine citra proauorum memoriam flumina cuncta fontesque inquiunt defecisse: partemque maiorem hominum illarum regionum præ siti & inedia interiisse, qui superfuerunt montanis omnibus locis derelictis, ad propinqua mari æquora descendendo, puteis in littore effoßis pro fontibus vsos fuisse. Idcirco reguli quique tantæ labis memores præ timore pio suos habẽt domi sacerdotes, ac sacella antemuralibus circundata, quæ singulis verrunt & abstergunt diebus, studentque ne in eis mucor aliquis, aut situs nec herba quidem, aut sordes alia insint. Quando à suo regulus simulachro particulari, soles vel pluuias, aut simile aliud, quo indigeat vicinia, cogitat exposcere, cum suis sacerdotibus pulpitum in sacello domestico situm conscendit, inde non discessuri, donec à numine exorato postulata impetrarint, precibus efficacibus & ieiuniis acribus instant, efflagitant, vt

voti compotes efficiantur, ne deserantur, orant supplices. Cui deo fundant suas preces interrogati, ei qui cœlos solemque ac lunam & inuisibilia cuncta creauit, & à quo bona cuncta procedunt, respondisse prædicant Hispani præsentes. Eius creatoris, Dabaibam generale in illis regionibus numen, genitricẽ fuisse inquiunt. Interea dum regulus & comites templo astãt orantes, populus quatriduanis sese, ita persuasus, macerat grauibus ieiuniis, nihil enim cibi aut potus eo tẽpore sumit. Quinto vero die, ne stomachus tanta esurie angustatus grauetur, solam ex maiicia farina liquidæ pultis sorbitionem ventri porrigit, quo paulatim defectas resumat vires. Sed auditu non ineptum est quo ad sacra vocentur modo, quibus ve instrumentis vtantur. Auri sacra siti vrgente, ierunt vna dierum Hispani coacta valida manu armatorum, ad eius Dabaibæ fluminis ripas percurrendas. Ab regulo in quem inciderunt profligato, auri pensorũ habuêre millia circiter quatuordecim in varias deductorum formas, perpulchrè laboratas, inter quas tres tubas aureas, totidemque aureas repererunt campanas, campanarũ vna pensorum erat ponderis sexcẽtorum, minores aliæ. Interrogati ad quid ministerii tubarũ & campanarum opera vterentur, ad festorum dierum & ludorum læticiam excitandam tubarum concentibus vti solere respondisse ferunt, campanarũ verò strepitu ad populum ad sacra vocandum. Campanarum linguæ more nostro fabrefactæ videbantur, sed candidæ adeo lucidæque vt primo aspectu, nisi longitudo obstitisset, ex vnionibus aut vnionum conchilibus factas fuisse putassent nostri, ex piscium ossibus formatas intellexerunt. Suaui aiunt ac dulci sonitu mulceri audientium aures, licet auri tinnitus hebes esse soleat. Labra campanarum agitatæ linguæ lambunt, vti videmus in nostris. Aurea mille tercentum, more nostrorum, tintinabula sapide resonantia, braculæque aureæ quibus includunt nobiles virilia, funiculo post tergum ligatæ

Creatorẽ rerum fatentur & colunt.

Vehemẽs ieiuniũ.

gosampino, inerant prædæ. Sacerdotibus eorum expedit ab omni luxu cauere, si quis à casto consilio polutus reperiretur, vel obrutus lapidibus interiret, vel cōbureretur, deo illi satori placere pudicitiam arbitrantur. Quo tempore ieiunatur & orationibus intenditur, lota fricataque facie, cum aliâs picti semper ambulent, manibus atque oculis in cœlum erectis viuitur, & non à pellicibus modo aut aliâs actu Venereo, sed ab vxoribus ipsis abstinent. Viri sunt adeo simplices, vt animæ nomē imponere nullum sciant, neque vim eius intelligāt: vnde quidnam id inuisibile sit ac non intelligibile, à quo membra hominum ac brutorum moueantur admirati mußitāt: nescio quid arcanum post vitam corporalem victurum esse aiunt. Id nescio quid credunt post peregrinationem hanc, si sine labe vixerit, creditamque sibi massam ab iniuria in quenquam reseruauerit, ad æternam fœlicitatem quandam iturum: econtra si de trudi aliqua cœnosa libidine, aut violenta rapina vel excandescenti furore illam patietur, paratas mille torturas aiunt in tetricis locis, sub centro reperturum: & hæc dicēdo manibus eleuatis cœlos ostendunt, dein demissa dextra terræ vterum signant. Condunt sepulchris cadauera. Sequuntur viri bustum viuæ ex vxoribus plæræque. His habere licet quotquot libet, affinibus & propinquis exceptis, nisi viduæ sint, vnde superstitione quadam ridicula imbutos esse reperer ūt. Crassam, quæ in plenilunio in globo lunari spectatur, maculam, hominem esse puerascunt, & credunt ad humentem ac gelidum lunæ orbem proiectum, quo ibi perpetuo inter duas paßiones eas, frigidam & humidam torqueatur, ob incestum admissum cum sorore. In sepulchris supernè fossulas linquunt, in quas fundūt quotannis maiicii grani pusillum, & vini suo more confecti sorbitiones, profutura hæc suorum vita functorum manibus arbitrantur. Sed barbara quaque barbarie crudelius audi facinus. Si lactantē contigerit matrem aliquam interire, admotum

Sacerdotum absti nentia gratis.

Ridiculū de lunæ globo nigro.

vberibus fœtum vna viuum sepeliunt. Vidua vero fratri prioris mariti vel propinquo alicubi nubit, si præcipue liberos reliquerit. Sacerdotum fallaciis decipiuntur facile, inde mille ineptiarum genera religiose obseruant. Hæc in magni fluminis Dabaibæ latis regionibus. Sed audi huiuscemodi alia, mihi proxime relata per antoratos viros, qui australia illius terræ perlustrarunt littora, ab Aegidio Gonsalo & ab eius consociis prætermissa, scitu tamen digna: præter Aegidium namque ipsum & alii varias earum vastitatum oras & nationes cum claßibus, vti sæpe dixi, vestigarunt. Apud earũ partium regulos præter cæteros errores fatuos vno nusquam lecto vel audito hactenus contactos esse cognouerunt. Reges & optimates habere animas immortales edocti sunt alicubi, cæterorum animas cum corporibus credunt interire, familiarium necessariorum ipsorum principum exceptis, & eorum tantum qui heris obeuntibus, tumulari se viuos vna cum dominorum bustis patiuntur: persuasos nanque maiores eorum reliquerunt, quod regum animæ, veste corporea exutæ, ad perpetuas delitias per amœna semper vireta lætæ, cõmedendo, bibendoque ac ludis & choreis puellaribus, more prisco dum viuerent vacando, deambulent, ac pro certo habent. Inde certatim sese dedunt in dominorum sepulchra multi præcipites, quod si facere, veluti de regum vxoribus aliquando diximus in regionibus aliis, distulerint familiares, ex æternis temporaneas fieri suas animas arbitrantur. Regum & primatum hæredes in regionibus illis funeralem renouant quotannis ex veteri consuetudine pompam: ea hoc pacto instruitur & exercetur. Cum populo & vicinia regulus, vel è primatibus quicunque sit, ad busti locũ conueniũt, vini suo more cõfecti, & escarũ omnium copiam ingentem pompæ structor affert. Ibi sexus vterque, sed præcipue fœmineus, noctem illam insomnem totam agit, modo rithmis tristibus & næniis de-

Fatua superstitio de animabus.

Quo pacta renouent quottãnis funerales exequias.

mortui casus infœlices deplorãdo, si obierit in bello præsertim ab hostibus peremptus (perpetuis nanque sese inuicem odiis capitalibus conficiunt, licet paruo contenti viuant.) Tunc victoris hostis vitam & mores lacerant iurgiis & contumeliis rabiosis, tyrannum, crudelem, & proditorem appellãt, qui per insidias, non per virtutem animi aut viribus corporis dominum ipsorum superauerit, diocesimque depopulatus fuerit. (Is est enim illorum barbarus mos.) Hostis mox afferunt simulachrũ, & conficta pugna in statuã sæuiũt variis incursionibus: demũ in frusta secant, in sui Domini vita functi inanẽ vindictam. Ad esum & potũ hinc se ad ebrietatem & crapulam vsque conuertũt. (Ex granis & herbis quippe inebriantibus varias confingunt potiones, vti apud Belgas ceruisia ex lupulis & frugibus, & apud Cantabros sidra ex pomis conficitur.) Ad choreas & lætos cantus post hæc deueniunt ad lassitudinem extremam, sui domini virtutes miris laudibus extollendo, quòd bonus fuerit, quòd liberalis, & sui populi amantissimus, quòd sationum, segetum, & frugum omniũ distribuendarũ ad populi commodum, studiosus fuerit. (Ea est enim regum primaria cura,) quòd in re bellica strenuus miles & sagax imperator. Ad luctus iterum reuersi, ab exordiariis rithmis deplorant mortuũ vocibus elatis dicendo: quis te nobis, inclite princeps, eripuit? proh diem infaustum qui tanta nos fœlicitate priuauit, proh nos miseros, qui talem patriæ patrẽ amisimus: his & similibus proclamatis, ad præsentem versi principẽ mira de illius meritis & bonitate cæterisque virtutibus promũt, & vagis saltibus ac tripudiis, vti Bacchanales furiæ, circumeũt regẽ, inspiciũtque reuerẽter & adorãt, tot malorũ præteritorũ præsens & futurum in eo se intueri remedium & solamen afflictionum inquiunt: adulatorum more, illum appellant elegantissimorum elegantiorem, formosorum formosissimum, liberalium & liberalissimum, pium, benignum, omnes vna voce

cõcinnentes esse illum præconantur, & similia multa. Elucescente vero die prodeunt è tectis, paratam ibi cum defuncti simulachro reperiunt nauim vnilignеam, sexaginta remigum amplius capacem. Sunt nanque illic arbores valde proceræ, citreæ præsertim earum terrarum familiares, de quarum excellentibus prærogatiuis nuper vnam didici hactenus ignotam mihi. Citreas aiunt tabulas, præter cæteras earum vetustas laudes, esse tutas, quòd amari sint gustus, ab infausta colubrularum peste, quæ nauium sentinas, vbicunque sit mare cœnosum, corrodunt & terebrant cribo terebrato infœlicius. Has colubrulas vocat Hispanus bromam. Dictam defuncti nauim potibus herbisque ac fructibus viuenti gratis, piscibus & carnibus ac pane refertam, regis œconomi & dispensatores tenēt foris paratam, interea dum exit pompæ constructor: exeuntes inuitati, humeris nauim circumportant circumeundo atrium. Mox in loco eodem à quo nauim gestandam eleuarunt supposito igni cum inclusis rebus comburunt, fumum putant eū demortui animæ gratissimū fore. Tūc fœminæ omnes vino repletæ immodico, sparsis crinibus & pudendis penitus detectis intēperāter lento gradu modo, properāti modo despumātes, tremulo crure, interdū parietibus inhærētes, cadentes aliquādo lapsu impudenti debacchantes, sumptis demum virorum telis obstrepentes vibrant excutiuntque hastas, missiliaque ac sagittas tractant, insano discursu nunc hac nunc illac atrium quatiunt: posthæc lassæ pudendis minime contectis prostrant se, ac dormiunt ad saturitatem. Hæc præcipue in insula maris australis dicta Cesuaco, quam obiter adierunt nostri duce Spinosa. Sed omissum aliud, licet non sat candidum non est tacendum. In his intenti dementiis iuuenes, areites, hi sunt ludi, cum cantibus exercendo, virile sibi membrnm, cum vnius piscis nomine Hispano latinoque raia, græce bitis, acuta spina perforant medium, saltibusque ac tripudiis sese agitādo sanguine

Inepti gestus mulierum.

Insula cesuaco.

fluenti, atrii pauimenta irrorant. Puluere demum superimposito, ad id remedii reperto à bautis, qui chirurgorum, medicorum, & sacerdotum officiis funguntur, citra quatriduum allata sibi vulnera curant. Sunt in illis terris callidi magi, augures que, neque rei cuiquam initia præstant inaugurati: siue venatui aut piscationi auroque ex aurifodinis legendo, siue in vnionum conchilibus quærendis cogitatum dirigant, pedē mouere minime audebunt, nisi artis eius magister Tequenigna (est nomen dignitatis) prius nutu suo tempus adesse significauerit. Nullus affinitatis aut propinquitatis alterius modi gradus est apud hos vetitus, licet alibi abstineant, & coeunt cum filiabus parentes, cum sororibus germani (parentum vxores, etiamsi matres sint, hæreditario iure cum cæteris facultatibus hæredes assequuntur,) Obscœnos tamen & palam pathicos esse aiunt. Est & alius alibi mos, qui & in insulis nostris, Hispaniola, Cuba, Iamaica, viget. Ea liberalior & honoratior habetur, quæ viri potens plures in coitum admiserit, profusiusque sese prostituerit. Dant exempla non pauca, sed vnum est gratiosum. Ab Iamaica in Hispaniolam quidā Hispani admixti barbaris Iamaicanis, transfretabāt, è fœminis erat vna formosissima, quæ se ad eum vsque diem intactam seruauerat, eratque castitatis amatrix. Ex composito in illam conuersi Hispani auaram ac sui honoris male cupidam appellare cœperunt. Fuit petulantum iuuenum lascivia & scurrilitas ea, vt in rabiē fere puellā verterint, statuit inde suo prostratu quotquot coire vellent expectare. Ab illo dimicatu renitens primò puella munificentissime sese habuit cum efflagitantibus amplexus. Est in vtroque sexu auaritiæ nomen infame in his insulis. In continenti vero pluribus in locis è cō uerso. Sunt castitatis vxoriæ amantes. Hinc Zelotypi adeo vt peccantes vxores iugulo pœnas luant.

Nullum obseruāt gradum affinitatis,

Mulieres laudem ex effusa impudicitia venātur.

Prodigioso monstro portionem tuam Illustrissime Princeps

claudimus. Quæ supersunt, aut inter scribendum si emerserint aliqua, dicari sibi pontifex maximus, suo membraneo diplomate nuper ad me delato imperat. Est fonti Dabaibæ amnis proxima regio, nomine Camará vltima producta. Memoria viuentium proditum est maximam ventorum & turbinum ab Oriente vim exortam in ea regione repente, quæ arbores quascunque obuias radicitus euelleret, domos multas, ligneas præcipue per aëra raptaret. Ea vi, deportatas ferunt in regionem volucres duas, decãtatis strophadum harpiis fere similes, quòd virgineo vultu, mento, ore, naso, dentibus & leui supercilio, oculisque venerandis & facie constarent. Tãtæ molis fuisse vnam inquiunt, vt nullius arboris ramus potis esset accedentem sustinere, quin frangeretur: immo & aiunt illius pondere in rupium saxis quo pernoctatura se conferebat, extare vnguium vestigia. Sed quid hæc recolo? non difficilius viatorem prehendebat vnguibus hominem, ad celsaque montium culmina comedendum ferebat, ac milui solent raptare pulliculum. Alteram, quòd minor esset, maioris fuisse prolem arbitrantur. Hispani qui regiones illas ad quadringentas vsque leucas ab ostio huius fluminis claßibus vecti peragrarũt, allocutos fuisse multos, qui peremptam viderint maiorem profitentur, probati præcipue viri quos sæpe memoraui, iureconsultus Corrales & cantor Osorius ac Spinosa. Quomodo autem à tali tantaque se peste Camarani Dabaibenses liberauerint, non ineptum est auditu. Quum sit excitatrix ingeniorum neceßitas, perimendæ rapacis volucris, historiâ dignißimam inuenerunt Camarani viam. Celsam scindunt trabem, in vna eius cuspidum virilem sculpunt effigiem, (sunt nanque artis imaginariæ cuiusque periti) trabem in via proxima itineri, quo prædam quæsitura ex vertice montium se prodigiosa dimittebat auis, effossa scrobe per lucidam sub clara luna noctẽ figunt, solo virilem formã supereminere permittunt. Alerat

De duabus auibus prodigiosæ immanitatis.

silua densa via proxima, latent ipsi arcubus & missilibus paratis ad ictum in insidiis. Ecce sub exortu solis monstrum horrendum: ruit ab alto æthere ad prædam inanem: simulachrum adoritur, prehendit, stringit, vngues ita infixit vt euoluere sese nequiuerit, donec ab latebris insilientes barbari, tot illam sagittarum ictibus confixerint, vt cribro terebratior euaserit. Exoluta tandem in vicino cecidit exanimis: rudentibus colligatam & longis hastis appensam, portarunt humeris occisores per viciniam vniuersam, quo à concepta formidine animos liberarent, sciantque tuta esse itinera, quæ rabida volucris fecerat inuia: pro diis habiti sunt interfectores, fuerũtque ab populis illis honorifice, nec sine oblatis muneribus suscepti, vti apud gentes accidit multas, vbi leonis, vrsi, aut lupi alicuius interfecti signa gerenti dona præbentur ab vicinis, qui ab ea fera iacturas expectabant. Magno virili fœmori aiunt ei fuisse crassiora crura, sed breuia, vt in aquilis & rapacibus reliquis. Iunior matre perempta nusquam visa fuit. Iam valeat excellentia tua, cui opto vitam in auito regno tranquillam.



CLEMENTI SEPTIMO PONTIFICI MAXIMO PETRI Martyris Anglerii Mediolanensis Protonotarii, Cæsarei Senatoris, Octaua Decas.

CAPVT PRIMVM.

Breue papale.

BEATISSIME pater, ab anulo piscatoris de more Pontificum habui membraneum à Beatitudine tua diploma: duobus id concluditur capitibus: de rebus ex orbe nouo ad suos prædecessores à me directo vno laudatiuo, imperatiuo altero, ne patiar ab obliuionis vasto hiatu cætera quæ successerũt absorberi. Ab obsequendi desiderio laude me dignum esse non inficiabor, ab inornato dicendi modo si non laudem, veniam tamen promerebor. Ciceronianos optassent hæc talia tantaque spiritus, vti sæpe in priorum discursu protestatus sum, vulgaribus ego tegminibus, quòd sericea vel auro intexta non assequar, venustißimas amiciui Nereides, Oceani dico gemmatas insulas ab orbis initio latentes. Priusquam id Beatitudinis tuæ mandatum ad manus meas peruenisset, ad Franciscum Sfortiam Vicecomitem, mei natalis ducem (quando eius fortuna liberũ à Christianißimi Regis animo indefesso sinebat,) illius apud

Excusatio de stilo.

Cæsarem negociatoribus exigentibus, pleraſque ſignificationes, quæ Adrianicas ſubſequebantur, à Beatitudine tua lectas direxeram. Nunc vero meas vigilias ad Beatitudinem tuam deſtinaturus, operæ precium fore ratus ſum, ſi hæc præſentia præteritorum exēplaribus, licet alteri dicatis, municro: vti ſolet antiſtitum & purpuratorum eccleſiæ principum caterua gradientem anteire pontificem, ita ducalis hæc viam aperiet. Quæ poſt illas à diuerſis rerum participibus, de virorū caſibus enarrata, de quadrupedibus, auibus, inſectis, arboribus, herbis, gentium ritibus & moribus, & arte magica, præſentique nouæ Hiſpaniæ ſtatu, & variis claſſibus, percipiat tua Beatitudo, ab cuius imperio nulli viuentium licet impune retrocedere. Citemus primo quid Franciſco Garaio, Iamaicæ inſulæ, quæ nouo nomine ſancti Iacobi dicitur, gubernatori, (cuius abbatialem Antiſteā Cæſaris benignitas mihi nuper impartita eſt,) ad Panucum fluuium contra Fernandi Corteſii voluntatem deducere coloniam cogitanti acciderit, tandemque ad necem traxerit: Mox quò Aegidius Gonſalus, à Septentrione deſideratum tantopere fretum quæritans, & Chriſtophorus Olitus, de quibus pauca tetigimus in ducali praeunte, appulſi fuerint. Dein de Petro Aria putati continentis gubernatore idem quærente, aliquid dicemus. Citabimus mox Licentiatum Marcellum Villalobos in Hiſpaniola ſenatus Indici Iudicem, & familiarem eius Iacobum Garſiam Barramedam, qui ab Fernando Corteſio Hiſpaniæ nouæ gubernatore nuper veniens, magna quædam retulit. Vocabuntur in hanc aream alii multi, quos inter proferetur frater Thomas Hortizius bicolorum fratrum dominicorum vnus, egregia probitate vir, qui apud Chiribichenſes putati continentis incolas diu verſatus eſt. Nec omittetur Iacobus Aluarez Oſorius genere clarus, antiſteæ Darienenſis ſacerdos & dignitate cantor, qui & ipſe duce Spinoſa per vaſtitatem illā auſtralis pelagi cū ſummis

Octauæ Decadis ſumma.

rerum & discriminum angustiis & in Dabaibæ region
bus indagandis non paucos consumpsit annos. Ab horum &
huiuscemodi auctoratorum virorum absentium nō breuib
voluminibus, & viua voce ad negocia venientium ea coll
go, quæ mihi tres Pontifices & principes alii vt ea vobis sig
ficem imperatis. Garaii ergo vitam & obitum infœlicem
fronte narrationis locemus. In libellis præcedentibus ad A
drianum arbitror Pontificem tuæ beatitudinis prædecessore
directis, pluribus in locis dictum est inter Fernandum Corte
sium Hispaniæ nouæ magnarumque in ea prouinciarum d
mitorem, & Garaium hunc occulta intercessisse odia; quò
Garaius vicinas Cortesii ditioni terras Panucas occupar
velle videretur. Diximus etiam Garaium ipsum cum summ
iactura fuisse bis ab incolis Panuci magni fluminis habitato
ribus fere nudis profligatum, appulsumque toties profugum
ad Fernãdi Cortesii potestatem, & rebus necessariis cum ege
ret ab eo fuisse recreatum, vti ex meis & ipsius Cortesii scri
ptis, quæ per Christianũ orbem vagãtur, late patet. Quatuor al
Indis appulsæ sunt naues, & ab laborũ ac ærumnarũ partici
pibus literas, & ab redeuntium viuis vocibus, Garaii discur
sum habemus. Is octauo decimo Kalendas Iunii Panuci ma
gni fluminis iam noti ripas, ex Cæsaris permissu occupaturus
vt diu versatam animo coloniã ibi deduceret, discessit ex Ia
maica nouo nomine sancti Iacobi insula ab eo diu recta, cum
classe nauium vndecim, quarum sex centum viginti & cen
tum quinquaginta cuparum erant capaces, eius generis quas
Hispanus vocat Carauelas duæ inerant, bergantini biremes to
tidem: militum vero numerus, equitum quatuor & quadra
ginta supra centum, sagittariorum peditum tercentum, sclope
tariorum ducentum, scuta cum ensibus gestantium ducẽtum,
Cubam versus quæ Fernandina dicitur tetendit. Cubam can-
cri tropicus scindit. Iamaica est illi australior intra Zonam
falso

falsò torridam, à maioribus appellatā. Est Cuba duplo fere longior Italia, vltimum eius angulum portuosum occidentalem nomine Caput currentium captauit Garaius, aquam recentem & ligna herbamque ad alēdos equos sumpturus, ibi dies aliquot moratus est. Non longo nimis tractu distat angulus ille ab nouæ Hispaniæ primis limitibus, quibus nomine Cæsaris imperat Cortesius, vnde intellexit in Panuci ripa coloniā Cortesium erexisse. Centuriones accersit Garaius, consilium ineunt, quid facto sit opus deliberant. Quærendas nouas terras, quandoquidem multæ patent, timendamque Cortesii fortunam censuerunt quidam, cœptam prouinciam non esse deserendam cum diplomatibus præcipuè Cæsaris, quibus Garaianam assentitur vocari debere prouinciam, consuluerunt alij. Vicerunt eorum suffragia qui deteriori adhæserunt parti: placuit Garaio perniciosa sociorum sententia. Centurionum animis indagatis condendæ reipublicæ inane simulachrum exercuit, magistratus diuisit, quo primarios promptiores oblatis honoribus efficeret. Vmbratilis coloniæ rectores creat Alphōsum Mendoçam don Alfonsi Pachieci Spatensium quondam magistri nepotem, & collegam illi tradidit Fernandum Figueroam Castri Cæsaris ciuem non humili cōditione ortum duosque alios ex Cuba insula seductos. Prætorem vero vrbanum erexit Gonsalum Ouaglium nobilem Salamantinum ducis Albæ propinquum, & Villagranum regiæ domus veterē familiarem, & Iacobum Cisonteum è plebe virum, sed industrium & prudentem. Creauit è populo & milites executores, quos Hispanus alguazillos nūcupat, ac ponderum & mēsurarū correctores ædiles. Iureiurando sibi hos omnes astrinxit Garaius in Cortesium, si forte armis agendum foret, aut vi alia. Ita spe vana decepti, fortunæ, casuum, & artium Cortesii non bene gnari, vela faciunt: si oblatam sortem cognouissent, beatam illis fortuna frontem obtulit.

Gradus Cubæ & Iamaicæ.

Perniciosa sententia placuit.

Contra Cortesiū consultatio.

Exorta est ab Austro tempestas quæ naucleros fefellit, applicatis nauibus ad terram in fluuium incidunt Panuco paulo minorem, Panucum esse arbitrantur. Distabat is à Panuco ad Septentrionem, quo illos vis ventorum transportauerat, leucas forte septuaginta versus Floridam tellurem notam iamdudum. Die vigesimo quinto Iunii, quo sui protectoris apud superos diui Iacobi solemne celebrat Hispania, fluminis eius fauces ceperunt, anchoras iaciunt, palmas in littore reperiunt, palmarum fluuium appellant. Gonsalo Docampo Garai sororio vestigandi vicina negocium datur, separant à classe biremem paruo egentem fundo. It aduerso flumine Docampus spaciō quindecim leucarum, triduum consumpsit, paulatim ascendēs multos reperit in id maius flumen recipi alios amnes, incultam ac inutilem & desertam esse terram, vt qui oculos fixos habebat in Panucum, mētitus est. Populis quippe refertam, amœnam ac bene fortunatam eam esse prouinciam postea didicerūt. Fides est mendaci præstita, Panucum versus profectio statuitur. Equi fame languidi erant, è nauibus extrahuntur cū plærisque peditibus. Nautis mandatur vt in prospectu littoris velificent semper, ac si super vndis imperiū haberent. Terrestre iter capit ipse Garaius Panucum versus ordinibus structis, ne, si qua vis incolarum repente insiliat, imparati reperiātur. Tribus primis diebus nil cultum reperere quà proficiscebātur, horrida erant omnia, quia palustria cœnosaque. Nauigabilis alius amnis efficitur obuius, celsis montibus circumuallatus, inde Montaltum dixêre fluuium. Natando partim, coniunctis & colligatis inuicem trabibus partim traiecerūt, tandem cum summo discrimine ac labore, trans flumen id a longe pagum ingentem cernunt, componunt acies, prodeuntque gradatim, sclopetariis & reliquis militibus eminus feriturus, in fronte locatis. Nostris accedentibus pagani domibus relictis aufugiunt, commeatibus patriis repletas inuenerunt

Palmarū fluuius.

Fluuius Montaltus.

domos, fame iam languidos & labore itineris fessos milites & equos recreat Garaius. Ex reliquis viatica secum portat.

CAPVT SECVNDVM.

DVOBVS escarum generibus sua fulciunt horrea barbari, frumentario patrio quod maiicium sæpe diximus appellari, panicio insubri simile, ac pomis odoris nobis ignoti acrodulci sapore, vtilibus & fluxui restringendo aptis, vti de sorbis & baccis corneis legimus & experimur, sunt malo aureo aut cotono nil minora, Guaianas vocat incola genus id fructuum. Trans fluuium Montanum per incultas gradientes terras in lacum inciderunt magnum, qui per profundum gurgitem necubi vadosum demittit in vicinum pelagus aquas. Aduersis lacus eius ripis conscendunt ad leucas triginta ab ostio fluminis, tentant vada quia nouerant in lacum flumina inferius labi plura, eum summo labore ac periculo seminatando trãseunt. Lata planicies offert sese. Cernũt alonge pagum ingentem. Ne vti priores formidine tacti aufugerant, sistere agmen iubet Garaius, figunt sub dio vexilla, præmittit interpretes Garaius quos anno superiore his terris vicinos habuerat, idioma iam Hispanicum callentes. Eius pagi habitatores in amicitiam oblata pace trahit. Maiicio pane ac volucribus prouincialibus & fructibus onerãt nostros incolæ. Obiter in pagum incidunt alium, vulgata fama quòd ab iniuria nostri abstineant, securi expectant, præbentque non ad saturitatem commeatus. Contra Garaium prætorem fere tumultus exortus est quòd in prædam pagum dari non pateretur. Tertio flumini gradientes occurrunt, in eius transitu octo amiserunt equos vi torrentis raptatos. Inde vastas inueniũt paludes cœnosas noxiis culicibus, variis refertas bexucis,

etiam herbis tenacibus implicantibus & irretientibus crura viatorum. De hac bexucorum naturæ prouidentia in ducali progressu late. Cingulo tenus mersi pedites, equites ad vterũ, semilanguidi transierunt. Vbere gleba fortunatas iam terras ineunt, frequentibus ob id cultas pagis. Nemini passus est Garaius damnum inferri. Garaij famulus à manibus quidã, euasus à tanta strage, quantam infra describemus ad Petrum Spinosam Garaij œconomum & filiorum eius vita functi nunc procuratorem apud Cæsarem, latam scribit epistolam, in qua dolore plena, sed more faceto verba hæc de illius itineris difficultatibus alludentia, latinè profert. Venimus ad terram miseriæ vbi nullus ordo, sed sempiternus labor & calamitates omnes inhabitant, vbi fames, æstus, & culices infesti, cimices fœtidi, diri vespertiliones, sagittæ, bexuci laqueantes, lamæ voraces, limosique lacus nos crudeliter tractarunt. Panuci tandem fluminis infausto puncto captarunt viciniam, sistit Garaius naues spectans, nil esui aptum inuenit. Abduxisse commeatus omnes Cortesium suspicantur, quo sibi aut equis nil inuenietes, aut retrocederent, aut fame perirent. Classis accessum distulit qua necessaria vehebantur. Per barbarorum oppida pagosque sparguntur Garaiani vt victum assequãtur, suspicari Garaius cœpit aduerso viuere erga se animo Cortesiũ: Gonsalum Docampo sororium quid animi habeant erga se coloni Cortesii tentatum mittit, seductus vel deceptus rediit Gonsalus, tuta omnia & ad obsequium Garaii parata mentitus est. Sororii & comitum cum eo missorum relatu, fato aduerso Panuco propius se applicat. Hic digrediamur parumper quo melius hæc & subsequentia intelligantur. In Panuci huius magni fluminis ripa, non procul ab ipsius faucibus aquas in mare ferentibus, erat oppidum eiusdem nominis ingens, quatuordecim millium domorum lapidearum, maiori ex parte cum atriis regalibus & templis magnificis,

Verba v-ni⁹ ex Garaij primo ribus.

vti est vulgata fama. Id oppidum quod eius mandata detrectasset funditus euerterat Cortesius, combusseratque vniuersum, neque passus vltra est quicquam in eo solo ædificari. Eadem lege oppidum aliud tractauerat aduerso flumine situm ab hoc miliaria circiter quinque & viginti, Panuco grãdius, aiunt domorum viginti millium, solo & id æquauit combußitque, causam nactus eandem. Nomen fuit huic Chiglia. Ab diruta Chiglia superne coloniam Cortesius struxit suam ad milliaria tria in egregia planicie, sed in colle parum edito, sancti Stephani villam hanc appellauit. Nauibus onerariis licet per huius amnis alueum per milliaria multa conscendere. Garaium prouinciales hi bis profligauerant, vti satis late dictum est in præcedentibus, Cortesio autem, cui obuia cuncta sternuntur, obsistere nequiuerunt. Regiones eas fortunatißimas esse prædicant, nec sationibus solum & arborum prouentibus nutriendis aptas, ceruorum, leporum, cuniculorumque & aprorum, aliarumque ferarum multarum altrices dicunt esse, nec minus volucrum aquaticarum & silueſtrium genitrices: montes habent in prospectum altißimos, niuales alicubi. Trans eos fama est cultas iacere ciuitates & egregia oppida in vasta planicie, quam montes illi ab his maritimis dirimunt, subdentur & ipsa ni ebullientia Hispanorum ingenia obstiterint, qui raro conueniunt animis ob elationem ad proprios honores. Quantum sibi quisque studeat in hac obcœcante ambitionis farina, in qua pacato spiritu nemo fert alterius imperium, late satis in his quæ præcesserunt, vbi de simultatibus exortis inter Iacobum Velasquez Fernãdinæ quæ Cuba est, progubernatorem, & Fernandum Cortesium, mox inter Cortesium ipsum & Pamphilum Narbaezum & Grisaluam, à quo flumen accepit nomen, in Iucatana prouincia, de Christophori deinde oliti defectione à Cortesio, post inter Petrum Ariam

Oppida aliquot ingentia cõbusta.

Villa sancti Stephani in Panuci ripa.

putati continentis moderatorem & Aegidium Gonsalum, ultimo loco de cupiditate generali quaerendi freti ab Septentrionali pelago ad australe: concurrunt enim undique qui terras incolunt eas regio nomine duces. Haec suis locis dicta partim, & quae ab his procellis emerserint referetur. Ad Garaiū à quo sumus digressi, reuertamur. Appulsus vicina reperit depauperata omnia, mentitumque sororium de colonis villae

Mala sors Garaij.

sancti Stephani fuisse comperit, quia nil amicum viderit. Garaiani sectatores inquiunt Cortesii ministros de barbarorū pagis commeatus omnes abduxisse, quo fame urgente vel abirēt vel per vicinos pagos spargere copias cogerentur victum quaesituri, uti accidit, neque naues aduerso mari detētae veniebāt. Est in ea regione pagus ingēs domorū circiter quindecim millium nomine Naciapala, in eo pago pabulantem equos Aluaradum, quadraginta equitum Garai ductorem, Cortesiani tanquam alieni soli usurpatorē cum sociis prehenderūt, vinctosque duxerunt ad sancti Stephani coloniam, ab ipsis Cortesii nomine conditam. Inter Scyllam ergo & Caribdim miser Garaius sistit pedem, classem spectaturus. Iam tandem classiarii se applicant ad Panuci fauces, ex undecim tres, quatuor alii aiunt, naufragio periisse. Praetoriam eius classis nauim, duo ex eius prouinciae rectoribus Cortesianis, Iacobus Docāpo praetor urbanus & Valegius ductor militum ingrediūtur scaphis

Iacobus Docanpo & Valegius.

aduecti, paruo negocio classiarios seducunt, ex praetoria reliquas facile trahunt in Cortesii potestatē, aduerso flumine subuehuntur naues ad sancti Stephani coloniam. Dum in his versaretur Garaius, fluminis Palmarum viciniam intellexit esse bene fortunatam, contra Gonsali Docampo sororii sui fallax dictum, immo & Panuceis terminis alicubi beatiorem. Illic

Flumen palmarū fortunatum.

suam deduxisset, Cortesii fortunam tremiscens, Garaius coloniā, ni sororii pervicacia fefellisset. His angustiis Garaius circumseptus quid consilii capiant non intelligit, quo magis re-

petit eam sibi à Cæsare designatam esse, patentibus literis ostensis, prouinciam, eo infœlicius res agitur sua. Suasu gubernatoris Iacobi Docampo nuncios mittit ad Cortesium Garaius, Petrus Canus est nomen vni, Iohanes Ochoa alteri, ex veteribus Garaii familiaribus ille, hic notus Cortesii quondam necessarius earum terrarum experientia gnarus, ab Cortesio seducitur vterque, vti ferunt Garaiani conquerentes. Redit Petrus Canus, restat Ochoa, vt Cortesium adeat Garaius conuentum est. Dixi aliâs quando per famam incertam Hispaniolæ senatus ad Cæsarem & nostrum collegium rerum Indicarum illa scripsit. Miser Garaius licet præsentaneam suam perniciem semicerneret, se iturum animo libenti dissimulauit, quandoquidem vel inuito erat eundum ex tanta vi stomachum deliniuit, annuit Cortesii postulatis quæ vim imperii secum ferebant. Ad Cortesium tendit Iacobo Docampo comitante, qui sedem in lacunari elegerat vasta ciuitate Tenustitana, aliâs Mexico, regnorum multorum capite. Læta fronte suscipitur Garaius, an animo pari, cui corda scrutari proprium est indicet. Audita Garaii calamitate ac discessu gubernatoris, sparsos per eorum domos barbari adoriuntur milites, palantes reperiuntur: necant circiter ducentum quinquaginta, addunt aliqui numero. Lauta sibi struxerunt prandia, sunt & illi anthropophagi. Strage intellecta Cortesius Sandoualum è suis ducibus egregium ad tanti facinoris vindictam cum equitibus quadraginta, pedibus ad rem necessariis misit: Numerū ingentem trucidatorum secuisse in frusta Sandoualus dicitur, neque enim iam audebant in Cortesii aut ducum eius potentiam, quorum nomina formidabant, exerere digitum. Regulos fertur misisse ad Cortesiū sexaginta, (pagus enim quisque suum habet regulum,) vt hæredem quisque suum accersat Cortesius imperat, dicto parent. Hæredibus inspectantibus structo ingenti rogo combussit regulos omnes. Mox vocatis

Tenustitana aliàs Mexico ciuitas.

hæredibus, an latæ sententiæ in parentes interfectores viderint effectum interrogat. Dein vultu seuero vt edocti exemplo ab omni suspicione inobseruantiæ caueant, edicit. Ita deterritos ad sua quemque auita dimisit patrimonia, tributis tamen obnoxios. Hæc hi, paulo aliter alii referunt. Fama namque ab vicino variatur, quanto magis ab orbe altero. Garaium vero Alphonso cognomine Villanoua Garaii quondam famulo à pedibus & ob herilis ancillæ stuprum eiecto tunc Cortesii cubiculario dedit hospitem Cortesius, iussitque honorifice tractari, & quo firmius esset amicitiæ vinculum, legitimum Garaii filium ex transuersò nata Cortesius in generum assumpsit. Ecce Christi natalis noctem, ad matutinos cantus audiendos de more nostro vna Cortesius & Garaius proficiscuntur. In exortu solis re diuina peracta redeunt, non illautum reperere paratum ientaculum, Garaius exiens de templo, ventoso quodam frigore se pressum primò conquestus est, cibum tamen cum sodalibus licet tenuem sumpsit, rediens ad hospitium designatum procubuit, morbus adauctus est, in diem tertium, dicunt alii quartum, suo factori mutuatum reddit spiritum. Non desunt, vti aliàs dixi, qui suspicentur an charitatis opus intercesserit, quo tantis calamitatibus obnoxium à tetro curarũ carcere liberaret, ne adagium illud, Regnum non capit duos, aut, Nulla fides regni socius, frustra dictum iudicemus. Dicunt alii costarum dolore confectum, qui pleuresis à medicis nuncupatur, obisse: vtcunque sit, obiit Garaius inter earum terrarum gubernatores optimus, hac an illac res acciderit, filiis eius, propinquis & amicis è diuitibus in pauperiem delapsis, parum refert. Obiit miser qui tranquillam potuisset transigere vitam & forte longam, si Elisiæ Iamaicæ nouo nomine Sancti Iacobi insulæ gubernatione vetere cõtentus vixisset, vbi summa erat eius autoritas & amor populorum (peruicaci quodã spiritu in vetitum tetendit

Garaij filius Cortesij gener.

Mors Garaij.

qui perbelle callebat suam viciniam fore Cortesio molestissimam) aut si alibi stuppa ipse ab igne flammanti figere pedem longe voluisset in Palmarum flumine, quo vis ventorum fœlicibus auspiciis illum impulerat, si occasionis eius crinitum sinciput apprehendisset, aut in distantiore alias inuento flumine Floridam versus dicto flumine Sancti Spiritus, qui amnes regiones amplectuntur immensas, vberes & populis refertas. Sic erat in fatis, sic fieri oportuit. Sed quandoquidem Elisiam ausus sum appellare Iamaicā, cui Garaius annos præfuit plures, æquum est vt huius decentis nymphæ maritus ego venustæ bonitatis eius rationem reddam. En præpositionis exēplum.

De flumine sancti Spiritus.

CAPVT TERTIVM.



SEMOTAM ORBIS illam partē abstrusam, in qua rerum creatorem deum ex limo terræ primum hominem formasse credimus, Moseæ veteris ac nouæ nostræ legis sapientes heroës paradisum nuncupant terrestrem, quòd nullum ibi, aut fere nullum sit diei ac noctis toto anno discrimen. Non horridus æstus, non hyems rigida, salubris aër, nitidi fontes, clara flumina. Ornamentis his omnibus benigna mater natura sponsam hanc meam decorauit. Variæ præter allatas nostrates sunt ibi familiares arbores fructiferæ, quæ perpetuo gaudent vere ac autumno perpetuo, frondescunt vna & florescunt anno toto arbores, fructusque gignunt & ostēdunt acerbos & vnà maturos. Ibi semper est herbida tellus & florētia semper prata: nulla terrarum tandem est quæ benigniore fruatur cœlorum clementia: Ergo cæteris beatior sponsa mea Iamaica. Longitudine ab Oriente in Occidentem leucarum est sexaginta, decem addunt alij, latitudine verò vbi latior triginta.

Iamaicæ insulæ ampla descriptio.

De satis autem atque hominum industria cultis sementibu[s] miranda feruntur: licet in primis decadibus late sit, quum d[e] Hispaniola similis esset sermo, narratum, & de hortensibu[s] idem, repetere tamen ex his pleraque non excitabit nauseam pontificibus præcipue, sub quorum thronis cuncta hæc indie[s] magis coalescunt, sapidus est omni tempore rerum preciosarũ gustus, quia præsertim ad Beatitudinis tuæ manus loca illa priorum decadum forte non deferentur. Panis, sine quo cæteræ vilescunt dapes, duas habent species, frumẽtarium vnum, radicale alterum, bis & plærumque ter colligitur quotannis frumentarium, triticeo carent. Ab hemina illius grani quod maiicium appellant, ducentum amplius aliquando leguntur. Radicalis est nobilior panis, qui ex iucca radice contrita exiccataque conficitur, ac in placentas, quas vocant cazzabi, reductus ad biennium seruari potest incorruptus. In huius iuccæ radicis vsu mira quædam industria naturæ latet.

Duo panis genera apud Indos.

Ad succum eius extorquendum in sacco posita magnis ponderibus impositis more torcularis comprimitur. Est succus ille, si crudus bibatur, aconito venenosior, & protinus perimit, coctus lacteo est sero sapidior & innoxius. Radicum & habent aliarum multa genera, batatas vno vocabulo nuncupãt, octo ego descripsi alias eius generis esse species, quæ flore, folio, frutice noscuntur. Elixæ valent nec minus assæ, nec male sapiunt crudæ: sunt nostris napis, rapis, raphanis, pastinacis, cariotis, aspectu & illæ similes, gustu dissono ac substantia. Quo tempore scribo hæc, batatarum est mihi dono data copia quædam, Beatitudinem tuam, ni locorum distantia obesset, participem effecissem, tuæ Beatitudinis apud Cæsarem orator portionem eam vorauit. Vir iste inter viros heroas omnium bonorum Hispanorum opinione rarus archiepiscopus Cusentinus, cui sunt hæc quatuordecenne commercio notissima, viua voce, si tuæ Beatitudini libet, poterit aliquando recẽsere. Magnis

De batatis.

Laus archiepiscopi Cusentini.

ianque principibus solēt isthæc colloquia cœnarum sæpe margines extremos reddere gratiores. De cœli temperie, de arboribus & fructibus, de satis, de pane ac radicibus, sat multa. Sed de hortensibus esui aptis quoto anni tempore licet melones, cucurbitas, cucumeres, & huiusmodi reliqua humi iacentia consequi, frequenter dictum est. Amatorio nimis affectu, vero tamen, protendi fimbrias de meæ sponsæ ornamētis: ergo iam valeat ipsa, postergati veniant alii. Accessit nuper & alius vir egregius, cui nomen est Christophorus Perez Herenensis, in Iamaica diu executor iusticiæ miles sub Garaio, Algazillum vocat Hispanus magistratus. Garaio semper hic fuit comes, & morienti affuit. Quæ ab aliis relata sunt de Garaii totiusque exercitus successibus vera esse fatetur. Regressus hic ab ea strage in Iamaicam à Petro Cano Garaii à secretis literas attulit ad Petrum Spinosam Garaii & filiorum actorem apud Cæsarem, in quarum calce Spinosam hortatur monetque ac instat, vt Europeas has omnes terras relinquat, vt negocia quæque deserat, redeatque in fœlicē eam patriam, acsi vt aufugiat ab infaustis arenis ad fortunatissima prædia suaderet: ditem propediem futurum, si dicto suo parere velit, repetens. Addit pleraque Alguazillus hic non prætermittenda. Panucum & Palmarum amnes fere pari lapsu in Oceanum prorumpere, colligereque nautas potabiles vtriusque aquas in mari ad milliaria nouem. Tertium amnem, qui Sancti spiritus à nostris nuncupatur, Floridæ telluri viciniorem angustioris esse aluei, fortunatas tamen circumadiacētes regiones & populis refertas. An casu, an vi tempestatum, an consilio ad Palmarum flumen Garaiana classis appulsa fuerit interrogatus, Austris lenibus respondit impellentibus, delapsu etiam Oceani, quem dixi alias acri defluxu tendere semper ad Occidentem cœlorum rotatus imitando. Ait ergo is Alguazillus, vt Hispanum inseram vocabulum, naucleros

Spiritus Sancti Fluuius.

ipsos regendæ classis magistros superioribus causis decepto Palmarũ flumẽ pro Panuco captasse, donec eius fauces ingres si riparum discrimen intellexerunt, neque defuisse Garai consilium sistendi, coloniamque ibi deducendi, ni comites ob stitissent, affirmat: Panuci fluminis ripas exploratas & re giones eius vberes ac notas esse amplectendas instituerunt. Præsagio tactus infausto Garaius consociis sed male liben assensus est, cum præcipue adderent regiones illas Panuceas à Cæsare sibi designatas, ac regio diplomate Garaianas debere dici nomine æterno permissum esse. Dum in Palmarum fluminis faucibus sisterent in anchoris, & Garaii sororium aduerso flumine spectarent, per fluminis ripas interea è nauibus egressi plærique vagabantur, quæ sit natura terrarum explorando, in noua plæraque incidebant, parui tamen momẽti. Sed vnum inseram: Alguazillus hic in parum distanti agro pabulantem reperit quadrupedem, cato paulo maiorem, vulpino rostro argenteo colore, semisquameum, eo modo phaleratum quo pugnaturus cataphractus armiger equum exornat suum, est iners bellua, viso procul homine hericii aut testudinis more se recondebat & capi passa est, ad naues portata domestice inter homines pascebatur, sed grauioribus succedẽtibus curis herba deficiente desertum animal interiit. Cortesium hic alguazillus sed vultu mœsto, quod tantarum & ipse fuerit calamitatum particeps, à veneni suspicione in Garaium liberat, lateris ait morbo, quẽ pleuresim appellant medici, correptum obiisse. Dum Garaius & ærumnosi eius comites regiones eas peragrarẽt, quæ inter Panucum & palmarum ingentia flumina iacent mediæ, quid esset trans celsos montes illos qui erant in prospectu, terrasque suas vnà & mare circumsepiebant, interrogati accolæ, amplissimas iacere illic planities, & magnarum ciuitatum bellaces regulos illic imperitare retulerunt. Quum vero essemus in Mantua Carpentana,

De animali phalerato.

ua vulgo diciturMadrid,comparatiue dixit alguazillus,quo pacto montes hi vicini prouincias has Carpentanam & Oretanā regiones à Valledoletana Burgensique regionibus dirimunt,in quibus,vti nosti,sunt vrbes insignes & illustria oppida: vti sunt Segouia,Methimna Campi,Abula,Salmantica & multæ præterea, ita ingentia regna ab littoralibus his angustiis disterminari.Italiæ quoque hic alguazillus se noscere fines profitetur,propterea Insubriam dixit eo pacto ab Hetruria Apenninis mōtibus separari.Quonam vero se habitu vestiat Cortesius,quibus ve cerimoniis velit à præsentibus tractari,& quo titulo nuncupari,ac tributa exigere soleat,quos ve thesauros putet habere congestos,& an machinam illam auream colubrinam appellatam viderit,de qua est fama iā vulgata,in hæc verba respondit.Familiari habitu nigro,sericeo tamen indui, nec superbum quicquam ostendere præter numerosæ familiæ spectaculum.Multorum dico œconomorum,dispensatorum,chironomorum,cubiculariorum, portarum custodū,capilatorum,archimensariorum, & hinc cætera magno regi quadrātia.Quatuor secum regulos Cortesius semper quacunque tendat ducit,quibus equos impartitus est,vrbanis tamen prætoribus,& exercendæ iustitiæ militibus sceptratis præeuntibus , eo prætereunte de more antiquo prostrant se obuii quique.Placide quoque ait eum suscipere salutantes,Adelantati magis titulo quam gubernatoris,cum vtroque sit à Cæsare donatus magistratu,gaudet.Popularē curialium nostrorū suspicionem inobseruantiæ in Cæsarem inanem dicit esse hic alguazillus. Nullum se aut quenquam vidisse proditionis in eo signum,immo & paratas reliquisse tres carauelas cū thesauris ad Cæsarem mittendas,vna cum eo tormēto dicto colubrina,quā se diligenter inspexisse fatetur aurei mali capacem, sed arbitrari se non tanto esse fultam auro , quanto fama est.

Cortesii mores.

Prostrantur viso Cortesio.

CAPVT QVARTVM.



VDITV iocosum est quod nunc refer[o] Ridiculo quodam ac simplici more incolæ barbari transeuntes nostros ad itinera ex [pa]gis prodeunt, afferuntque secum totide[m] altilia, quæ sunt nostris pauonibus non m[i]nora, quot sunt viatores, si vero equis insideant carnibus d[e]pasci equos arbitrantes totidem afferunt pro equis altilia. Se[d] audiat beatitudo tua quã argutí sint opifices illi barbari, qu[i] ditioni Cæsareæ Cortesius subegit. Quicquid oculis assequan[]tur ita depingunt, conflant, & fingunt, vt Corinthiis veteri[]bus, qui viuos ex marmore aut ebore alia ve quaque materi[a] deducere vultus sciebant, nihilo cedere videantur. Cortesii v[e]ro thesauros dicit esse non modicos, arbitrari tamen se minore[s] esse quàm fama feratur, quia multos alat centuriones aut mi[]lites, quorum est ordinarius equitum numerus mille amplius peditum vero quater mille, quorum opera vtitur cum ad nu[]per victos sub fræno retinendos, tum ad nouas semper terra[s] vestigandas. In australi etiam pelago immensæ illius vastita[]tis construxisse naues dixit, vt inde lineam tentet æquinoctia[]lem duodecim tantum gradus ab littoribus illis distãtem, quo[d] lineæ proximas & subiectas insulas perlustret, vbi se sperat auri & gemmarum, aromatum quoque nouorum copiam re[]perturum. Tentauerat & id alias, sed à suis competitoribus, Iacobo Velasquez Cubæ gubernatore, mox Pamphilo Narbae[]zo, Garaio demum perturbatus cœptam dicitur deseruisse pro[]uinciam. Tributorum autem exigendorum modus hic est, ex vno exemplo cætera colligentur. Diximus in discursu narratio[]num Tenustitanarum ad Leonem decimum Pontificem ma[]ximũ tuæ sanctitatis patruelem, & successorem Adrianum

Industria incolarũ.

Numerus militum apud Cortesium.

magnipotentem illum regem MutecZumam multos variosque habuisse principes sub ditione sua obsequentes, ingentium & ipsos ciuitatum dominos, hos Cortesius maiori ex parte debellauit, quòd parere recusarent, in regnis tamen eorum è filiis & fratribus aut aliàs propinquis humilioribus suffecit, quo populi veterũ dominorũ simulachra cernẽdo placidius iuga tolleraret. Ex illis ciuitatibus salsæ lacunæ propior est ciuitas dicta Tescucus, quæ viginti circiter milliũ domorũ conuentus est, candido est cigno candidior, quia domus omnes calceo sunt vel gipseo bitumine linitæ, foris adeo lucidæ, vt alonge spectantes qui rem nesciant niuales ibi existiment iacere parũ elatos colles. Quadratam fere aiunt esse ciuitatem hanc, tribus passuum millibus longitudine, latitudine parum dispari cõstare. Huic è proprio veterum procerum sanguine iuuenem præfecit. Otumba paulo cedit Tescuco magnitudine. Dedit & huic ciuitati suum rectorem, natura mitem & dicto parentem, baptiZatum à suo nomine Fernandum Cortesium appellat. Harum ciuitatum magnæ sunt dioceses gleba feraces & auratis fluuiorum arenis nobiles. Quique regulorum ne Hispani suos terminos ingrediantur, quod sine iniuria vix fieri potest, Cortesio præbet ex composito auri pensa quotanis millia sexaginta. Pensum sæpe diximus ducatum quadrante superare. Præbent & de cæteris terræ prouentibus maiicio grano & altilibus ac ferinis dapibus, quibus abundant vicini montes, hoc ordine cuncti tractantur principes, pro sui quisque regni prouẽtibus sua mittit vectigalia. Libertate quoque sua vere frui prouincias pleraque, sine regibus, & auitis viuere legibus, exceptis humanarum victimarum consuetudinibus permittit, à quibus contra MutecZumam suppetias habuit non mediocres. Hæ tamen regiones & ipsæ sua præstant Cortesio vectigalia. Guaxaca regio libera est, auro abundans, ab regia lacunari leucas distans septuaginta. Est & alia huiuscemodi.

De principibus debellatis.

Laus Tescuci ciuitatis.

Quæ tributa dent reguli Cortesio.

Locpoteca nomine, plæræque & aliæ quæ aurea pendent tributa. Habet & ipse Cortesius suo fisco aßignatas aurifodinas, has mancipiorum lacertis exhaurit, liberos ad terræ cultum exercendum, aut artibus mechanicis incumbendum soluit. Sed particulare vnum est dictu gratiosum. Guacinalgo prouincia est & suo regi nomen est idem: Cortesium hic venit cum solo matris comitatu salutatum, nec vacuus quidem. Pesorum auri attulit mancipiorum humeris portata millia triginta, quæ Cortesio dono dedit. Sed quid in obseruantiæ signũ fecerit non est ineptum audire. Fere nudus accesßit, cum alias preciosis more suo vestibus abundet, id esse consuetudinis apud eos intelleximus, vt in humilitatis argumentum impotẽs

Fælix moneta.

potẽtẽ incultus adeat, & capite ad terrã inclinato genuque flexus, semitremul⁹ loquatur. Sed operæ preciũ est audire quã fœlici moneta vtãtur, monetã enim habẽt quam appello fœlicẽ, quòd eius adipiscendæ cupido hiatu terræ viscera minime discerpantur, neque per auarorum ingluuiem aut ingruentium bellorum terrorem ad latibula ipsius terræ reuertitur, vti aurea & argentea. Est namque arborea hæc, de qua late alias & quomodo seratur, transplantetur, cureturque sub nutricis alterius magnæ arboris vmbra, donec adulta ferre æstiuos calores & turbinum impetus sustinere queat. Gignit arbor hæc fructus paruis amigdalis similes, integræ amari sunt gustus, propterea non comestibiles, sed poculum ex ipsis fit diuitum ac nobilium: siccatæ ad farinæ speciem conteruntur, prandiorum vel cœnarum temporibus metretas vel hydrias aut cantaros capiunt ministri, aquã sumunt necessariam, pulueris pro quantitate potus parandi superiniiciunt mensuram, ex vase mox

Monetæ vsus.

in vas mixturam deuoluunt ab alto quantum eleuare lacertos datur, deiiciuntque more cadentis ab imbribus pluuiæ, totiesque pacto eodem concutitur donec spumam emittat, & quo spumosior fit eo lautiorem dicunt euadere potum. Ita

vnius

vnius fere horæ spatio potu illo conuoluto finitur parumper quiescere, quo fex & crassior materia in fundo pateræ aut metretæ sedeat: potus est suauis nec multum inebrians, licet qui intemperanter biberit sensus eum turbare percipiant, vt fumosa nostra vina. Cacahum, arborem & fructum appellant, vti nos auellanam & amigdalam pro vtroque nuncupamus: spumam eam quasi pinguilactis escam Hispanus natam appellat, quam cibi & potus habere vim prædicant. Harum arborum & monetæ particulares regiones sunt altrices, neque enim vbique nascuntur aut satæ vel transportatæ coalescunt, vti de nostratibus videmus fructibus. Mala enim citrea vel medica, quæ vulgo toronias & limones, appellamus, cæteraque huiusmodi paucis in locis procreare fructus aut proficere queunt. A regulis igitur & eorum feracibus terris cacahum est vectigal Cortesio, quo stipendia militibus soluit & pocula conficit ac necessaria comparat. Sed apta huic dono tellus, frumentariæ rei minime confert. Commeat inuicem mercatores, & rerum permutatione agunt sua negocia. Ad eas terras maiicium granum & gosampium ad vestes conficiendas & vestes ipsas important, redeuntque cacaho permutato. De moneta iã satis. Repeto ex his pleraque beatissime pater, ne qui tuo hæc nomine nuncupata conspexerit, Leoninis vel Adrianicis libellis non lectis harum rerum ieiunus euadat. Sunt & qui argentifodinis polleant reguli: Argentea sunt horum vectigalia, è quibus habet Cortesius abbacos onustos, & perpulchre laborata tum ex argẽto tum ex auro toreumata. Horum exemplis intelligat beatitudo tua quid de Cortesio nostro sentiatur. Mœstũ aiũt viuere Cortesiũ ob thesauros ingẽtes à pyratis Gallicis ab hinc anno tertio raptatos, quos ipse ad Cæsarẽ mittebat, inter quæ mira erãt tẽplorum ornamenta, quæ suis illi diis vnà cum victimis humanis sacrificabant. Sed dè gemmis & preciosis lapidibus quid dicemus?

Argenti fodinæ.

Cæteris omißis inerat smaragdus pyramidalis in ima sede, humanæ ferè dexteræ palmam æquans amplitudine, qualem, vti nobis in senatu regio & Cæsari relatum est, visus humanus nunquam est assequutus. Almirantus Gallicus eam dicitur à prædæ raptore incredibili precio comparasse. Sed in miserum raptæ nauis prætorē Alphonsum Abulensem sæuitur inhumanè: iuuenis est nobili genere ortus, sed minime diues, captū retinent tetro carcere clausum, vno innixi argumēto, quod illius fidei talem gemmam & reliquos thesauros crediderint. Ab eo putāt, si redimi velit, viginti se millia ducatorum exigere posse. Qui gemmam norunt nullo auri pondere posse comparari existimant, diaphonam, nitidam & mirè lucidā esse dicunt. In his Tenustitanæ regionibus, quod illic frigus vigeat ob distantiam à mari & altorum montium viciniā, licet intra torridā iaceat ad gradus octodecim, nostrum triticū si seratur coalescit, & craßiores generātur spicæ, grana quoque. Sed cum habeāt tria maiici grani genera, candidum, flauum, rubrum, ex plærisque speciebus amantior est apud eos farina & salubrior quàm triticea. Labruscas etiam habēt in syluis familiares, quæ racemos gignant grādes & sapidos, sed ex eis nondum vina confecerunt. Plantasse vineas Cortesium fama est, quid succedet tempus loquetur.

Alphonsus Abulēsis.

CAPVT QVINTVM.



RAETER Alguazillum hūc prædictum, qui partem satis amplam in hac trutina consequutus est, venit & nuper ab eisdem nouæ Hispaniæ à Cortesio domitæ partibus alter Iacobus Garsias Sancti Lucaris Barramedæ oppidanus. Ex portu Veræ crucis discesisse ait se circiter Kalendas Aprilis anni millesimi quingentesimi vigesimi quar-

Iacobus Garsias.

ii, quo tempore iam Garaius fatis concesserat. Liberat & hic Cortesium à suspitione veneni: eodem dicit laterali morbo siue pleuresi periisse. Cortesium & hic nullum inobseruantiæ signum in Cæsarem ostendere affirmat, vt multi præ inuidia submurmurant. Sed nihil esse Cortesio humilius erga Regem suum ex huius & aliorum relatu habemus, tendere animum ad ruinas resarciendas in magna lacunari ciuitate tempore bellorum factas, aquæ ductus tunc, quo siti vrgerentur peruicaces ciues obsessi, interruptos refecisse, ac pontes dirutos iam compositos esse, domosque multas è disiectis reformatas, pristinamque ciuitatis faciem paulatim resumi, neque nundinas aut fora cessare, cymbarum euntium ac redeuntium eam quæ prior erat esse frequentiam. Negociatorum multitudo iam ingens, vt cum MutecZuma regeret fere par esse videatur. E regio sanguine virum populi causas suscipere permittit, pratorioque sceptro vti, sed inermem. Quãdo inter nostros vel apud Cortesium vir iste versatur, vestibus Hispanis à Cortesio donatis induitur: dum apud suos domi, solito natali suo more vestes sumit. Prætoriam Cortesii cohortem ad sui corporis custodiam & sedandos tumultus, si exoriantur, designatam quingentorum equitum & peditum quadringentorum constare dicit, centuriones vero plures mari ac terris ad diuersa sparsos negocia cum suis quemque copiis absentes esse, inter quos Christophorus est Olitus, de quo aliâs, & paulo post reliqua eius facta dicemus. Quid vero parte alia missus centurio alter Aluaradus nomine egerit, pulchrum est & illustre auditu. Diximus aliquando inter Iucatanam, quæ initium est nouæ Hispaniæ à Cortesio sic nominatæ, Cæsare confirmante, ac vastitatem putati continentis iacere sinum ingentem, quem aliquando arbitrati sumus exitum habere ad Australes oras eius terræ: in quo etiam sinu Aegidius Gonsalus Abulensis ad hanc vsque diem putat posse reperiri latũ aliquod flumen

Prætoria cohors Cortesii.

absorbens aquas eius magni lacus potabilium aquarum, de quo late in libello ab Archiepiscopo Cusentino tuæ Beatitudini porrecto, inque præeunte ducali enarratione: eius sinus angulum Figueras iamdudum scitas appellant. In huius latere occidentali per varios incolas relatum fuit ciuitatem esse Tenustitana ciuitate nihilo minorem, ad leucas tamen quadringentas amplius ex omnium relatu, eiusque regem lati esse imperii tyrannum. Aluarado vestigandi quid rei sit, negocium dat Cortesius, quingentos illi tū equites tum pedites designat. Carpit iter Aluaradus ad Orientem, rectà tendit, duos tantū præmittit suos qui vicina callebant barbarorū idiomata. Varias reperiebat terras: Montanas has, planas illas, palustres interdum, aridas plærumque: variæ terræ variis vtebantur linguis, ex omni regione linguarum gnaros cum suis præmittebat. Omißis quæ obiter illis acciderunt, ne meipsum tuamque beatitudinem minuta recensendo fatigem, vno saltu id quod illustre auditu esse diximus, complectamur. Ex regno in regnum nuncii præeuntes cum suis ducibus indigenis ad Aluaradum leucas semper non paucas remorantem reuertebantur & explorata renunciabant, pacata omnia nuncii audita Hispanorum fama relinquebant, ausus nemo regulorum vnquam contra eos aut acies nostras gladium exerere. Quacunque proficiscebantur aperta erant illis horrea & facies admirabundæ, equis præcipue ornatibusque nostrorū inspectis, sunt nanque & hi fere nudi, commeatibus & mancipiis gerulis, qui iumentorum loco sarcinas eorum ferrent, nostros iuuabant. Bello namque captos in seruitutem trahunt, vt accidit vbique inter omnes ob auariciam vel ambitionem gentes insanientes, ne dicam reges. Sistit Aluaradus in eius tyrāni finibus, & structis semper ordinibus stat in alis, eius magni regis terminos minime calcat, ne iniuriose velle agere videatur, pro summa enim contumelia inter omnes earum terra.

Figueras sinus.

Iter Aluaradi.

rum regulos habetur, si quis limites alterius ignaro domino cõtigerit, nihilque magis in vsu est inter eos quàm vindictam in eo casu quærere, hinc iurgia, hinc simultates, hinc bellorum occasiones. Leucas adhuc ab eius tyranni regia sede centum fere distabat. Præmittit nuncios cum interpretibus proximarum illi regno gentium: regē adeunt, salutant, placide suscipiuntur. Ad eius quippe aures nostrorū fama deuenerat. An à magno Malinge, quem è cœlo ad eas terras demissum aiunt, homines veniant, interrogat. (Malingem inuictum & potentem heroem appellant,) ab eo missos esse fatentur. An mari venerint an itinere terrestri, & si mari, quibus piraguis, id est, nauibus ingentibus & aulas quibus inerant æquantibus. (Naues ipsi habent sed piscatorias tantum vniligneas, vti vbique illarū terrarum.) Hic se rex ille de nostratibus nauibus anno superiore scientiam habuisse professus est. Quas namque Aegidius Gonsalus per ea maria, quæ tergum Iucatanæ spectant, ductitabat, eius reguli ex pagis mari adhærentibus viderant incolæ plenis velis discurrere, arbitratique sunt marina esse monstra & portenta nuper exorta, stupidique suo hæc regi nunciarant. An quis è duobus naui eiusmodi depingere sciret interrogās, pollicit⁹ est ex eis nomine Treuignus, artis lignariæ sculptor fuerat nauclerusque nō vulgaris, depīgēdæ nauis in aula ingēti prouīciā sumit, sūt nāque reguli & primatū eius atria magna lapidib⁹ & calce structa, vti de lacunari Tenustitana diximus. Mōstrosā hic depixit nauim onerariā, ei⁹ generis quas Genuenses carracas nuncupant, cum sex malis & caueis totidem. Admiratus ea mole adeo vasta diu hæsitauit rex, mox quibus modis certent, ita vt dici queat ipsorum quemlibet pollere viribus adeo, vt facile cuique sit millia hominum posse sternere, quod se nullo pacto posse aut velle credere disseruit, quum nihilo videat eos communem hominum

Quid sit Malinges.

Nauis depicta corā regulo.

ſtaturam ſuperare, aut robuſtioribus vigere vultibus aut mē-
bris. Quadrupedes habere noſtros dixerunt feroces ventoque
velociores, quibus certent: vt equum depingeret eorum aliquis
quoquo modo ſciret, orauit. Equum depinxit alter è ſociis vul-
tu toruo, multo illis maiorem, quos in tuæ beatitudinis exqui-
linio colle Phidias aut Praxiteles conflatos ex ære reliquerunt,
Cataphractumque in eius dorſo phallerato poſuerunt. His ad-
miratus rex petiit ab eis an debellandi vicini hoſtis ſui termi
nos eius infeſtantis prouinciam ſumere vellent, ſi quinquagin
ta illis armatorum millia in auxilium mitteret: ſingulos Hiſ-
panos paulo maioris eſſe momenti ac virium, paulo vigoroſio-
rum, quàm cæteri ſint homines dixerunt, ſed inſtructa phalā-
ge cum equitibus & machinis nullas hominum copias for-
midare. Rediturus ſe ad eum ducem qui eos miſit, ſpectatque
non longe à ſuis finibus, polliciti ſunt: quid ſint, ab eo relaturi
quæſiuit rex, arbitrari ſe venturum in eius auxilium ac faci-
le deleturos eius inimicum, ciuitatem, & quicquid ſuæ ditio-
ni paret. Se ipſum & obſequentes ſuos omnes in eius magni
herois inuicti poteſtatem dediturum affirmauit, ſi ſtarent pro-
miſsis. His actis in obſeruantiæ futuræ argumentū adeo pro-
nus in noſtros reſtiuit, vt cacabo moneta, quæ ad eas vſque o-
ras protenditur, & commeatibus onuſta illis dederit ad Al-
uaradū ducenda mancipiorū quinque millia, aurique in va-
ria deducti monilia penſorū millia viginti. Regreſsi ad Al-
uaradum, lætum reddiderūt. Rediit ad Corteſium Aluaradus,
quæ acta ſunt enuciat. Eius regis magni offert oblata, diuidū-
tur vti æquū erat. Sed è nunciis duobus ab Aluarado miſsis
liberalitati ducum in ſe minime fidens alter, penſa quædā ſuf-
furatus eſt ex itinere. Monuit ſocius ne fide rupta manus pol-
lueret, vt Cortſii Aluaradique liberalitatem experiri mallet
hortatus eſt: ſocii pertinaciam expectās conticuit, diſsimulauit,
furti apud Corteſiū incuſauit ſocium: virgis ad aliorum exem

Regreſſio Aluaradi, ad Corteſium.

plum publice cæsus est auro prodito, & ab Hispania noua exilio perpetuo mulctatus. Hæc circiter finem anni tertii ac vigesimi supra millesimũ à quingentesimo acta sunt. Paucis mox diebus exactis refectis languidis, & loco demortuorum suffectis recentibus, de Cortesii mandato Aluaradum ait hic nuncius cum maioribus copiis cum timpanorũ reboatu ac tubarũ clangoribus eo præsente discessisse. Nuncius hic Iacobus Garsias vnius è senatoribus Hispaniolæ Marcelli Villalobos iurisperiti familiaris quondam, ad senatum ab hero vetere missus est nostrum. Quæ pro hero procurauit assequutus est. In insula Margarita liceat propria impensa condere arcem & coloniã deducere. Margarita hæc insula est contra oris draconis fauces in putato continenti, vnionum fœcunda genitrix, vnde nomen illi datum est Margarita. Id si fecerit, perpetuus erit eius gubernator, ad hæredesque suos, vti moris est, imperium eius deueniet, suprema tamen potestate coronæ Castellæ reseruata. Vnum restat quo finẽ huius nouæ Hispaniæ rebus faciamus. Margarita insula.

CAPVT SEXTVM.



ORTESIVS, ex quo pyrata ille Gallus nomine Florinus classem eius raptauit cum preciosis rebus multis, quas ipse ac reliqui nouæ Hispaniæ magistratus victoriarum participes Cæsari mittebant, nullas vltra præ mæsticia tantæque stragis dolore ad Cæsarem aut senatum nostrum dedit litteras, licet ab illis regnis multi ac sæpe redierint, vnde illa est exorta defectionis à Cæsare suspicio. Iam dat opinionibus contraria signa, studet suæ maiestati non sibi regna protendere: & si forte Beatitudo tua secum animo verteret aliquando, an ambiguus Garaii casus sit ab eo exigendus, strictaque sit quærenda ratio de illius obitu, & corrigendus, si eo Mœstus Cortesius ob piratarum raptus.

assentiente acciderit, hoc habeat à meo iudicio exceptum. Dissimulabitur, vt arbitror, talis inquisitio, neque tam potenti elephanto hac via imponere fræna tentabitur: bláditiis potius ac lenimentis opus fore ad tale vulnus curandum, quàm irritandum satius fore censebimus. Tempus rerum omnium iudex æternus loquetur. Credimus tamen euenturum vt in eos sit aliquãdo casurus laqueos, in quos Iacobum ipse Velasquez Cubæ gubernatorem, sub cuius imperio iuuenis missus ad eas terras ipse cristas in eum erexit, & Pamphilum Narbaiciũ, modo Garaium, si vera est multorum opinio, ipse coniecit, vti suis locis late. Neque longe abest huius debiti solutionis initium. Ex Cuba & Iamaica, sed planius ex Hispaniola, quò tanquam ad emporium generale omnia confluunt, Christophorum illum Olitum ad freti desiderati perquisitionem ab eo missum defecisse ac per se rem agere, Cortesii autoritate neglecta, relatum est: sic dantur initia rebus. Legimus & literas quibus Aegidium Gonsalum Abulensem, de quo late in superioribus, appulsum esse ad eas memorati sinus oras dicti Figueras iamdudum notas, quo inde paulatim vestigans dulciũ aquarum eum exitum quæritet. Ad hæc illa eadem littora dicunt peruenisse Olitum & ab Aegidio Gonsalo triginta tantum leucas descendisse. Aiunt & Aegidium audito accessu Oliti literas & nuncios concordiam & pacem offerentes ad eum misisse. Fertur quoque Cortesium Oliti defectione intellecta mittere in illum armatas copias, quibus imperat, vt Olitus capiatur vinctusque ducatur ad se, vel trucidetur. Qui Olitum norunt, strenuũ esse militem nec ineptum ductorem aiunt, fuisseque ab initio bellorũ non infimã victoriarũ partẽ, sed, vti sæpe solet accidere, formidolosus iam Cortesio erat, vnde sub prætextu honoris ab se illum dimiserat, quo tempore non defuerũt qui Cortesium monerent, ne viro, cui aliquãdo verba dixerit ignominiosa, quicquam crederet. Parte alia

Defectio Oliti.

Petrum Æriam putati continentis gubernatorem grandem exercitum audiuimus coëgisse vt eodem tendat, vnde vere-mur, ne horum dißidia cuncta trahant in ruinam. Neque Cæsar aut senatus noster intelligimus, quid aliud capiamus consilii, quam frequentibus mandatis Hispaniolæ senatui autoritatem augere, vt inde tanquam à summa potestate, tum blanditiis, tum monitis & minis opera detur, ne detrimenti quicquam exoriatur, ne sint discordes, vt conueniant animis, ni læsæ maiestatis crimine taxari velint: cadent omnes ni paruerit. Neque enim eorum opinionibus cæteri nobiles Hispani, qui & ipsi militum animos habent conciliatos, cõtra sui Regis obseruantiam assentientur. Neque armis fore sedãdos motus hos censebimus: si lapsæ fidei argumenta scatere vlla sentiemus in quoquam, atramento solum & papyracea carta quicquid transuersum emerserit prosternetur. Magna quippe ac natiua in Hispanorum pectoribus vis honoris & laudis præsertim, vt suo regi fideles esse iudicentur. Naues expectamus ab illo extero nouoque orbe in horas. Tunc, si quid turget in arcanis, erumpet, & chirurgos ad medelam accersemus. Didici & plæraque alia non indigna relatu per fratrem Thomam Hortisium & consocios bicolores fratres dominicos probatos viros. Hi partem eam putati continentis inhabitarunt septennio, quæ dicitur Chiribichi, ea est Ori draconis & Pariæ prouinciæ, frequenter à nobis in prioribus nominatis, regio vicina: vbi cœnobium diruisse barbaros & trucidasse cœnobitas in ducali præcedenti libello dixi. Fratris huius Thomæ Hortizii est apud nos ea opinio, vt ipso ductore sint eius ordinis Dominici duodecim aßignati cœnobitæ ad nouam Hispaniam mittendi, quò inter barbaras eas nationes nostræ fidei semina iacτent: ab his fratribus multa prius intellexeram, quæ si bene memini, scripta dimisi ad varios principes nuncupata.

Laus Hispanorũ.

Duodecim fratres ad nouam Hispaniã mittendi.

Earum terrarum incolas Canibales esse affirmant, siue Caribes humanarum carnium edaces. Est Caribium vasta terrarum quantitas, Europam superat: claßibus vnilignearũ cymbarum structis venatum homines per insularum, quæ sunt innumeræ, congeriem nauigasse reperiuntur, vti ad nemora syluasque ceruos & apros alii quæritant interficiendos. Carib vniuersalibus earum terrarum linguis idem quod fortior cæteris, inde Caribes: neque insularium quisquã nomen hos promit sine formidine. Dicuntur etiam Caribes à Caribana regione in Vrabæ sinu sita orientali, vnde sparsum id ferum genus hominum per ampla orarum spacia integras aliquando Hispanorum acies trucidarunt ad interniciem. Nudi ferè viuunt, cucurbitula aurea interdum includunt pudenda, funiculo præputium alibi colligunt, neque nisi coitus aut mictus causa soluunt, nil vltra contegunt domi ociosi. Bellorum vero temporibus multis ornatibus vtuntur. Sunt agillimi, certißimas iaculantur venenatas sagittas, & vento velocius abeunt redeuntque arcubus fultis, imberbes sunt, & si pilus erumpat forficulis quibusdam sibi euuunt alternè, crinesque ad auris vsque dimidium scindunt. Ad elegantiam aures naresque perforant & monilibus aureis ditiores ornant, conchilibus coclearum aut limacum variis vulgares, coronis etiam delectantur aureis, qui aurum assequuntur. A decimo vel duodecimo ætatis anno, quando iam Venereo incipiunt vrgeri titillo, arborea gestant folia toto die ad nucum quantitatem in vtraque maxilla, neque tollunt citra cibi aut potus captum. Nigrescunt ea medela dentes ad carbonis extincti tetricitatem: fœminas aut infantes ignominiose appellant nostros, quòd candidis delectentur dentibus, & siluestres feras, quòd barba & pilis nutriendis intendant: ad extremum vitæ durant illis dentes, neque molarium vnquam dolore afficiuntur aut putrescunt vnquam, folia sunt mirteis paulo grandiora, mollia vti quæ

Caribana regio.

Chiribichensium mores.

terebintus arbor creat, lanæ aut gosampii mollicie si tãgantur: nulli magis culturæ indulgent hi Chiribichẽses, quam earum arborum curæ (quas vocãt hay) quod ex earum foliis quascunque gratas merces adipiscantur. Per earum arborũ agros perbelle cõpositas deducunt fossas & riuulos trahunt, quibus sata irrigant ordine grato. Sepit quisque portionem suam deducto tantum funiculo gosampino cingulo virili tenus, habent pro sacrilegio si quis vicini traiecto funiculo prædium calcauerit, violatorem sacri periturum propediem pro certo tenent. Sed quo pacto foliorum puluerem illum curent, ne corrumpatur, auditu dignum est. Priusquã in puluerem folia exiccata terãtur, ad montanas proficiscuntur siluas, vbi coclearum & limacum gignitur copia ingens ob humidam tellurem, ex earũ conchis congestis in structam fornacem positis cũ particulari quodam ligno, acri supposito igne, calcem conficiunt, eam pulueri conmiscent. Est eius calcis tanta vis, vt primo sumenti labra ita cõcoquantur & durescant, vti fossoribus accidit habere callosas manus ob ligonum frequentem tractatum, aut si labra nostra calce viua confricuerint, assuetis non idem. Puluerem ita conditum in cophinos & sportas ex cannis palustribus miris modis intextis recondunt, seruantque ad mercatorũ aduẽtum, qui ad eos commeant eius pulueris habendi gratia, vt ad nundinas & fora concurritur. Maiicium granũ mancipia & aurum, aut ex auro monilia, quæ guanines apellant, afferunt illi vt puluerem hunc assequantur, quo regiones omnes vicinæ vtuntur ad curã dentium, ipsi tamẽ Chiribichenses quotis horis sputis foliis veteribus recentia sumunt. Sunt arbores aliæ in valle hac suis prouentibus nobiles, ab illarũ vna, vulneratis parumper ramis lacteus manat humor. Is ita relictus in piceæ resinæ speciem congelatur, diaphonum est id gummi, suffumigio grato vtile. Ex arbore alia lectus eodem modo succus perimit, si eo illinita sagitta quis percutietur. Ex Gummi optimum

aliis arboribus viscum manat, eo captant volucres & ad visus alios vtuntur. Gacirma est arbor alia moro similis, & mora fructus procreat nostratibus Europeis duriora esui apta recenti. Ex illis madefactis prius sapā extorquent, optimam purgando gutturi & raucitati tollendæ commodam. Ab huius arboris ramis exiccatis ignis vti ab silice percußo elicitur. Citreas & huius vallis latera familiares habent arbores procerasq; odore grato aiūt oppleri vestes & seruari à tinea in capsis conditas citreis. Sed si panis includatur seruādus fit amarior felle & ingustabilis, inde vti diximus ex tabulis illis cōpactæ naues euadunt à corrodentibus vermibus. Gosampium arbor alia generat quæ moro maior est, decennio perit, idē accidere in Hispaniola pluribusque locis aliis in hoc orbe nouo diximus in præeūti libello ducali. Iactant patres hi bicolores gosampiū hoc preciosius esse nostro Europeo quod seritur quotānis, neque canabis caulē superat altitudine: plerisque in partibus nascitur & viget hoc tenue in Hispania in agro Astigitano præcipue. Est vulgaris in hac valle suapteque natura creatur casiæ fistulæ arbor ingens. Neque prætereundum est aliud huius vallis commodum: apud Chiribichenses in abstrusis secessibus alicubus creari putarunt arbores cinamomi altrices ignotas incolis, aut saltem prætermissas, quia nullum est apud hos habitatores genus aromatum in vsu præter piperis eius, de quo late alias & sæpe, quod appellant axi, peculiare adeo vt non minor sit apud eos omnes eorum fruticum copia, quam apud nos vrticarum aut maluarum. Exemplo est arbor vi fluminis inundantis raptata in littus maris cœnobio suo proximum proiecta, tractam arborem in siccum ad vsum coquinæ scindere studuerunt, ex assulis omnibus suaues prodibant odores, gustarunt corticem, non ineptum cinamomi saporem inesse senserūt, licet ex longa temporis intercapedine & concussu torrentis semicorruptus esset truncus ille. Iudex rerū

Gosampium arboreum.

Axi piper commune.

omnium tempus hæc & multa præterea, quæ adhuc latent, nobis aperiet. Sex dierum numerum legimus creatorem rerum sibi assumpsisse ad formandas ordinéque suo cōponendas vniuersæ machinæ fabricas. Nequimus nos vno spiritu cuncta tantarum rerum secreta indagare. Eius fluminis aquas frangendis purgandisque renum & vesicarum calculis aptas esse ferunt, sed oculorum nubes generare. Ex fonte quoque aiunt scaturire materiā eius ignis inextinguibilis, qui dicitur vulgò ignis alchitrani, ab Italo arbitror vulgo ignem dici græcum.

CAPVT SEPTIMVM.



ST argumento notabilis res alia, quòd ea sit vallis aromaticarum genitrix lasciuiarum. In exortu solis & sereno tempore per vallem totam miri vapores ab auris matutinis impulsis sparguntur. Sed si nimis auide hauriantur naribus, capiti esse noxios & generare grauedinem, vti apud nos accidit in multis herbis, ozimo præcipue, neque muscum prodest naribus admittere, licet alonge sapiat eius odor, pluuio autem aut nubilo tempore cessant odores illi. Parit poma arbor alia in ripis fluminū quæ comesa vrinam prouocant & emittere cogunt ad sanguinis colorem. Alia gignit egregia pruna his similia quæ Hispanus monacales appellat. In iisdem ripis alia fert poma quæ perimunt, si comedantur, licet dulcia, in alueis cadētia ea poma ab piscibus eduntur, in varios cadunt morbos ignotos qui eo tempore pisces comederint, frater idem Thomas Hortizius gustasse parumper non comedisse tamen dicit se de pomulo, acrodulci mixtum contendit habere saporem, nocuit id paululum, haustus olei veneno est medela.

De variis arboribus.

Vmbra quoque huius arboris pomiferæ capiti nocet ac visui oculorum, canes, & catos, quodcunque etiam quadrupes aliud perimit pomorum esus. Arbores & alias creat ea tellus multiformes: ab vna succus manat, qui compressus coagulato recenti lacti est similis & esui aptus. Emittit arbor alia gummi saccaro rosato non vilius. Herbas & odoras suapte natura tellus illa germinat, ozimum passim legi potest. Beta crescunt illic ad virilem staturam. Trifolium apio grandius, portulacæ ramulos edunt pollice crassiores: coalescunt illic olera & hortensia quæque ab cœnobitis allata, vt melones, cucurbitæ, cucumeres, raphani, cariotæ, pastinacæ. Mortiferæ nascuntur & illic herbæ, vna præcipue palustris tricostalis, in serræ modum acutis cuspidibus armata. Ea si quem incautum pupugerit, querulum dimittit. Nascuntur & in eo mari herbæ quæ vi ventorum erutæ spargunt & plærunque retardant naues.

De variis herbis.

Quadrupedum est & volucrum patriarum memoratu digna in hac regione Chiribichensi varietas. Ab vtiliori ac magis noxio quæ sunt opposita incipiamus. In primis & subsequentibus meis libellis de quadrupedibus quibusdam anguibus aspectu feris facta est crebra mentio, Iuganas vocant, dicunt alij Iuanas. Vtilis est esui bellua, neque inter lauta edulia abiiciendum animal. Sunt & eius oua, quæ more crocodili aut testudinis gignit paritque, egregii nutrimenti & gustus. Iacturam ab illis non exiguam bicolores fratres recipiebant, qui septennio illas incoluerunt terras. Erecto vti diximus cœnobio noctu aiunt se ab infesta iuganarum multitudine velut ab hostibus plærunque circumseptos: non vt illas ad sui tutelam lacesserent surgebant è lectis, sed vt perterrefacerent & exterminarent ab frugibus, & hortensibus melonibus præcipuè suo tempore satis & cultis, quibus libentes depascuntur. Iuganarum venatui vallis eius habitatores indulgent ad esum, sagittis repertas perimunt, capiunt & plærique viuas dextra in ceruicem

Quadrupedes varii.

De iuganis.

niecta belluæ, quæ iners est licet aspectu formidoloso, ore aperto cũ fero dentiũ ostẽsu minari videtur morsũ, sed anseris more sibilantis torpescit; nec audet impetere: tantus est earum fœtus vt gregem delere penitus nequeant. Ex maritimis antris & specubus, vbi germinantur, noctu ad pastum turmatim exeunt quærendum, vescuntur & pelagi excrementis, quæ retrocedens mare in littoribus relinquit. Vafrum aliud nutrit terra illa animal, & crudele, gallico cane nõ minus, raro visũ. Primo noctis crepusculo prodit è siluarum latebris, pagos adit, circuit domos plorando elatis vocibus, ita vt infantem percussum esse ignari artis illius arbitrentur. Priusquam rerum experientia vicinos instrueret, fallebantur multi, ad vagitus incauti exibant, aderat monstrum, raptabat miserum & ictu oculi lacerabat in frusta. Longa temporis intercapedo & necessitas, quæ sopitos excitant animos, contra feræ belluæ naturam remedium inuenerunt. Si quis iter noctu sit capturus, accẽsum exportat secum titionem rotatque eundo, eo inspecto fugit mõstrum, velut ab furẽtis gladio timidus homo, per diem visum fuit nunquam. Infestantur & à crocodilis in sinibus præcipue semotis ac cœnosis, capiunt plærumque catulos eorum & comedunt, à veteribus absterriti abstinent. Ederũt fratres è crocodilo, carni asininæ molli par esse aiunt, gustum insipidum, vti aliâs dixi de Niliacis crocodilis in legatione mea Babilonica pro Catholicis Fernando & Elisabetha regibus. A fœmina prodit odor musco lasciuo similis. Siluestres creat catos ea tellus, amplexu natos gestat mater inter arbores serpens, sagitta tunc matrem feriunt, qua cadente mortua capiunt paruulos, illos ad delicias habent, vti nos cercopithecos aut simias, à quibus differre in immensum dicunt fratres, prehendunt ex illis tensis in fontium marginibus laqueis. Trans monstratos digito montes montanas habitare feras dicunt incolæ, quæ vultu pedibus, manibusque virilem formam æmulentur, & rectà

Crudele animal.

Siluestres cati.

interdum facie stare pedibus & ambulare, ursos esse arbitrantur qui hæc audierunt, viderunt minime. Versatur in eorum siluis animal aliud asino grandius, ferox, canibus infestum: obuium quencunque raptatum aufert secum, uti lupus aut leo pecudem, tres canes cœnobii custodes raptarunt fratribus e vestibulo, huius est à cæteris animalibus forma pedum valde diuersa, caleeo gallico similis est ungula, a fronte lata & rotunda non scissa, a calcari acuta, nigrum est & villosum, aspectum formidat hominis, Cappam appellat quadrupedem incola. Nutrit & pardos ac leones, sed mites ac minime noxios, ceruorum est numerus ingens, sagittis ceruos insequitur incola venator. Cane nihilo grandius est gallico animal aliud nomine Aranata, huius effigies humana, barba densa, spectabile ac venerandum aspectu, manus ac pedes & os habent humanis similes, fructibus arborum vescitur, inter arbores serpens ut catus aut simia gregatim incedit rugitque adinuicem aliquando, ut fratres cœnobitæ primo appulsi dæmonum putarent esse agmina, præ sui aduentus rabie ad eorum terrorem obstrepentia. Dexterrimum est animal, iaculatas in se sagittas scit euitare, ac manu capere & remittere ad percussorem: simiarum aut cercopithecorum speciem arbitror ego esse, cœnobitæ negãt. Est aliud è gestu mirabile, strigosum, cubitales loco stercoris emittit colubras: unum domi nutrisse fratres ipsi, vidisseque se aperto experimento rem asserunt. Quo solutæ tendant colubræ interrogati, ad vicinas dixerunt siluas, ubi vitam agunt breuem. Putet animal super qualecunque proiectum ad sterquilinia cadauer fœtidum, inde putoris eius impatientes interfici animal iusserunt, vulpem rostro, pilo lupum imitatur. Quando in infantum ventribus vermes passim creari, neque senes ab ea peste immunes, atque una cum excrementis emitti viuos didici, quos mutato nomine vulgus lombricos appellat, cur & illud accidere posse non crediderim, talibus præcipue viris id

De Cappa animali.

De aranata animali.

Fætidum animal.

id affirmantibus? Est aliud quadrupes miro naturæ instinctu victũ quærẽs: formicarũ, vti de pico aue didicimus, est venator, acuto constat rostro spitamali, oris loco foramẽ tantũ habet rostri cuspide, vnde linguã exerens oblongã, in cubilia formicarũ in arborum cauernulis latentium protendit, & motu linguæ colludendo eas pellicit, vbi formicis sentit esse refertã, retrahit, & eo pacto formicas deglutiens depascitur. Phaleratũ & id animal, de quo sæpe, tellus illa procreat. Apris, ericis spinosis, & porcis histricibus, & mustellarũ speciebus variis abũdat: variis quoque volucribus ornata est, & fatigata onocrotalis, de quibus late in ducali præcedenti. Vespertiliones vti culices noctu dormientes aggrediuntur. Quicquid in homine detectũ reperit vespertilio, ausu imperterrito impetit, ac ferit repentino morsu, sanguinem sugens. Sed auditu gratiosum audiat tua Beatitudo casum, qui à vespertilionis morsu euenit. Laborabat ad extremum vitæ cœnobitarum familiaris graui pleuresi, cum ardẽti flebotomia indigebat; bis terque tentat venam, neque guttam sanguinis extorsit vllam sua nouacula flebotomator, pro morituro intra paucas horas relictus, extremo vale dicto abierunt fratres, vt sepulturæ illius parandæ intenderent. Adoritur vespertilio derelictum, pedis vnius detecti ægroto venam aperuit, sanguinis suctu satur vespertilio, euolauit, venam reliquit ruptam. Ad desertum fratres mortuum esse putantes in exortu solis veniunt, viuum & alacrem ac fere incolumem reperere hominem, conualuitque propediem, ministerio intentus prisco. Vespertilioni medico gratiæ aguntur. Perimunt & suo morsu catos, canesque, ac gallinas. Vocat vespertilionem incola rere: do rebus nomina quæ dant, dant pauca. Sunt & corui non corui nigrantes aues, adunco rostro aquilino, rapaces, sed in volatu pigri, vti videmus de aue tarda in Hispania familiari, ansere maiore: circa solis occasum exit ab his halitus fragrãs, per meridiẽ aut

Res auditu gratiosa de vespertilione.

sub aëre crasso minime. Perdices, turtures, palumbes, numero ibi creantur innumero, passerculos etiam nostris regulis minores habent. De industria architecturæ in conficiendis nidis, quo sobolem à rapacibus volucribus & belluis aliis tueātur, mira referunt. Ataiam esse Chiribichensibus vicinam regionem, salinis nobilem diximus aliquando, eius littora percurrebant Hispani: qui oculos in mare habebant protentos, cæteris aut ludentibus aut alias ociosis, superne rem ignotam vidêre natantem, intuitu fixo quid esset pensitando, caput humanum crinitum & densa barba fultum, ac lacertatum se vidisse professi sunt. Donec taciti prospectarunt, secure monstrum nauis aspectu admiratum vagabatur, clamore ingenti socios excitant, sono vocis audito monstrum exterretur, submergitque se, latentem sub aquis corporis partem ostendit, in piscem desinere cauda inspecta, cuius concussu vndosum fecit maris tranquilli locum, obseruabant. Tritones esse arbitramur, quos fabulosa vetustas Neptuni tubicines appellat. Apud Cubaguam insulam vnionum piscatu famosam, Margaritæ insulæ vicinam fuisse visum eius generis monstrum aliud retulerunt plærique. In Oceano Cantabrico nostro virgineæ voces harmonice cantantes certis anni temporibus auditæ referuntur, horum putant esse concentus, quando prolis gignendæ appetitu in Venerem excitantur. Piscium nobis ignotorum assequuntur multa genera, duobus præcipue passim fruuntur, assant vnum & seruant vti nos salitos petasones, alias etiā carnes & pisces ad futuras necessitates condimus. Aliud genus elixum pinsunt, in massæ triticeæ modum, mox in globos reductum, aliarum rerum peregrinarum permutatione, vicinis ea merce carentibus impendūt. Capiunt autem pisces duabus artibus. Quando piscationi generali animus est intendere, quà sciunt eorum piscium versari copiam, iuuenum cogitur in-

Ataia regio salinis nobilis.

Tritones.

Quibus artibus capiant pisces.

gens multitudo, à tergo gregem silenter in latam coronam instructi, vti leporum venatoribus accidit, circumeunt submerguntque se vnà omnes & in aquis more choriżantium, paulatim virgis, quas dextera gestant, dexterrimè agitatis & aperta læua, vt in caulam pecudes, gradatim ad littorales arenas impellunt, ibique sportatim in siccum prædam proiiciunt. Non miror ego fieri posse hoc, quòd in alueo Nili mihi ipsi acciderit, quando aduerso flumine ad Soldanum proficiscebar, anno abhinc quarto & vigesimo, nauibus quæ me comitatumque meum & palatinos ad me à Soldano missos vehebant, in ripa recentium commeatuum sumendorum ratione morantibus, animi causa, quòd mihi exire in terram ob Arabes vagantes non erat tutum, panis frustula de accolæ vnius consilio proiiciebam in fluuium, pisciculorum aggregata est illico multitudo, adeo secura, vt submitti sibi sportas paterentur, certatim ad natantia frustula panis, vti ad mellitum aliquid rabidæ muscæ, accurrerunt, sportas mox eleuabamus refertas, idque ad libitum reiteratò facere licebat. Attamen interrogati accolæ cur tanto tempore vigerent eorum pisciculorum turmæ, non comedi ab eis pisces, quod noxii sint, intelleximus. Fui ego monitus ne vllum ex eis manu caperem, spinã in eorum dorso rubram ostenderunt, studere piscem, vti apes aculeo, spinæ cuspide captorem ferire. Chiribichensibus non est ea cura; sunt commodi pisces hi. Genus alterum piscationis tutius est & generosum, noctu intra scaphas ardentes portant tædas, & quà experimento noscunt magnorum piscium versari greges, proficiscuntur, tædas extra cymbarum spondas circumrotant flammantes, ad lumen properant piscium agmina, fuscinis & sagittis iactatis perimunt ad libitum, salitosque vel sub ardenti sole desiccatos in cistas componunt, vẽturosque ad eorũ fora mercatores expectant, de marinis parti- Alterum genus piscandi.

Insectorū & serpentū multa genera.

bus satis. Nascuntur & illic insectorum & serpentum multa genera. Salamandræ Chiribichenses humana sunt palma latiores, morsus earum lætalis est: vti pullæ gallicinæ raucæ quando incipiunt optare maritum, noctu crocitant. Aspides caudæ aculeo ferientes, ibi passim reperiuntur, eorum caudæ cuspide sagittas inficiunt. Araneæ sunt versicolores, visu formosæ, nostris duplo maiores: tenax est earum tela & aspectu digna, quæcunque volucris passere minor aut par passeri, si ceciderit in eam, irretitur, vt non parua opus esse inquiunt cœnobitæ ad infringenda fila. Araneis & ranis ac vermibus quibusque, pediculis etiam sine horrore vescuntur, licet in cæteris sint stomachosi adeo, vt si quid non placitum viderint eorum quisquam, euomit repente quicquid stomacho inest. A quatuor culicum generibus infestis se hoc pacto tuentur multi, obruti arena, faciem frondibus contegunt inter ramos, vt spirare queant, exigui sunt noxiores. Apum sunt genera tria, in alueareis duo mella congerunt more nostrarum, genus tertium exile ac nigrum in siluis mellificat sine cera. Pulliculis apum vescuntur incolæ libentes, crudos, assos & interdum elixos comedunt. Vesparum duo sunt genera, vnum innoxiū, valde molestum alterum, hæ domos, illæ siluas inhabitant. In finibus quibusdam maritimis angues magnæ molis creantur, si dormire nautis acciderit, apprehensa cymbæ sponda, in nauim serpunt & perimunt sopitos ac lacerant & comedunt socialiter, vti vultures ad oblata cadauera. Certis anni temporibus à brucis, eruca & locustis in arborum germinibus infestantur, in maiicio grano, nisi cura ingens adhibeatur in eo desiccādo & locando in horreis, gurgulio nascitur, & rodit medullam cortice relicto, vt in fabis & alicubi in tritico accidit. Sunt & illic noctiluci familiares, quibus in ducali præcedenti diximus ad culicum remedia, & lucem noctu præbendam eos vti. Maris eius dicunt certis anni temporibus lit-

Apum tria genera.

tora ad colorem sanguinis rubescere. Interrogati senescentes, quid causæ insit, quod ingens multitudo piscium oua eo tempore egerat, quæ ab vndis raptata, superne cruentum colorem illum dent aquis, putare se aiunt, affirmant minime: erit in manu quærentium in oßium superficie medullas credere, vel genuinos tabe liuoris inficere super his & multis præterea. De quadrupedibus, volucribus, & insectis, de arboribus, herbisque ac succis, aliisque rebus huiusmodi iam satis. Ad hominum gesta & vitæ seriem tendamus arcum.

CAPVT OCTAVVM.



SVNT Chiribichenses auguriis deditißimi, sunt ludorum, cantuum & sonorum amatores, in crepusculo vtroque variis instrumẽtis & cantibus se alternè salutant, perpetuos octo dies interdum psallendo, cantando, chorizando, bibendo, & comedendo consumũt, ad extremam vsque laßitudinem sese aliquando concutiunt. Cantus eorum ad mœrorem tendunt, ibi suis quique monilibus instruunt, aureas hi coronas capitibus imponunt, conchis maritimis & limacum tegminibus colla ac suras pro tintinabulis ornant, pennarum cristas diuersorum colorum alij sumunt, ad pectora bullas aureas appendunt alii, quas appellant guaninnes, sed omnes sese variis intingunt herbarum succis, & qui turpior nostris oculis videretur ab eis elegantior iudicatur, ita coacti in arcum modò, modò stricto cuneo, dein rotũdi, corona connexis manibus, mox solutis, mille saltibus variis & tripudiis, semper canentes in gyros sese voluunt, euntes ac redeuntes cum variis vultuum gestibus, labellis interdum clausis ac silentes, apertis modò vociferantes. Cœnobitæ hi aiũt vidisse illos aliquãdo sex amplius horas, sine vlla intercapedine in huiusmodi vanis ac laboriosis motib⁹ cõsũpsisse.

De natura & moribus Chiribichẽsiũ.

Quando moniti per præcones ad primarii alicuius reguli atrium circumuicini sunt conuenturi, regum familiares itinera, euulsis herbis & abiectis lapillis ac spinis & paleis sordibusque aliis omnibus, verrunt & purgant, & si opus est latiora reddunt. Qui à pagis veniunt vicini, ad fundæ iactum ab atrio reguli sistunt, in aperto campo sese instruunt, & ordine cōposito iacula, quibus ad bellum vtuntur, & sagittas psallendo tripudiandoque concutiunt, & voce tremula submissaque primò cantantes paulatim gradiuntur, mox quò propius accedunt voces & cantus reiteratos eleuant, idem fere semper promendo, verbi gratia: serena dies est, dies est serena, est serena dies. Cuiusque pagi dux vnus tripudiorum & cantuum regulam præbet cæteris, qui tanto duci respondent concentu, vt vna in multis vox esse videatur, & in multis motibus motus vnus. E ducis illius necessariis præcedit agmen versis vestigiis vnus vsque ad atrii valuas, domū dein sine cantu, piscatoriam hic fingendo artem, venatoriam alius, modeste tripudiando ingrediuntur, oratorio more dein laudando regulum & genitores eius alte sermocinatur alius, morionis quidam gestus, oculos modo torquendo, modo recte spectando, confingit. His actis pedibus sub se reductis solo sedent omnes taciti, comeduntque ad crapulam ac bibunt ad ebrietatem, quóque intemperantius quis potat, eo valentior habetur. Fœminæ tunc modestius vtuntur potu, quo maritorum prostratorum ebrietate liberiorem curam habere queant, est nanque data sua cuique viro in custodiam, donec bacchanales hi ludi durant: fœminarum etiam opera vtuntur his temporibus ad potuum & ciborum sarcinas ad conuentus locū deferendas: hæ viritim pocula porrigunt hoc pacto, primò sedenti propinant fœminæ, surgit is, viciniori porrigit pateram, ille alteri, vicino hic, donec ordine suo numerus impleatur. Turgidum vidisse ex illis aliquem effectum præ nimio potu

Bacchanalia viuūt.

aiunt fratres, vt prægnanti ſimilis eſſe videretur. Poſt hæc ad iurgia & querimonias præteritarumque iniuriarum recordationes ſe conuertunt, hinc duella & prouocationes & cætera diſcrimina, hinc multæ inchoantur inimicitiæ, hinc multæ veteres repullulant vindictæ. Quando iam ſurgere poſſe datur vt domum reuertantur, cantus iterum ad mœſticiam pronos excitant, fœminæ præcipue triſtiores. Ab homine multum diſtare aſſerunt temperantem, quia futurorum expertem remanere oporteat eum qui ebrietate non corruat. Arti magicæ vt infra ſuo loco dicemus, ſub magiſtris inuigilant, tuncque dæmonum commercio & colloquiis vſos fuiſſe prædicant, quando per ebrietatem ſopito ſpiritu magis grauantur, vnde præter vini potũ alterius herbæ inebriantis ſuffumigio vtũtur quo plenius iaceant inertes, ſumunt & alii ſuccos herbarũ ad vomitũ excitãtes quo ſtomacho euacuato crapulã & ebrietatẽ queãt reiterare. Intersũt & sympoſiis eorũ virgines, hæ ſurarũ ſibi & fœmorum partes, quæ proximæ ſunt genibus, ſtaminũ glomis inuoluunt ſtringuntque acriter, quo ſuræ ac fœmora craſſiora tumeſcant, elegantiores ea ineptia ſe putant apparere amantibus, de cætero nudæ. Nuptæ vero fœmoralibus vtuntur goſampinis ad pudenda tantum contegenda. Bellica hi formãt variis modis compacta inſtrumenta, quibus modo lætitiam, mœſticiam interdum & furorem incitant, ex magnis conchis maritimis funiculis tranſuerſatis aliqua componunt, ex ceruorum oßibus & fluuialibus cannis fiſtulas diducunt. Tympana quoque parua picturis variis ornata efficiunt, ex cucurbitis etiam & ex euacuata trabe grandiore virili lacerto formant. Noctu ferè ſemper more præconum ex altiore cuiuſque pagi domo vociferant multi, reſpondetur ab vicino pago non negligenter. Interrogati cur eam ſibi ſollicitudinem induerint, quo ſui hoſtes nequeant eos reperire incautos, ſi repente occurrerint aiunt, perpetuis nanque ſeſe bellis inuicem

Habent idioma difficile intellectu.

conficiunt. Difficilia intellectu inquiunt esse eorum idiomata, quòd vocabula proferant omnia sincopata, uti poëtis licet deũ dicere pro deorum. Ante solis exortum si calor vigeat, si vero frigus in exortu, singulis diebus sese lauant, & ad elegantiam plærumque vnguento quodam viscoso sese inungunt, & volucrum pennis superimpositis totum corpus cooperiunt: lenones aut magas Hispani prætores hoc pacto è carceribus educunt in publicum contumeliæ causa, in admissi facinoris pœnam. Neque frigus neque calor multum vrget Chiribichenses littorales, licet sint æquinoctio proximi, decimo vix nostri poli gradui subiiciuntur: tendit ea tellus ad antarcticum, vti aliâs dixi, trans lineam æquinoctialem gradus quatuor & quinquaginta, vbi sunt breuissimi, quando apud nos longissimi dies, & econtra. Inter eos ille potentior habetur & nobilior, qui auro & cymbis vniligneis locupletior est, quive pluribus propinquis fultus est, & præclare gestis maiorum polleat aut suis. Si quis alteri fecerit iniuriam, caueat sibi, ignoscunt nunquam, proditoriè quærunt vindictam. Sunt maiorem in modum iactabundi, arcubus & sagittis venenatis delectantur, aspidum aculeis caudarum, quarundam etiam formicarum capitibus, venenatis etiam herbis contusis aut pomulis, de quibus aliâs, & succis arborum stillantibus eas liniunt, neque omnibus datum est medicamenta illa temperare. Vetulas habent eius artis peritas, has suis temporibus inuitas includunt ad id ministerium præbitis materiis, biduo continent & decoquunt vnguentum, peracto domum aperiunt, si vetulas incolumes reperiunt, quin semimortuæ iaceant ob vim veneni, gaui pœna conficiunt, (tantam enim esse vim eius asserunt, vt opifices quosque odore solo dum componitur fere trahat ad interitum,) & tanquam rem inutilem vnguenta proiiciunt. Vulneratum perimit ea tabes, sed non repente, remedium è nostris nullus vnquam reperit, ipsis vero notum est. Durissima est vulnera-

Venenatis vtuntur iaculis.

to post id vita, quoniam à multis, quæ placita esse soleant, abstinere illum oporteat, à Venere primum per biennium saltem, & toto vitæ tempore à vino ciboque vltra naturæ solam necessitatem, & à laboribus: ab his nisi cauerint, mora sublata moriuntur: vulneratos aiunt cœnobitæ se vidisse plerosque, quod crudis bellis se mutuo conficiant, mortuum neminem præter fœminam vnam (certant nanque vna cum viris fœminæ,) ea vulnerata medelæ angustias subire recusauit: extorquere ab eis nostri nunquam potuerunt, quo medicamento sit opus ad eam curam. Arcus inter se cum globulis cereis aut ligneis loco sagittarum à pueris exercent. Dum nauigant cantor sedet vnus in cymbæ prora, cui remiges secuti punctum ordine grato respondent vniformes remos agitando. Fœminæ vt plurimum adolescentiam & iuuentutem sat honeste peragunt, grãdiores sunt inconstantes. De generali more fœminarum, quibus aliena magis placent quam sua, Christianos magis amant: currunt, natant, psallunt, & motus omnes exercent non ineptius quàm viri: partus leuiter emittunt, nullum doloris promunt signum, nec lecto recumbunt, nec blandimenta expectant vlla: infantuli ceruices duobus premunt puluinaribus, à fronte vno, ab occipite altero, stringuntque ad oculorum rupturam, placet illis plana facies. Puellas nubiles biennio cubiculis parentes includunt abstrusis, neque in aërem eo tempore, cum aliàs ob solis & aquæ frequentem vsum suffuscæ sint, progrediuntur: comam scindunt nunquã clausura durante. Ea seueritate custoditas multi optãt habere vxores, hæ si primæ sint mariti vxores, coluntur à cæteris quas habẽt ad libitũ primates, populus vna cõtẽtus viuit, ignobiles vero maiori ex parte obsequiũ petenti præstant. Post nuptias cauẽt ab adulterio, si acciderit, à fœmina crimen non exigitur, de adultero quæritur vindicta, repudiari vxor potest. Ad huius primæ seueræ puellæ nuptias vicinia inuitatur vniuersa, fœminæ conuiuæ, potus

& dapium secum afferunt humeris sarcinam singulæ vix f rendam. Viri palearum & culmorum singulos fasces ad con struendam nouæ nuptæ domum portant, ea trabibus erectis i modum castrensis papilionis erigitur, domo constructa sponsu vterque pro facultatibus ornatur assuetis monilibus & va riorum colorum lapillis, quibus qui carent mutuo à vicinis ac cipiunt, tunc noua nupta cum virginibus seorsum sedet, spon sus apud viros. Circumeunt vtrumque cantantes hunc iuuenes, illam puellæ: addit crinitonsor, sponsi capillos ab aure scindit, sponsæ mulier, in fronte solum ad supercilium, ab occipite restat crinita: his actis nocte aduentan te, viro sponsam manu porrigunt, vt ea vtatur ad libitum da tur venia. Habent & fœminæ pertusas aures, quibus moni lia suspendunt, masculi vnà prandent, fœminæ cum homini bus nunquam. Curam rei familiaris amant & exercent ipsæ: mares rei bellicæ, venatui, piscationi, & ludis inuigilant. De moribus & vita illorum multa hic prætereo, quia in præce denti decali sat latè in senatu nostro recitata fuisse memoraui mus, è quibus vereor ne hic sint aliqua non necessariò repeti ta, septuagesimus quippe annus ætatis, cui nonæ quartæ Fe bruarii anni millesimi quingentesimi vigesimi sexti proxime ruentis dabūt initiū, sua mihi spongia memoriā ita confricādo deleuit, vt vix è calamo sit lapsa periodus, quando quid egerī si quis interrogauerit, nescire me profitebor, quia præcipue diuersis ista temporibus & à variis hominibus notata ve niunt ad manus. Tria nunc restant, quibus forte narratis clau damus opus, ni recentia nobis afferantur. Quo pacto magi cam discant & exerceant artem homines ferè nudi & incul ti, quibus mox pompis sua tractent funera, demum quid cre dant futurum obeuntibus. Artis magicæ gnaros habent ma gistros, hos appellant Piaces, his assurgunt, hos vti numina co lunt, decennes aut duodecennes è puerorum cœtu deligunt, quos ei ministerio à natura deditos à coniecturis fore cogno-

Quibus moribus vtantur in celebrandis nuptiis.

Conqueritur autor de memoriæ debilitate.

Ad finem operis tendit.

cũt: vti ad grammaticorum & rhetorum nos scholas pueros dirigimus nostros, ad abstrusos illi nemorum secessus mittunt suos. In magalibus sub veteranorum præceptorum regula biẽnio Pythagorea duriorem agunt vitam, institutaque imbibũt seueriora. Ab omni genere rerum sanguinem nutrientium, cum solo aquæ haustu & à Venereo actu, aut solum cogitatu abstinent, sine parentum aut propinquorum vel sodalium vllo commercio viuunt. Præceptores solis durante luce minime vident, noctu adeunt ipsi discipulos, non accersũt. Dæmones excitantia dictant pueris cantica, & vna curandi ægrotos viam ostendunt: biennio peracto ad patrios lares regrediuntur. Ab piacibus magistris adeptæ scientiæ testimonium secum afferunt, vt ex vrbibus Bononia, Papia, vel Perusio qui doctoratus titulum assecuti sunt, aliter eruditus artis medicæ vsum exercere non auderet quisquam. Vicini affines aut amici suos minime ad medelam, si ægrotẽt, admittũt, alienos accersũt, & hos alii reguli præserti. Pro morbi varia natura, variis curãt superstitionib⁹, & variis ipsi præmiis afficiũtur. Si lenis dolor in cẽte premit, sũptis ore quibusdã herbis admouẽt ad locũ doloris labra & vi summa lalando exugũt, attrahereque ad se lædentẽ videtur humorẽ, mox domo cũ vtraque maxilla turgẽti exeuntes, expuunt & excreant reiterato, breui aiunt ægrotũ fore incolumem, quòd eo suctu & lalatu morbus è venis eius sit extortus: sed si acriore vrgeatur infirmus febri aut dolore, aut alia quauis valetudinis specie prematur, aliter se habent. Aegrum adit piaces, paxillum ex arbore sibi nota non vulgare ad vomitus incitamentum manu gestat, in paropside vel in catino aqua pleno paxillum proiicit vt madefiat, apud iacẽtẽ sedet, dæmone pressum esse ait ægrum, credunt præsentes referenti, vt operam impendat suam ad remedium, orãt piacem propinqui & familiares. Inualidum adit, totum eius corpus, modo quo diximus, lambit sugitque tractim & carmina submurmurans promit, dæmonem se dicit eo pacto ab ægroti me-

Magicæ artis cãdidati.

dullis euocare, attrahereque ad se dæmonẽ, mox arrepto paxillo madido, palatum sibi confricat ad vuam, dein usque in guttur paxillũ dimittit & vomitũ stimulat, vrgetque, donec quicquid cibi stomacho imo & prope inest euomit, anhelo spiritu, nunc tremulo, modo submisso, sese totũ concutit, voces & gemitus tauro iaculis in stadio percusso acrius mugit, pectus plangit, guttatim, vti è tectis imber, duarum horarũ spacio sudor defluit. Se id vidisse asserunt bicolores cœnobitæ, miratos etiam, quin agitatione tanta crepet medius piaces ille. Interrogatus piaces cur hæc tormenta patiatur, vt ab ægroti medullis per carmina dæmones coarctantia, & per suctus, ac lalatus tractum ad se dæmonẽ excutiat, hæc perferre oportere ait. Postquam se diu piaces variis acribusque gestis macerauit, fœdè ructans crassam euomit quandam pituitæ massam, in cuius medio nigerrimus inuolutus est durior globulus, nauseatum illud excrementum manu colligunt, nigrum globulum à reliquo reumate separant, piace semi exanime ad partem iacente, domo exeunt, globulum elatis vocibus, quo longius queunt, proiiciunt, hæc verba reiterando, maitonoro quian, maitonoro quian, quod sonat: i dæmon à nostro, dæmon i à nostro. His actis ab ægroto medelæ precium poscit, incolumem se propediẽ futurum putat ægrotus, putant & propinqui ac familiares. Maicii frumenti & eduliorum datur pro morbi qualitate copia, dantur & aureæ bullæ pectorales, si potens fuerit ægrotus, grauiorque infirmitas. Hoc memorandum, cœnobitæ bicolores auctorati viri concionatores hoc pacto paucos à piacibus curatos affirmãt periisse: quid hic lateat, qui aliena proni sunt refricare negotia, pro suo arbitratu iudicent, nos quæ dãtur ab auctoratis viris, damus. Recidiua per pharmaca variarumque herbarum succos curatur. Consulunt & de futuris dæmones quos notis astringunt carminibus in eo secessu habitis à pueritia, de imbribus & siccitate, de aëris temperie, de morbis

Consulũt dæmones super reb⁹ futuris.

& cõtagionibus, de pace, de bello, deque successibus, de itinerum effectibus, de rerum initiis, negociationibus, lucris & iacturis, de Christianorum accessu ad eos, à quibus abhorrent, quòd eorum terras occupent, leges præbeant, nouos ritus, nouosque mores induere cogant, & assuetos appetitus abiicere faciant. Interrogati de futuris piaces, ad vnguem respondisse asserunt cœnobitæ: exempla nobis in senatu coactis duo, præter alia multa, enarrarunt. Hiatu aperto Christianorum aduentum ad se desertos in ea regione Chiribichensi, optabant fratres, an ventura essent propediem nauigia interrogati piaces, ventura die designato prædixerunt, de nautarum numero, de habitu, & quid secum afferrent particulatim nunciarunt, nihilo errasse aiunt. Creditu videtur esse durius alterum, per trimestre amplius eclipses lunæ prædicunt, cum neque literas neque scientiæ vllius cognitionẽ habeant. Ieiunãt & mœsti viuunt eo tempore, persuasi malum aliquod portendi arbitrantur, cum tristibus sonis & canticis lunæ menstruum excipiunt, fœminæ præsertim, sese inuicem plangunt, puellæ nubiles sanguinem sibi ruptis venis cum piscis acuta quadam spina gladioli loco emungunt è lacertis. Quicquid in menstrui tempore cibi & potus conditum & paratum reperitur in domibus, in mare aut alueis fluminum proiicitur, abstinent ab omni oblectamento donec ab eo labore lunam euasisse conspiciant, luce resumpta, iocis & ludis, cantibus lætis & choreis indulgent. Ridiculum est auditu quid causæ lunæ defectũ trahere populis insontibus piaces aliter à suo scitu persuadeãt: ab irato sole, crudo vulnere lunam fuisse percussam eo tempore puerascunt, solis vero ira sedata, reuiuiscere in statũ pristinũ, ac si dæmonem eclipsis causa lateret, qui à siderum sede deiectus, astrorum scientiam secum attulit. Quando vero piaces, principis aut amici alicuius rogatu, sunt euocaturi spiritus, arcanum introeunt secessum hora noctis decima.

Valde lugent tẽpore eclipsis lunaris.

strenuos & intrepidos secum accersunt iuuenes numero paucos, super humili scabello sedet magus, pedibus stant iuuenes immobiles, insanis vocibus, uti Cumeam fecisse Sibillam refert antiquitas, obscuris aperta inuoluens proclamat, tintinabula quæ manu gestat mox concutit, tristi dein sonitu fere lugendo his verbis vocatum compellat spiritum, prororuré prororuré vltima producta, idque sæpius reiterat, si accessum differt vocatus dæmon acrius se macerat, sunt enim oratis verba, vt veniat, si distulerit, cantilenas vertit, & carmina promit minabunda, vultuque toruo imperare videtur. Ea exequuntur quæ sub veteranorii disciplina in abstrusis nemorib⁹ didicisse illos diximus, cum iam tandem sentiunt adesse vocatum, suscepturi dæmonem, crebrioribus ictibus tintinabula quatiunt. Piacem aggreditur vocatus dæmon, acsi vir fortis puerum imbellem adoriretur, solo sternitpiacem hospes dæmon, sese cõtorquet piaces, horridi cruciatus monstrat signa. Ad laborantẽ è iuuenibus admissis accedit audentior, reguli vel eius, cuius causa piaces grauem eam prouinciam sumpsit, præponit mandata, prostrati magi labiis respondet inclusus spiritus, quæ petere soleāt memorauimus. Respõsis habitis, quid præmii sit piaci præbendũ percũctatur iuuenis, an ex eduliis & maiicio satisfactum iri iudicet dæmon, postulata piaci præbentur ad vnguem. Quando cometen spectant, vti custos gregis, aduentante lupo, solet horrendis vocibus lupum deterrere, ita isti putāt suis strepitibus & tynpanorum reboatu cometẽ dissolui. Cœnobitæ narrantes hæc & huiuscemodi, senserunt è collegis nostris ambigere, an esset dictis præstanda fides, propterea frater Thomas ille Hortizius, qui res Chiribichẽsiũ & mores intus & in cute norat, in hoc erupit exemplum inquiens.

Quomodo dæmoniacos sanant.

CAPVT NONVM.

BENE fortunatus frater Petrus Cordubēsis, omnium iudicio vir sanctus, regionis Andaluziæ nostri ordinis prædicatorum viceprouincialis, quem solus augendæ nostræ fidei ardor ad eas traxerat solitudines, solo dei auxilio fretus, piacium illorum arcana statuit indagare, & an dæmone pressi vaticinarentur, darentque more Delfici Apollinis responsa, voluit præsens intelligere. Vero verius esse cognouit: piaci suis carminibus intento voluit adesse, coram eo semel res acta est, ac si cuniculum raptasset melampus, ita piacem solo iactatum reddidit spiritus exanimem. Admirabundus pater ille, sacerdotalem sibi stolam accinxit, affert dextera sanctificatam aquam, vt ramulo iacentem irroraret, sinistra CHRISTI crucem: iacenti proximus hæc verba protulit: Si dæmon es, qui hunc ita fatigas, per huius instrumenti tibi bene noti virtutem, (& crucem protendit) adiuro te, ne sine nostra venia inde audeas exire, quin prius ad interrogata respondeas. Multa latino sermone, non pauca Hispano idiomate, se fuisse percunctatum affirmat sanctus pater ille, ad quæque respondisse iacentem ordine suo inquit, non latine tamen aut Hispanice, sed eo sermone quo piaces enutritus est, in sensu vero nil deuians. Miscuit vnum præter cætera bonus frater: En dic post huius corporei carceris exitum animæ Chiribichensium quonam proficiscūtur. Ad ardentes æternasque flāmas nos ipsi raptatas trahimus, vt vna nobiscum suorum operū obscœnorū pœnas luant ait: hæc Chiribichensibus multis ex fratris mandato præsentibus acta sunt. Vulgatam per regionem vniuersam eam famā nihilo à priscis malis moribus deterruisse Chiribichenses, quin eodem ordine suos exeque-

Frater Petrus Cordubensis.

rentur appetitus, conqueritur frater Thomas. His actis bonus Cordubensis in piacem iacẽtem versus inquit, discede ab hoc homine spiritus immunde. eo verbo prolato, piaces repente surrexit, sed stupidus adeo ut alienus à se ipso diu steterit, vix plantis inhærens, ubi primum loqui posse datum est, maledictis & grauibus querelis abeuntem insectatus est hospitem, qui tanto tempore corpus eius macerauit. Garsias Loaisa bicolorum & ipse concionatorum frater, quem, ut asserit, Beatitudo tua sub rubro galero ad suæ regulæ apicem euexit, nunc conscientiæ Cæsaris refricator, & Oxomensis antistes, nostrique senatus Indici princeps, Cordubensem eum fratrem Petrum ait omni laude dignum & veridicum esse. A meo iudicio non est hoc alienum, quandoquidem nostra lex patitur, ut vexatos fuisse multos à dæmonibus fateamur, CHRISTUSque sæpe dicitur immundos spiritus ab hominibus eiecisse. Fruuntur & hi piaces aliorũ symposiis & choreis ludisque leuibus aliis, à populo tamẽ ob grauitatem semoti. Carminum sensa neque ipsimet artifices intelligunt, uti nostris accidit: licet sermoni latino vulgaris sit proximus, pauci tamen sacris astantes quid sacerdotes cantent, percipiunt, immo & è sacerdotibus ipsis ex antistitum ignaua incuria, non pauci solo verborum prolatu, re non percepta, contenti, rem diuinam audent exercere. Quibus modis sua funera tractent, non est ineptum auditu. Obeuntium corpora, nobiliorum præsertim, super arundineis cratibus partim composita distendunt, ac lento igni quarundam herbarum succenso, sicca reddunt, humore vniuerso guttatim distillato, ea dein seruant in penetralibus suspensa pro penatibus. Est & aliis quibusdam regionibus huius putati continentis ea consuetudo, ut in decadibus primis ad Leonem patruelem tuæ Beatitudinis dictum puto. Quæ vero corpora non desiccantur exerta domi fossa, cum plãctibus & lachrymis tumulantur. Exacto primi funeris anno,

Funera quopacto tractent.

amicorum

amicorum vicinia conuocatur, confluit ea multitudo quæ statui vita functi conuenit, inuitatorum quisque, cibis & potibus comitatus venit, aut seruos ducit onustos, primo noctis crepusculo, sepulchrũ ministri reperiunt, ossa eruunt, elatis vocibus & sparsis crinibus collachrymantur, propriis pedibus cũ manibus apprehensis & capite inter crura posito in orbem se constringunt, horrendos tunc rabidè protendendo solutos pedes & facie ac brachiis ad cœlos versis edunt vlulatus. Quicquid lachrymarum ab oculis, quicquid ve mucorum è naribus manat, intersum fœdo aspectu relinquunt: quo turpiores redduntur, eo se perfectius officio functos arbitrantur, ossa comburunt, capitis ceruicem seruant, hanc nobilior è fœminis secum affert domi seruandam pro re sacra, redeunt inuitati.

Quid de anima sentiant nunc dicamus. Animam esse immortalem fatentur, exutum veste corporea ad montanas proficisci credunt siluas, ibique in speluncis perpetuo agere, neque cibum neque potum eius tollunt, quin & illic depascantur. Opinio Indorum de anima.

Auditas è specubus voces responsiuas, quas echon Latinus appellat, animas esse per ea loca vagantes arbitrantur. Crucem eos venerari cognouerunt, licet aliquantisper iacentem hoc modo. ✕ . alibi pacto hoc ⊠ circundatum lineis, nascentibus eam apponunt, dæmones aufugere ab eo instrumento credunt, si quid noctu formidolosum aliquando visum est, crucem sistunt, purgari locum eo remedio dicunt. Vndenã & hæc & sermones quos non intelligunt didicerint interrogati, à maioribus ad iuniores transmeasse mores ritusque illos respõdent. Ignoscant Chiribichenses res, si vltimum in hoc rerum aceruo promissum illis abstulero locum, dixi namque conclusuras opus, excepto rerum nouarum pullulatu, æquius est vt extremũ agmen tantarũ rerũ egregiæ classes Oceanũ sæpe sulcantes impellãt, & lassã mihi dexterã iã retrahãt à scribẽdo. Crucem venerantur.

Dum enim in præcedenti ducali ac Beatitudinis tuæ rebus in hoc libello nũcupatis, versarer, accurrebant multa quæ partim retuli, partim occasiones oblatæ reseruari in hoc tẽpus coegerũt, quia præterea nõ est mihi liberũ ob alia negocia, singulis dieb⁹ scribendis successibus Indicis intendere: mensis integer expers interdum mihi labitur è manibus, propterea raptim & ferè in confuso quando vacat, cũcta scribuntur, neque potest in his ordo seruari, quia inordinatè accidunt: ad classes veniamus.

Anno superiore quatuor nauium ex Hispaniola reuecta fuit vna, ab cuius nautis & senatu remanẽte, ea nobis relata scriptaque fuerunt, quæ de Garaio, Aegidio Gonsalo, Christoforo Olito, Petro Aria, & Fernando Cortesio narrata sunt. Ex Barrameda Betis ostio discessit alia quinto Nonas Maii, hu-
1525. ius anni Millesimi quingentesimi vigesimi quinti nauium quatuor & viginti, vt in Hispaniolam primo, vbi senatus est Oceanea cuncta gubernans, & inde se mox ad varias illius orbis noui prouincias spargant. In vna illarum nauium familiaris meus Ioannes Mendegurrensis, Cusentino Archiepiscopo & Vianesio quondam hîc legatis notus, vectus est, ad Iamaicæ meæ paradiseæ res curandas. Ab eo ex Gomera fortunatarum insularum vna, quò omnes Oceanum traiecturi aquandi gratia se applicant, literas habeo. Decem dierum spatio iter suum prospero successu peregisse scribit, breuiore potuissent pleræque naues agilliores, sed lentatis velis opus fuit torpentes comites expectare, ne in Gallorum pyratarum fauces, qui eos diu in alis stantes opperiebantur, tardiores inciderent: in quartum inde diem vela in altum Oceanum se facturos asserit, tunc suæ quique naui soluent habenas & vela protendent ad libitum, à pyratarum metu securi: vt fœlicibus auspiciis cœptũ iter peragant oramus. An ad Cassiterides insulas Portugaliæ ditionis, dictas Azores, appulsas fuisse ab

Ioannes Mẽdegurrensis.

Fernando Cortesio & noua Hispania, terrarum nobis notarum vltima, naues duas dixerim, non memini, dictum sit necne parum refert. Quomodo sit prouisum, ne in vastos pyratarum hiatus decidant, qui velificando illas diu expectarunt, & quo modo iam euaserint, quidve aduehant referendum est. Ex illis vna depositis oneribus tentare fortunam statuit, superis iuuantibus, non incidit in latrones, incolumis euasit. Cæsari nobisque per Lupum Samanecum à paruulo apud me educatum, abhinc anno tertio profectum, bona tamen adepta mea venia, cum regio è secretis Albornozio misso sub nomine computatoris regii, mandata dederunt nauium duces. His intellectis classis instructa fuit ilico sex nauium, quarum quatuor ducentarum sunt capaces cuparum, & vnà comites duæ carauelæ ad maritimam pugnam, si pyratas habuerint obuios, paratissimæ: quatuor nobis alias mutuo dedit rex Portugaliæ dexterrimas, & omni genere tormentorum bene munitas, ierunt septimo idus Iunii, deposita sumpserunt onera, & tutæ redierunt circiter finem Iulii, in vrbe Hispali læti gratias agunt superis, indies primarios ductores expectamus. Quæ ab illis hauriemus, tuæ Beatitudini aliquando sugenda præbebimus, si hæc placuisse intellexerimus, obsoniorum nobis porrecta paropside, quibus viginti amplius ociosorum millia quotannis tua Beatitudo pinguefacit, quò largius queant ocii prærogatiuis inhærere. Idem Cæsari ausus fui dicere, quando abbatialem mihi Iamaicæ Antisteam præbuit: Cæsarem namque in hæc verba tunc aggressus fui. Cæsar inuictissime, qualis maternis auis & parenti vtrique tuis ab anno septimo & trigesimo, quo me tenet Hispania, fuerim, quàmque tuæ Cæsareæ maiestati vtilis, verbo, & præbitis honoribus, quandocunque opus est, tua maiestas fatetur: sed in huius rei testi-

Peric labo rum suorum præmia.

monium, quo id oratoribus conterraneis meis, Mediolanensi, Venetis, Florentinis, Genuensi, Ferrariensi ac Mantuano persuadere queam, amoris huius aliquo argumento exteriore indigeo, ob honorem, cuius escam nemo vnquam abiecisse reperietur: de nundinis, vt est in veteri prouerbio, pro lucri qualitate quisque prædicat. Grata profecto, post habitum à tua Beatitudine gratiosum breue membraneũ, fuerunt multa capita literârum reuerendißimi Datarij ad Baltasarem legatum scriptarum, in quibus non infirmum esse Beatitudinis tuæ amorem erga me testatur, & se fere apud Beatitudinem tuam patronum meum benigne pollicetur. Sed benefrondosam non tanti faciendam esse arborem censemus, quæ cum benefica esse poßit, vlmo vel platano similis esse malit. Nimis sum euagatus, ad vectas naues redeamus. Duæ tantum erant & paruæ quidem ab Cortesio naues, nauigiorum penuriæ illarum regionum thesauri paucitatem ascribunt, septuaginta tantum millia pensorum auri afferunt Cæsari, dixi sæpe pensum Hispanum ducatum aureum superare quadrante, hoc arbitror nihil superaturum, quòd purum non sit aurum.

Colubrina ex auro conflata.

Aduehunt & colubrinam bellicum tormentum, de quo sæpe, ex auro fere non auro ait Lupus Samanecus, qui apud me nunc est, in prima naui, quæ fortunam tentauit, vectus, esse conflatam, trium & viginti, verbo Hispano quintalium: (quintalis quisque rubos librarũ sextũcialiũ quatuor cõtinet) Afferunt & gemmas & ornamenta multiplicia ditia, mirandæ pulchritudinis tygrim in naui prima vexit Lupus Samanecus, sed ad nos non ducta est. De Cortesio & Cortesii vafris artibus in decipiendo seducendoque, longe distantibus ab relatu multorum, apertis etiam argumentis, quòd cõgestos habeat auri, gemmarum & argenti nusquam auditos aceruos, per immensi atrii sui posticum, furtim noctu ignaris magistratibus, à regulorum seruis sarcinatim intromissos, deque

vrbibus cum suis municipiis & villis innumeris opulentis, de auri & argenti fodinis, deque prouinciarum numero & amplitudine, ac multis præterea in tempus aliud seruamus. Ruminantur in arcanis remedia quædam, nefas mihi esset emutire quicquam aliud impræsentiarum, donec tela hæc, quā nunc ordimur, texturæ suæ finem sortiatur: ad partem abeant hæc, de claßibus aliis parumper. In eo quem baccalarius Antonius Tamaronus procurator meus Beatitudini tuæ porrexit libello, incipiēte, PRIVSQVAM, de classe ad Maluchas insulas aromatum altrices, quæ lineæ subsunt æquinoctiali vel proximæ, mittenda, facta est mentio latißima, vbi in cōtrouersia cum rege Portugalico in ciuitate Pacensi, quæ vulgo dicitur Badaioz, diximus fuisse conuictos Portugalenses, sed non confessos, cuius rei rationes illic adductæ sunt in medium: claßis ea quæ iussa fuerat interrumpi, soluto conuentu Pacensi, peracta fuit in Cantabrica Bilbaui statione, mox ad Cluniū portum Gallecum, omnium portuum tutißimum, & nauium omnium, quas maria continent, capacem, aduecta fuit, circiter Kalendas Iunii huius anni. M.D.XXV. Ibi rebus omnibus & ad longam nauigationem & rem bellicam, si pugnandi neceßitas sese obtulerit, instructa, dies aliquot in anchoris ventos expectans opportunos, perstitit. Septem ea nauium est, quarum quatuor cuparū sunt centum octoginta & ducentū capaces, duæ comites sunt (vocabulis vtar domesticis vt intelligar) carauelæ, septima parua est, dicit Hispanus patacam, huiusmodi portant aliam membratim solutam, vt vbi primum optatum captauerint portum eam componant, in insulam Tidori è Maluchis vnam (in qua diximus in orbe ambito ad Adrianum è superstitibus duabus nauibus vnam restitisse, cum hominibus quinquaginta) & cum duabus illis paruo fundo indigentibus, insularia tentet, & scrutetur sub, citra, & vltra lineam æquinoctialem sistentia. Decas sexta ita incipit.

Classe hac morante, rex Portugaliæ Cæsari sororius & consobrinus, efflagitare & instare nunquam destitit, ne tantam sibi iacturam Cæsar astrueret. Ne Castellam imperii & regnorum suorum omnium pulpam sibi Cæsar redderet infensam, consobrini & sororii regis nusquam voluit postulatis assentiri. Contra Portugalensium tandem & opinionem & desiderium, elucescente diui Iacobi Hispanorum patroni profesto, flantibus à terra fœlicibus Euris vela fecit. Anchorarum eius eleuatu tubarum fuerunt clangores, & tympanorum reboatus, ac tormentorum strepitus, vt ruere cœlum & tremere montes viderentur præ lætitia. Priore tamen vespera classis præfectus frater Garsias Loaisa diui Ioannis crucifer, abhinc anno quarto missus à Cæsare orator ad magnum Turcarum principem, in comitis Fernandi de Andrada Galleci principis (qui strauit in Calabria Aubegniū Gallorum ducem quondam) & ipsius regni Gallecia proregis manibus præstitit homagium, prætori duces alij, ducibus milites & ministri, homagio præstito: ex amborū manibus cum pompa solenni, sacratum prius accepit regium vexillum cum summo applausu: manserunt hi, abierunt illi prosperis in puppim flantibus Euris. Ex fortunatis insulis, quæ Canariæ dicuntur, qua iter est ad meridiem, se retro scripturos nostro senatui, à quo depēdent, Cæsare iubente pollicentur. Prætoriæ naui prætor ipse præsidet, secundæ Ioānes Sebastianus de Cano, qui Victoriam nauim duxit gariophyllis onustam, sociamque superstitem reliquit, quòd nimis esset conquassata, tertiæ nauis dux it Petrus Vera, quartæ don Rodericus de Acunna genere clarus, ambo hi multarum classium bellicarum fuere prætores, & præclare gestis insignes, ambo illustres, quintæ don Georgius Manricus, ducis Naiaræ frater, hic iunior & minoris est experimenti, propterea licet nobilior, æquo animo passus locum inferiorē, iure merito censuit exercitatioribus esse cedendum. Sextæ na-

uis caput est nobilis quidam Cordubensis cognomine Hozes, vltimæ tenuis patacæ nobilis alter. Restat non parui momenti res vna, placidæ cognitionis altera, priusquam ab hac classe discedamus. Quid causæ Cæsarem nosque senatum eius mouerit vt in portu Clunio Galleco aromataria hæc negociatio tractaretur dicendum est, cum summa celebris ciuitatis illius Hispalensis molestia, vbi res Indicæ hactenus vniuersæ actæ sunt. Est portus ille Gallecus præter nauiū in eo receptandarū securitatem, situs in eo Hispaniæ latere, quod breui rectoque cursu Britanniam spectat maiorem, & finibus Gallicis proximus, ac septentrionalibus mercatoribus aromata quærentibus aptior. Nec prætereunda sunt duo discrimina formidolosa nautis, quæ vitantur hoc inuento. Mare illud Oceanum, quod medium est inter portum hunc & Betis ostium, qua conscenditur Hispalim, tempestuosum est adeo, vt paruæ Zephyrorum procellæ, naues deprehensas in eo tractu sacri promontorii ac viciniæ ipsius, in ambesas rupes iactatas crudelius illidant aut absorbeant, quàm de rapacis Scyllæ scopulis & Caribdis voraginibus feratur. Alterum in pyratarum saltibus periculū: sunt in illis oris inter montes horridos multæ valles desertæ, quæ non patiuntur ob sterilitatem, populorū frequentiam, sunt pyratarum latibula, in transeuntes ab altis culminum speculis moniti à suis naues insiliunt: his de causis sancitum est, vt ea negociatio illic exerceatur. Eius classis iter idem est futurum quod Fernandus Magaglianus Portugalensis per vniuersum transiliens eum tractum, quem philosophi torridam Zonam appellarunt, ad antarcticum vltra capricorni lineam profectus est, qua & classis alia est itura, duce Sebastiano Caboto viro Italo, de quibus ambobus in orbe ambito ad Adrianum, & in ducali præcedenti. Parantur & in alueo Betis fluminis classes aliæ duæ ad Hispaniolam & reliquas insulas, sancti Ioannis, Cubam, quæ Fernandina dicitur,

Laus portus Clunii Galleci.

Sebastianus Cabotus.

& Iamaicam meam Antisteam, nouo nomine sancti Iacobi insulam, inde ad putatum continens & nouam Hispaniam ab Fernando Cortesio subactam diuidentur, de cuius amplitudine ac opulentia nos aliquando dicturos paulo ante promisimus. Ita non minor est iam classium undas Oceani excutientium, ad nouos orbes euntium ac redeuntium concursus, quàm mercatorum à finibus Italiæ ad nudinas Lugdunenses, aut ex Gallia & Germania Antuerpienses Belgicas. Ex aliqua tui cubiculi penetrali rimula, pater sancte, optarem inspicere quid tunc gaudii, de sacro pectore ad vultum arcanorum primum præconem erumpet, quando talia tantaque de nouis orbibus hactenus ignotis, legerit, Christi ecclesiæ suæ sponsæ, tanquam monilia nuptialia, spiritualiter condonata, neque saturam esse in largiendo in diuina bonitate naturam, quin, si quà latent, ad ea, tuæ Cæsarisque fronti subiicienda, se præparent. Hoc cœnæ margine iam contenta sit beatitudo tua, cui fœlices annos cupio. Ex vrbe Toleto Carpentana & Cæsarea curia tredecimo Kalendas Nouembris. Anni. M. D. X X V.

Frequens nauigatio Indici Oceani.

CAPVT DECIMVM.



PRÆGNANS hic noster Oceanus nouos part⁹ in horas emittit. Illustris hic à tua beatitudine nuncius Baltasar Castillion, vir omni genere virtutum & gratiarum clarus, colligatas vbi vidit duas has ducalem & papalem: decades, vt sua manu mittere illas ad beatitudinem tuã liceret, efflagitauit, placere dixi: sed ecce in grauem incidit valetudinem, nequiuit vt optabat negociis intendere, licet non pauca emergerent, nullum propterea dimisit eo tempore tabellarium, cui magnas tuæ beatitudinis actiones & vnà libellos nostros, ne periret, credere quiret. Ex hac mora exortum est vt

Laus Baltasaris Castilionis nunci Apostolici.

addere per corolarium pauca poßimus. Tres ab orbis noui regionibus naues habuimus, ab noua Hispania, Fernandi Cortesii sæpe nominati gubernationi subiecta, vnam, quæ carauela dicitur: quæ attulerit hæc dictu miseranda sunt, nec pauca quidem, sed à literis in duabus illis nauibus, quas supra memoraui, allatis exordiendum est, quo apertius hæc & illa intelligantur. Duo sunt epistolarum genera, cõmune vnum, particulare alterum: in magno volumine communi, Cortesii & magistratuum computatoris, thesaurarii, & factoris manu subscripto, late significatur de natura terrarum, de his quæ ad Cæsarem mittuntur, de nauium penuria in illis oris (in excusationem quòd exigua gemmarum & auri summa feratur) de grauibus impensis, in qua narratione Cortesius se pauperem esse dicit, quòdque sit alieno ære pessundatus, de nauibus ab eo in australi compactis littore, quibus propinquã, ad gradus polares vix duodecim, lineam æquinoctialem tractaturum se aiebat, quòd ab littoralibus illis populis intellexisset finitimas ipsis esse insulas aromatum, auri & gemmarum altrices: longa est verborum series, graues conquestus, quòd combustas esse naues illas cum suis apparatibus audiuerit, quia ob aduersariorum stimulos prouinciam prosequi cœptam nequiuerit, resarciturum se iacturam hanc profitetur, modo cessent perturbatores, de variis etiam ac multis nuper detectis auri & argenti fodinis, ac de his quæ nouis indigent remediis, deque tribus & sexaginta millibus auri pensis fiscalibus, contra magistratuum assensum, sub specie mutui ad nouum exercitũ cogendũ sumptis, deque ducibus per diuersa ad varias regiones subdẽdas designatis & multis præterea. Arcanæ vero ac particulares litteræ à solo computatore Albornozio regio à secretis veniũt sub ignotis caracterib⁹, quos zifras nũcupat vsus, discedenti Albornozio aßignatos, quòd ab eo tẽpore suspitione de animo Cortesii nõ carerem⁹. Hæ cõtra Cortesii vafros astus & ardẽtem auariciã ac semiapertam tyrãnidem formatæ

sunt, an ex vero, an vti sæpe solet, captandæ gratiæ causa hæc fabricata sint, iudicabit aliquando tempus, delecti namque iam sunt viri graues adhæc inquirenda mittendi, quando latentia nunc hæc patefient, beatitudini tuæ significabuntur, missa hæc fiant, ad Cortesii discursum redeamus. Super Christofori Oliti, de quo lata mentio facta est in superioribus, inobseruantia, Cortesium tanta rabies inuasit, vt viuere vlterius nolle videretur Olito impunito, cum narium & venarum gutturis summo tumore præ ira, sæpe dedit de tanta animi perturbatione signa, neque à verbis id significantibus abstinuit. Distabat ab eo Olitus iam leucas quingentas amplius vti omnes affirmant ad Orientem, ab salsa Tenustitana lacuna, eundumque ad illum erat per inaccessa multis modis itinera. Is Olitus sedem fixerat in sinu dicto Figueras iam diu inuento sub spe reperiendi tantopere desiderati freti, quo & tres alij duces appulsi se inuicem mutuis prælijs confecerunt, de horum infaustis actibus infra dicemus, nunc ab Cortesio ne discedamus. Copias cogit Cortesius, id spectantes regii magistratus, placidis primo sermonibus virum aggrediuntur, ne prouinciam captet eam, in qua multa se offerunt discrimina vbi sit inter nostrosmet bellandum, hortantur, & monent, ne tãtæ cladis Christianorum causa esse velit, né ve in tanto locet periculo vniuersæ rei summam: præsentaneam quippe se, videre dixerunt remanentium omnium interniciem, si militibus vacuam reliquerit, imperiorum caput, eam regionem Tenustitanam nuper subactam, & adhuc regum suorum veterum necem ac penatum & amicorum ac affinium clades lugentem. Sique ipse, quod maius est, discesserit, cuius nomen esse cunctis gentibus illis formidolosum fatebantur, en quid, si aduersi aliquid, quod absit, acciderit nõne cuncta ruerent? Cæsari curæ fore de Olito corrigendo, luiturũ sui erroris pœnas Olitũ aiebant. Hæc & multa præterea, sed incassum omnia: & suo

Ingens ira Cortesii contra Christoforum Olitum.

& Cæsaris regis nomine iterum protestantur, vt à proposito decidat. Tunc iureiurando addito se non iturum ad Olitū pollicitus est, sed quo rebelles quosdam regulos domet, nec longe quidem: non stat promißis, ad Orientem tendit longis itineribus, eo furore accensus in Olitum, in lacunas ingentes incidit maritimas alicubi, paludes alibi vallosas, in asperos alibi montes, quacunque proficiscebatur, incolarum lacertis construi pōtes, desiccari paludes, consterni montes imperabat, detrectare audebat nemo, igne ferroque deuastabat in aduersum cogitantia cuncta, quicquid inuium occurrebat peruium efficiebatur, tanto erat omnibus incolis terrori post Mutec Zumæ tanti potentis regis debellatum, latique illius imperii capturā, vt cælum posse hunc hominem dirruere, si animo sederet, arbitrentur. Impedimentorum & equorum, ignotum illis gentibus belligerandi genus, copiam pertrahebat secum: erant auxiliarii vicini, quondam hostes eorum, per quorum ditiones & regna gradiebatur. Parte alia præmiserat ab australi plaga Petrum Aluaradum, & ab Septentrionali Godoium quendam, duces itinere terrestri, à quibus habuerat Cortesius literas, & nos habemus, de magnis & latis nouis regionibus, bellicosis etiam populis & ciuitatibus lacunaribus alicubi, montanis & planis alibi, de quibus rebus volumen ab eo missum Cortesii pater, qui apud nos est, cudendum tradidit impressoribus idiomate patrio, & per platearum podia vagatur. Mari vero cum trium grandiorum nauium multisque viris nobilibus ducem alium miserat nomine Franciscum de las Casas, de quo paulo ante tetigi & plura dicemus, licet ordine præpostero, ita succeßibus exigentibus. Huic duci maritimo dederat in mandatis, vt Olitum, si fieri posset, haberet ad manus, vti habuisse loco suo dicemus. In hoc statu rem Tenustitanam duæ naues reliquerunt hæ, iam diu appulsæ cum septuaginta

Omnibus terrorem incutit Cortesius.

Volumen Cortesii de reb⁹ Indicis conscriptum.

millibus auri pensis & tygribus duabus, quarum vna præ cõcussu nauis & præ labore interiit Hispali, alteram hic habemus mitem effectam, sed catellam. Licet & vulgo inspicere colubrinam tantopere per ora hominum sufflatam, reipsa non multo est auro fulta, vti fama ferebat, spectatu tamen digna. Ornatus vero & instrumenta bellica multo auro ac gemmis formata, moniliaque arte mira compacta, ab Cortesio partim, ab illarum terrarum rectoribus partim, directa dona viderũt omnes: qui reuerendißimum tuæ Beatitudinis legatum sunt comitati, viua illi voce aliquando dinumerabunt. De duarũ nauium relatu satis. Nunc ad carauelam quæ sola è septem sociis ex portu Medellino, Hispaniæ nouæ scala, fugiens euasit, veniamus. Sed cur locum illum portuosum Cortesius hoc nomine statuerit appellari, dicamus. Medellinum oppidum celebre in Castella est, inde oriundus est Cortesius, à suo hinc natali solo electum, vt sit omnium illarum terrarum emporium, locum illum Medellinum dici vult, nec itur contra. Regioni etiam ipse nouæ Hispaniæ nomen dedit, ac petiit à Cæsare confirmari. In eo portu septem erant in anchoris mercatoriæ naues, propediem in Hispaniam rediture suis mercibus exoneratis. Exoritur inter magistratus regios seditio, mittendos esse cũ nauibus illis ad Cæsarem (cuius ob ingruentia bella necessitas est ingens) coactos auri ac gemmarum aceruos, tali occasione nauium sese offerente, quod raro accidit, præposuerunt hi. Iam diu nanque promissa Cæsari fuerant per Ioannem Riberã Cortesii à secretis auri pensa millia ducentum, modò naues aptæ ad ea perferenda mitterentur. Contra sententiam hanc cæteri collegæ insilierunt, expectandum esse gubernatorẽ Cortesium, neque innouandum quicquam eo absente institerunt, venitur ad arma. Forte fortuna superuenit Franciscus delas Casas dux Cortesii maritimus, iugulato Olito superbus, Cortesianis in regios fauit, equo perempto aiunt vulneratum esse & in-

Aurea Colubrina.

Medelinũ oppidum Castellæ Cortesij patria.

Frãciscus delas Casas.

vincula detrusum Albornozium computatorem. Ad littus victores procurrunt, nauium septem patronos prahendunt, omni amplustre ac temonibus, ne discedere queant, in terram tractis, naues vacuant. Huius carauelæ appulsæ dominus tanta ruina percitus, occasionem quandam nactus ad nauim suã reuertitur: carbasis & ipse ac reliquis naualibus instrumentis spoliatus, facinus aggressus est laude dignum. Vetera quædam semilacera proiecerat in secessum, tanquam emerita & inutilia vela, ex illorum pannis pertusatis & vna paucarum cãnarum tela recenti, centonicum struxit carbasum. Insalutatis, qui vim exercebant, ancheras eruit, vela pandit, fœlicibus Zephyris adiuta, citatiore deuecta est cursu, quàm vlli vnquam naui contigerit ab illis Oceani calcibus venienti. Nullas attulit à viuente quoquam literas aut mandata nauis huius dominus, fuere tamen eius nautarum sermones adeo compositi, vt illorum relatui sit prastita fides. De Cortesio quòd ab incolis, per quorum ditiones iter facere peruicaci animo statuerat, cum vniuerso comitatu fuerit trucidatus, per cõiecturas inquiunt hi naucleri fuisse collectum, hoc pacto. Postergatos reliquit plerosque decuriones, cum mandatis vt parati sequerentur, illius secuti vestigia, ruptos pontes, intercissaque omnia repererunt à tergo itinera, aiebatque tunc fama vagans, inter palustres quasdam algas maritimas, quæ fluxuũ & tempestatum impulsu madefacta tellure generantur, interque dumeta vicina virorum & equorum ossa fuisse visa. Hæc de Cortesio & insanientibus regiis magistratibus profuga retulit carauela. De quatuor vero ducibus anhelãti spiritu ad optati freti perquisitionem hiantibus, hæc aiũt se audiuisse hi nautæ. Sed res hæc est paulo lõgius repetẽda. Si memor est Beatitudo tua, Pater sãcte, post põtificis Adriani obitũ, venerabilis vir iurecõsultus Antonius Tamaronus, meo nomine porrexit tuæ Beatitudini libellũ, cui est initiũ, Priusquã, scripsitq; Decadis sextæ initium.

gratum fuisse, in eo discursu est sermo de nobili viro Aegidio Gonsalo Abulensi (dicit vulgus Gilgonzalez de Auila) quonam pacto dulcium aquarum repererit alueum adeo grãdem, vt aquarum dulcium pelagus lacum eum appellauerit, deque illius ripis populis frequentibus nobilitatis, de grandi iactura pluuiarum, de cerimoniis & moribus ac ritibus sacrorum illarum gentiũ, de auri copia, de initio pacis & placidis commerciis primò, dein de bello & grauibus pugnis cum Nicoragua & Diriangene regibus, deque reditu suo ad Hispaniolã, vnde militum & equorum comparata manu ad sinum dictum Figueras, qui putati continentis oras, vti sinus Adriaticus Italiam ab Illyrico & reliqua Græcia dirimere videtur, profecturum diximus, in quem sinum nauigabile flumen aliquod aquarum illam vastitatem absorbens decidere putabat, vti Verbanum sugit lacum Ticinus, Benacũ Mincius: de quibus & rebus & exemplis illic multa satis. Sed cur sinus ille tam versatus per ora hominum ita nuncupetur, non est prætereundum. A primis repertoribus nomen aiunt impositum Figueras, quòd in eo tractu familiaria repererint quarundam arborum nemora ficubus valde similia frõdibus, trũco licet dissono, solido nanque hæc, ficus autem medulloso constat ligno, & cum ficus arbores Hispanũ idioma figueras appellet, paulo corrupto vocabulo Figueras dicunt, à quarum arborum truncis & ramis procerioribus tornatilia vasa formãt incolæ, ad abbacorum ornatum & mensarum ministeria cõmoda, paropsides dico ac pelues & pateras creteresque & patellas, ac reliqua id genus ad vsum hominum apta perpulchrè laborata. Per sinus angulum Aegidius Gonsalus siue Gilgõzalez ad lacum à se inuentum terra profectus, exitu aquarum necdum reperto, in regno Nicoraguæ reguli à se, vt ait, amico relicto, ducem Petri Ariæ gubernatoris aureæ Castellæ, nomine Franciscus Fernandez, regnum illud occupasse ac

Figueras sinus.

in eo coloniam deduxisse reperit, quid acciderit breui conclu- dã epitomate. En ad verba, mox ad colloquia, dein ad manus: vim illatã sibi arguit Gilgonzalez, inuentũ suũ disturbari cõ queritur, ter aiunt hi nautæ conflixisse, octo viros in seditione perẽptos, vulneratos plures & equos periisse triginta. Ita socie- tatis impatientes alterne se conficiunt Hispani quacũque pro- ficiscũtur. Duccẽta dicũt hi nautæ pẽsorũ auri nõ bene puri mil lia Aegidiũ Gonsalũ Frãcisco Fernandez rapuisse. Centũ tri- ginta millia Petrus Arias gubernator, (à quo magnum litera rum fascem à putato continenti habemus,) suo duci cum sum- mo conquestu de Aegidio Gonsalo scribit erepta fuisse. Pen- sa hæc ab regulis finitimis ipsi coegerãt, an ab inuitis, an per- mutatione rerum nostratium à libentibus, non est nostrum nunc disputare: & hoc parum, maius opus restat. His ita pro Hispanorum ingeniis inquietis occurrentibus, ad Christopho- rum Olitum ab Cortesio missum, qui & ipse coloniam pau- lo longius in iisdem littoribus erexerat, cui nomẽ Triumphus sanctæ crucis imposuerat, venit Aegidius Gõsalus, hunc præ- hendit Olitus. locum autem ita nuncupauit, quòd post varia naufragia, quæ longo sermone ipse recitat, illuc de turbinum ingentium euasus rabie, terram captauerit, quo die de victo- ria Herodii Romanorum Imperatoris contra Persas ecclesia Romana solẽne celebrat. Ridiculum in fortunæ tabula ludum audi: superuenit quartus dux Frãciscus delas Casas missus ab Cortesio contra Olitum, exit Olitus ad consocium & paulo ante sub Cortesio collegam, bello nauali certant, vi tormento- rum vnam è nauibus Oliti vnà cum hominibus terebratam submersit Franciscus, & in altum se recepit mare, Olitus ad terram profectus est. Sinus ille crebris fluctibus obnoxius est, quòd septentrioneis rabiosis flatibus sit expositus, & longo tractu inter celsorum latera montium perstringatur, paucos propterea post dies ventorum furore raptatus, & maiori ex

Ægidius Gonsalus capitur ab Olito.

parte hominibus, equis, & nauibus amißis, ad Oliti potestatem proiectus est Franciscus, Oliti hostis acerrimus, capit & hunc Olitus. En duces duos momenti maioris quam captor ipse sit, Olitus hospites non bene contentos, sed prædam ad suã perniciem domi clausit. De hospite occidendo conueniunt ambo, seducunt Oliti familiares, ne rem aggredientibus ipsis auxilio accurrãt proditori Olito, qui ad famam læsæ Maiestatis cõtraxerit innoxios. Vna noctium ex composito discumbentes apud egregium hospitem pro cœnæ præbitæ symbolo, sumptis gladiolis, qui ad mensæ ministerium aderant, hospitem malegratum adoriuntur, aberant intenti cœnæ suæ post cœnam herilem ministri, multis ictibus Olitum conficiunt, non perimũt tamen: aufugit Olitus, ad incolarum magalia quædam sibi nota se recepit. Per præcones edicitur perimendum fore, quicunque Olito proditori fuerit patrocinatus, aut latentem non mõstrauerit sciens, propalanti præmium designatur, proditur à suis, proditorio libello formato sub publica præconis voce iugulatur. Is finis Oliti, in quem & cæteri collegæ non multo post, ni fallor, trahentur. Sed audiat Beatitudo tua facinus aliud infandum, fortunæ tabula lusoria ridiculum. Franciscus delas Casas dux alter maritimus Olito iugulato socium Gonsalum fidentem & armis non parem, illata vi duxisse ad vrbem Tenustitanam dicitur, Cortesio putat id fore gratum munus. En quatuor ducum in sinu Figueras dicto insaniam amaras carpsisse dapes, & præ ambitione ac auaritia se multaque regna, quæ paccato Cæsari parerent, in præceps traxisse. Sunt qui ferant se vidiße in Tenustitana ciuitate Aegidium Gonsalum in Francisci delas Casas potestate, negant alii: sub incerta fama vagantur hæc murmura de Gilgonsalo. Post clausum consutumque duarum decadũ libellum ab Hispaniolæ senatoribus bis naues habuimus, vno vectu quatuor, septem altero, ab noua Hispania nullam præter hanc profugã, literariũ

Iugulatur Olitus.

fascem

fascem ingentem à Petro Aria gubernatore aureæ Castellæ missum legimus in senatu: capitum sensa de suis sunt actionibus, de duris laboribus suis & commilitonum multa, de proximo discessu futuro regii thesaurarii partiũ illarum cum auri summa cui non signat numerum, de incepto itinere, quo peracto facili traiectu mare vtrumque pertractabitur, & insulas æquinoctio suppositas habere poterimus familiares, quòd sexdecim tantum aut paulo amplius leucarum sit illa intercapedo à portu Nomen dei dicto, ad coloniam Panamam & ipsam bene portuosam, quæ ab æquinoctio sex tantum gradus distat cum dimidio, vbi noctis ac diei discrimẽ toto anno vix dignoscitur. De illorum tractuum prærogatiuis in superioribus satis. Alio capite Aegidium Gonsalum incusat de illata vi suo duci Francisco Fernandez, & suum à modestia & temperantia laudat, sentiunt aliter alii. Audiemus aliquando partis alterius querelas, & quid faciendum sit tunc iudicabitur: longa rerum multarum particularium series, longæ ambages, quas ego complecti nec volo nec possum, neque Beatitudini tuæ sunt cognitu necessariæ, poscit cum humili supplicatu tamen Petrus Arias, vt iam tandem per Cæsarem liceat ad vxorem & natos redire, quòd iam senecta se ac mille morbis confectum esse sentiat: ita sancitum est, reuocatur namque ipse, ac eius loco nobilis quidam Cordubensis eques nomine Petrus Rios sufficitur, is apud nos est, & ad discessum se apparat. Petrus Rios. In superioribus vbi sermonem fecimus de Francisci Garaii male fortunatis successibus, de Oliti accessu ad Cubam, vnde ad Figueras traiicere parabat, de Aegidio Gonsalo & eius apparatu ad eadem loca, deque Petri Ariæ cogitatibus, ad idem diximus etiam nil à senatu nostro aliud prouideri potuisse, præterquam præbere Hispaniolæ senatui potestatem absolutam, iubereque vt ipsi viciniores operam darent, ne illorũ concursus detrimenti aliquid traheret, quod summopere Potestas absoluta senatus Hispaniolæ.

Potestas absoluta concessa magistratui Hispaniolæ.

timebamus. Cæsaris & nostris literis habitis properè destinarunt ad id negocii virum probum, nomine baccalarium Morenum, inter eos fisci procuratorem. Sero accessit, iam actum erat, confusa reperit omnia: parum ab his quæ narrauimus secedunt huius boni viri relatus. Ita ex illorum discordibus animis multa scitu egregia intercidu ntur. Huic fiscali Moreno Franciscus Fernandez diu versatus in magni lacus illius vicinia in saltum se ait incidisse dulcium aquarum in sinum cadentium, sicuti scimus Nilum ab altis Aethiopiæ montibus in Aegyptum delabi, vt inde irrigata Aegypto in mare nostrum effundatur: id si verum est, quod adhuc est incertum, incassum erit quærere quod Aegidius Gonsalus diu versauit animo de magno flumine nauigabili absorbente aquas illas, populis circumambitas. De casu autem ac vulgata Cortesii & sociorum internicie, fiscalis hic Morenus regrediens in eius regionibus nihil audiuisse retulit, quod ab Tenustitana prouincia distent illi tractus leucas quingentas amplius, sed ait cum in portu Fabanæ Cubensi emporio staret in anchoris, appulsum ad se Diecum Ordassum è Cortesii ducibus non ineptum vnum, qui dixerit se ad ea loca venisse perquisitum an de Cortesio aliquid intelligeretur, de cuius vita in regnorum capite Tenustitano dubitabatur, nescitur vltra quicquam. Ad huius tantæ labis medelam vir nobili sanguine ortus Ludouicus Pontius Legionensis iureconsultus, huius Carpentanæ regionis, cuius caput est Toletum hæc vrbs, vbi nunc moramur cũ Cæsare, diu prætor vrbanus, destinatus est, quod magistratũ huc integerrime ac prudenter exercuerit, modestus est & clarus ingenio vir, ab cuius prouidentia speramus pro diturum vt Cæsarea nauis illa fluctuans pro fœlicibus Cæsaris auspiciis ad portum sit reducenda tranquillum. Affert in mandatis vt Cortesium, si viuum repererit, mille blanditiis

Ludouic⁹ Pontius Legionensis prætor Carpentanæ regionis.

ambiat, & ad obseruantiam trahat veram, à qua tamen aperte nunquam discessit, nomen quippe Cæsaris regis est in eius ore perpetuò ac literis adorabile: de arcano autem, vti late dictum est, nescio quid à coniecturis & multorum accusationibus suspicamur, nouis optauit semper animo elato vir prærogatiuis ornari, gubernatoris & Adelantati iam diu titulos assecutus est illarum regionum amplissimarum, quæ sub Hispaniæ nouæ appellatione includuntur. Diui Iacobi Spatensis insigne nuper poposcerat, id secum affert hic Pontius illi præbendum, prope diem discedet, iam est à Cæsare dimissus, cum duarum & viginti nauium classe hinc discedet. Si vero Cortesi ad suos maiores cōcessisse repererit, aliter erit agēdū. Aliorum nemo cristas audebit erigere, modo stare nitidas à defectione incolarum res inueniat, fauste cuncta succedēt, & fœlicibus tuæ Beatitudinis pedibus subiicientur. In ea lacunari magna ciuitate, quæ iam ciuitatis faciem resumit, domorum quinquaginta millium structura resarcita, septem & triginta sunt erecta templa, in quibus incola Hispano mixtus pientissime Christianis intendunt sacris, veteribus cerimoniis & humani sanguinis litatu abiecto, à quo iam abhorrent Coalescet in immēsum per crepidatos octo Franciscanos fratres apostolico feruore incolas instruentes hæc læta fruges, nisi nostrorum seditiones obstiterint. Satis in his. Nunc ad Stephanum Gomez quem in calce porrecti libelli incipientis, PRIUSQUAM cum vna missum carauela dixi ad fretum aliud inter Foridā tellurem & Bachalaos satis tritos quærendum. Is, nec freto neque à se promisso Cataio repertis, regressus est intra mensem decimum à discessu. Inanes huius boni hominis fore cogitatus existimaui ego semper & præposui: non desuêre in eius fauorem suffragia. Terras tamen reperit amœnas & vtiles, nostris paralellis & gradibus polaribus consonas.

Septem & triginta templa erecta in lacunari ciuitate.

Stephanus Gomez.

Eadem & licenciatus Aiglionus vir senator in Hispaniola per amicos & familiares cum duabus nauibus, Hispaniola, Cubæ, Iucais insulis, septentrionalia, peragrauit noua littora, Bachalais, Chicoræ, ac Durabæ regionibus à me supra late tractatis vicina. Vbi post narratos gentium ritus & mores, post egregiorum portuum & magnorum fluminum descriptiones, illiceta, quercetàque ac olueta, & in siluis serpētes labruscas passim, cæteras etiam nostrates arbores aiunt se reperisse, neque id quidem breui epilogo, sed consumptis cartarum magnis fascibus. At quid opus est his nobis quæ vulgaria sunt apud Europæos omnes? ad Austrum, ad Austrū, ob æquinoctiū latas opes, quærentibus opes tendendum est, non ad rigentem Boream. In casu hoc risibile audiat Beatitudo tua & facetum sclopon ventosum exortum. Stephanus hic Gomez nil horum assecutus quæ se reperturum arbitrabatur, ne vacuus rediret, contra leges à nobis dictatas, ne quis vlli gētium vim afferat, ab innocentibus quibusdam seminudis populis, magalibus pro domibus contentis, vtriusque sexus hominibus nauim farciuit. Vbi accessit in portum Clunium, vnde vela fecerat, vnus quidam audito nauis eius aduentu, & quòd esclauos id est seruos aduheheret, nil vltra vestigans citatissimo equorum cursu ad nos venit, anhelo spiritu inquiens, clauis & preciosis gemmis onustam affert nauim Stephanus Gomez: opimam se habiturum strenam arbitratus est. Ad hanc huius hominis ineptiam erecti, qui rei fauerant, vniuersam obtuderunt cum ingenti applausu curiam, per aphæresim dictione detruncata, pro esclauis clauos esse aductos præconando (esclauos enim Hispanum idioma seruos appellat, & gariophyllos nuncupat clauos) postea vero quàm à clauis in esclauos fabulam esse transformatam curia cognouit, cum fautorum iubilantium erubescentia risum excitauit. Si cœlorum efflatus in terrestres materias receptui paratas eius aromati-

Res ridicula de nuncio nauis Stephani Gomez.

ci spiritus necunde quàm à solari æquinoctio vel proximo infundi posse didicissent, decem intercapedine mensium, qua hic iter suum peregit, aromaticos gariophyllos reperiri nō posse cognouissent. Dum in hoc versarer corolario, ecce rotantis fortunæ assuetas artes, quæ nulli præstitit vnquam mellis vnciolam, quin tantundem fellis aut maiore mensura sæpe illi coniecerit in paropsidem. Tubarum clangoribus, tympanorum reboatibus, & tibiarum concentibus huius vrbis inclytæ viæ resonabant præ lætitia sponsalium & reiteratæ affinitatis cū sororio & consobrino Rege Portugaliæ per acceptam eius sororem viro maturam, & relictam Anglicam tenellam adhuc, quam rem Castellæ regna optabant maxime, quando subsecutum est ilico triste ac tolleratu graue nuncium: Cæsaris & Castellanorum omnium animos fastidio id repleuit. In orbe ambito ad Adrianum Pontificem dixi permansisse confractam in insula Tidori è Maluchis aromatum altricibus vna, Victoriæ nauis sociam, Trinitatem appellatam, cum viris septem & quinquaginta, quos præter magistratus nominibus propriis nuncupatos habeo è computatorum libris harum negociationum extractos. Nauis ea resarcita gariophyllis & gēmis quibusdam onusta reuertebatur, in Portugalicam incidit classem, deprehēsam cœpit & in Malacham, creditam Chersonesum auream, traxit victam, raptauitque Portugalicus præfectus, nomine Georgius de Brito maritimus, quicquid erat in ea. Sed miserandum dictu est, quid huius nauis nautis acciderit: tanta fuit contra eos maris ira, vt perpetuis fluctibus agitati fame vigiliisque ferè omnes perierint. Capta naui Trinitate, præfectus ille Portugalicus Maluchas nostras insulas adiisse dicitur, & in vna illarum, quæ septem sunt, arcem cōstruxisse, quicquid merciū negociationis causa in insulis erat relictum, rapuit vnà. Vtramque rapinam ducentorum millium ducatorum valorem excedere Victoriæ nauis regressæ

[Margin: 1526.]

[Margin: Georgius de Brito Portungalensis præfectus maritimus.]

Christo-phorus de Haro. incolumes naucleri & regii ministri prædicant, sed Christophorus de Haro præcipue huius negociationis aromaticæ director generalis sub nomine factoris. Huic viro summam præstat fidem Senatus noster. Is mihi præbuit omnium quinque nauium Victoriæ nauis sociarum & omnium nautarum ac tenuium quorumcunque ministrorum nomina. Ostendit in senatu nostro coacto cur valorem eum prædæ aßignauerit, quia particulatim monstrauit quantum aromatum Trinitas afferret, quantum aromatum in Zabazullæ regis insulæ Machianæ, vnius è nostris septem insulis aromatum altricibus, & finitimi regis alterius insulæ Tidoræ, ac eius filii & vtriusque regis œconomorum & familiarium primatum nominatim potestate relictum fuerit, precio emptum, Ioanni de Campo cum cæteris permanenti aßignatum. De mercibus vero quantum calibis & cupri lamine, quantum canapeæ ac lineæ telæ omnis generis, quantum picis, argenti viui, luminis petrei, solimani, ad picturas auri pigmenti, coralium, & rubeum vmbellarum, pileorum, speculorum, calculorum vitreorum, tintinabulorum, ligularum, sedilium rege dignorum, quantumque cum suis munitionibus machinarum inerat; quarum rerum permutatione per manentes regios magistratus, computatorē & thesaurarium, aromata per mittendas naues nostras reportanda cogerētur. Quid facturus in re tali sit Cæsar ambigitur, dißimulaturū arbitror ego per dies aliquot, reiteratæ affinitatis causa: quāuis essent vno partu gemelli, durū tamē esset iniuriosam hanc iacturam præterire impunitam, placide primū per oratores tractarum iri rem puto. Sed aliud audio futurum Regi Portugalico non beue sapidum, nequibit Cæsar etsi optauerit rem dißimulare, mercium nāque illarum domini vt iusticia fiat efflagitabunt, eam hostibus negare inhonestum est, quanto magis propriis ditionariis. Ruinam eius regni ventu-

ram ex hisce temerariis rebus veteranos aiunt Portugalenses publicis sermonibus vaticinari: nimis enim superbe Castellanas gentes despiciunt, sine quorum prouentibus fame perirent, cum fuerit regnum illud exile Castellæ quondam Comitatus. Præ rabie mandunt spumas Castellani, vellentque vt reducere regnum illud ad Castellæ coronam Cæsar niteretur: Rex Philippus Cæsaris genitor se factturum aliquando & cogitauit & dixit, tempus sententiam promulgabit. Interea valeat Beatitudo tua, ante cuius conspectum prostratus oscula pedum dico.

Vaticiniũ nunc vetum est.

Finis operis de Orbe Nouo conscripti, Autore Petro Martyre Anglerio Mediolanensi.

RERVM MEMORABILIVM EARVMQVE PRÆCIPVE QVÆ AD GEOgraphiam spectant, in octo decades index, in quo etiam diligenter obseruati sunt gentium mores & instituta, neque quicquam omissum quod lectorem vel iuuare vel delectare poßit.

I

L


N


O


T

V

FINIS.








Baour fecit